


4124

63  
54

Agd. Bg Bo. Isoldamk. Boro.



LIBERTI FROMONDI  
IN  
COLLEGIO FALCONIS LOVANII  
Olim  
*Philosophia Professoris Primarij,*  
METEOROLOGICORVM  
LIBRI SEX

*Editio altera antiquior & emendatior.*



LOVANI<sup>I</sup>,  
Typis HIERONYMI NEMPAE<sup>T</sup>  
ANNO M. DC. XLVI.

ГАИМОВА ГРУППА

И

СЕРГЕЙ ФАЛАНГИС ГОЛУБИН

Они

Приключения Пирата Пинкера

МУДРОСТИМУ

ЛИБРИ СЕХ

Сборник рассказов о мудрости



ГИАУС

Издательство АСТ

ЛиброМаркет

ILLVSTR. AC REV<sup>MA</sup> DOMINO  
D. MAXIMILIANO  
VILLANO A GANDAVO  
DE RASSENGHEM,  
E. COMITIBVS ISSENGHEMIIS  
NOBIL<sup>NA</sup> ECCLESIAE TORNACENSIVM  
EPISCOPO.

ILLVSTR. ET REV<sup>MA</sup> DOMINE

**V**ENIO, quò me meum  
munus dicit, quod de  
Meteoris sive sublimibus  
est; & talibus oculis ad-  
spici jure suo flagitavit.

Plebeia enim & fæcis vulgaris sunt ista,  
*Quæ supra nos nihil ad nos:* & fastigijs  
mortaliū propriè Natura ista in alto  
suspendit, ut Creatoris in mirabilibus  
suis sapientiam & majestatem suspice-  
rent. Is studij etiam hujus & scriptio[n]is  
meæ fuit princeps finis: ut, inquā, ani-  
mus scientiâ Naturæ succollatus, altius

scandat penetratque longius in Omni-  
potentis laudes & admirationem. Nam  
etsi in rerum omnium etiam superficie,  
Numinis quamdam imaginem depi-  
ctam, aut impressè sculptam habemus;  
verius tamen pleniusque in arcanis ipsis  
Naturæ, velut in recessu, habitat, ibi q; se  
eruditis mentibus adorandum ostendit.  
Plurima enim in cælo, in elementis, &  
totâ Natura rerū delitescunt, quæ uti-  
lissimè in solatia & bonum piarū men-  
tium, & infinitam gloriam Creatoris  
protrahantur. Quò etiam oculum in-  
tendisse se ad firmat Reverendissimus &  
sanctissimus Vir, Thomas Cantiprata-  
nus, Cameracensis olim Suffraganeus,  
dum *Libros de Naturis rerum*, quindec-  
im totos annos, conquisitis undique  
ex Angliâ, Galliâ, Germaniâ, ejus rei  
Scriptoribus, consarcinavit.

Eodem fine & mente vetustissimi  
illi humani generis progenitores & Pa-  
triarchæ,

triarchæ, de Naturâ inter oves & agriculturâ commentabantur: & cùm Gen. c. 24. narratur Isaac egressus ad meditandum in agro, inclinatâ jam die, id est, ad sidera & pendentia in sublimi contemplandum, & hinc gradu facto, erigendum animum in horum Auctorem; ut Hæbræorum, ac Lyrani, Abulensis, & plurimorū est interpretamentū. Apud pleramque etiam olim Nobilitatem in amore & studio hæc scientia fuit. Pericles, Dux ille Athenensium Nobilissimus, tam multis laudatus, in similitudinem aliorū & exemplū sufficiet. Cujus animi celsitatem, grandiloquentiā deinde, & genus dicendi sublime, fulgurans & tonans, à Meteorologiâ & scientiâ naturali, quam Præceptore Anaxagora hauserat, fuisse Plutarchus adfirmat.

Quidni igitur etiam apud Te, Rev<sup>MB</sup> DOMINE, Meteorologica nostra gratiam sperent? Et eò insigne rem, quod Nobili-

Nobilitas Tua inter Belgij Illustrissimas, & per sexcentorum amplius annorum circuitus, augustissimas Comitum Lovaniensium, Alostanorum, Flandrorum, sanguine aut affinitate Familias complexa, sublimis & inoffensa in hæc tempora pervenerit.

Si retrò etiam memoriam in longiora remittimus, veterum statim Saxonie Regum stemmata inveniemus; è quibus propinquâ origine fluxit VVycmannus ille ab Ottone Cæfare primus Arci Gandvensi impositus Comes: à quo Villanorum & Gandavorum per Belgium sparsum genus.

Sed claritudinem Majorū virtutibus partam, non supra ipsas virtutes æstimas; & maculosam ignorantiam aut vitijs Nobilitatem, notam magis, quam nobilem, Romano Zenoni adsentiris. Ut enim in pupura pannus, ita in Nobilitate deformitas vitiorū insignior: veluti contrà,

Seneca  
lib. 3.  
cap. 29.  
de Benef.

trà, lætiùs latiusque se diffundit Virtus,  
ubi circumfusa Nobilitatis lucē habet.

Aliæ præterpropèr etiam caussæ  
fuerunt, quæ me propriè circumsistunt,  
& nuperi beneficij magnitudo præser-  
tim impulit, ut charte hac tabellâ no-  
mina saltem mea afferrem, si nihil dare  
possem in solutum. Tametsi enim alie-  
no, & Nominationum Academiæ no-  
stræ Iure, in cætum **Canonicorum** Il-  
lustris Ecclesiæ Tuæ Tornacensis in-  
traverim; Te propitio tamen & volente  
factum, imò ultrò eunte Iuri nostro ob-  
viām.

Favore autem isto, & effuso in Acade-  
miam Lovaniensem affectu, qui Digni-  
tate etiam illa Episcopali, Tibi præi-  
uit olim, **ILLVSTRISSIMVS D. FERRI-**  
**cvs, S. R. E. tit. S. Vitalis Presbyter**  
**Cardinalis, & Episcopus Tornacensis:**  
**cujus, & MAXIMILIANI I. Belgarum**  
**tunc Principis sollicitudine, SIXTVS**

PAPA

PAPA IV. primum Nominationum  
privilegium ( id est munificentiae se-  
quentium Pontificum singulare exem-  
plar) Anno m. cccc. lxxxiii. Vniver-  
sitati donavit.

Ille ævo quidem longè anterior, Tu  
beneficio tamen proximus, quo adfir-  
masti quod Sanctissimus ille Pontifex  
suasore ipso & parario nobis olim con-  
tulit. Salve par nobile Præfulum. No-  
bis post hac Castor & Pollux benefica  
duo sidera eritis: quorum alter cælo iam  
& æternitati fixus, eodem Tu ILLVSTR.

ET REVERENDISSIME DOMINE, virtu-  
tibus subiectus abis; si ambitum ætatis  
ante impleveris (qui tamen mollissime,  
& in rem publicam diu fluat!) quem  
Tibi lex æterna circumscripsit. Sic vi-  
ve, salve, vale ab.

ILLVSTR. ET REVMA D. T.

humillimo & devotissimo cliente

LIBERTO FROMONDO.

Lovani Kal. Ian.

Anni CIC. 150. XXVII.

AD

# AD LECTOREM



NNI Viginti jam sunt, cùm Philosophiae Lovaniensis, in amoenissima & jucundissima ejus parte, Meteorologiā, gustulum dedimus. Nunc verò per juventutis nostrae cogitationes raptim redire, consilium amicorum quorundam, & mea etiam aliqua voluptas, fuit. Naturam enim imitatus eram, quæ prata camposq; floribus spargit, & delicias ubique miscet humanis auxilijs. Aristoteles quoque, qui alibi ferè tetricus, in historias hic & omnem amoenitatem sic lascivit, ut quidam hoc argumento negent Meteorologiam numerandam in ejus Libris. Verùm alibi data operā & studio sepius suo se atramento infuscat, aut certè materia hanc dissimilitudinem facit. Non enim omnis Philosophiae pars æqualem cultum recipit.

Etsi verò totares Meteorologica amœna; tamen, ut Thessala Tempe & Nymphaeum luci, umbrosa, nec facile ingenio humano penetrabilis est. Adeò at sol ingeniorum Aristoteles obscuritatem Arist. lib.  
caussatus, dicere non dubitaverit, Alia dubitamus, alia modo aliquo, id est imperfectè, attigimus; & sublimum doctissimus Tycho Meteorologiam imperfectissimam, & minimam ejus partem constare, questus sit. Nec mihi quoque ita placeo, ut credam rem hanc à me confeclam, aut profligatam esse. Nam Mathematici in primis, familiares sibi figuræ requirent. Quibus abstinere tamen malai, ne Libri pretium ex supervacuo accenderem, & quia pleraque omnia more Philosopho, qui lingua ferè tantum, manu raro in Scholis loquimur, putavi posse necumque expediri.

)(()

Et

Et alia alij fortasse desiderabunt : & vidi quæ Clarissimi  
Italæ Philosophi, Fortunius Licetus, Scipio Claramontius, Fran-  
ciscus Resta Talleacotius hic aut ibi amicè & blanditer admor-  
derunt; quibus etiam raptim non dentem ad Vindictam, sed, levem  
manum , ut quæ objecerant , tamquam pilas reijcerem, reposuit.  
Quia deinde juvenilem ( nam id ætatis tunc eram ) & nimiam  
sermonis elegantiam, præsertim in Libro v.1. ubi de Iride, re à se  
suis abditâ & tenebrosâ, culpabant aliqui, detraxi & mutavi  
non pauca circa rem & styli pbrasim ne rerum opacitas, quaestâ &  
affectatâ Latinitate nimis infuscaretur. Deinde multa undique  
exemi , alia in locum vacantem inferci, & plurima ubique, ac in  
omnibus propè Articulis, ad augendam gratiam, & Operis plenitu-  
dinem interieci. Articulos etiam alicubi totos revelli, alibi novos  
inferui.

In totum tamen me ab hac opera & studio fermè deterruit  
S. Aug. lib. 2. c. 10.  
in Genes. *A quo cùm Fratres quæsissent , An sidera circumduce-  
rentur , an terra potius in orbem gyret, immobili cælo: Multum  
subtilibus & laboriosis rationibus , ait , ista perqui-  
ri, ut verè percipientur, utrum ita, an non ita sit. Qui-  
bus ineundis atque tractandis nec mihi jam tempus,  
nec illis esse debet, quos ad salutem suam , & sanctæ  
Ecclesiæ necessariam utilitatem cupimus informari.*

Ne nimiam tamen huius olim studij mei pœnitentiam agam,  
S. August. ipse, Libris de Trinitate, de Civitate, & iſtis ipſis ſu-  
per Genesim Commentarijs, in Philosophia naturali multus, &  
pœnè ad curiositatē varius fuit. Quid S. Clementem Alexandri-  
num? Quid S. Aquinatē? quid alios sine fine commemorem , quo-  
rum sanctitati Philosophia iſta sociata fuit? Scriptura etiam sacra,  
psal. 148. ignem, grandinem, nivem, glaciem, spiritum pro-  
cellarum,

cellarum, & Meteorologiam totam ad Dei laudes, id est, ut homines ex operum istorum & totius naturae contemplatione, Creatorem laudent, saepe excitat. Nemo autem altius & impensius laudare potest, quam Meteorologistes, & qui optimè ea intelligit.

Alia deinde, & multa huius scientiae utilitas. Qui enim ducem belli formant, Meteorologiam imbui præcipiunt: & Hannibal, Sertorij, aliorumque exemplis ostendunt, quantum ijs ad bellicam fortunam, & secunda prælia, sublimium scientia contulerit. Vnde ecce fulmen illud belli Cæsar Iulius, à cena Cleopatræ, cum Achoreo Aegyptio Philosopho in multam noctem de calo & sublimibus dis-  
putans, gloriatur se

— media inter prælia semper

Lucan, lib.

10.

Stellarum, cælique plagis, superisque vacasse.

Denique agricolationi, mercatui, & pleroque hominum generi, utilitate propemodum necessaria, amoenitate universis jucundissima est.

APPRO-

# APPROBATIO CENSORIS

HÆC LIBERTI FROMONDI Philosophiae Professoris primarij, in Gymnasio Falconis Academiæ Lovaniensis, METEORLOGICA, promulgatis quædam reliquæ Philosophiae, quæ in eadem Academiâ, cùm ab illo, tum alijs prælegitur, studioso rerum sublunarum indagatori propinata, ex quo utilia dulcibus miscent, & longè quam antehac exactius argumentum illud, sublime alias, & suspensa detinens ingenia, pertractant; omne punctum mihi ferre videntur, quæ cum fructu & voluptate multorum, prælo committantur, & luce donentur. Actum Antuerpiæ in Seminario Episcopali XII. Maij, Anni M. D C. XXVI.

LAVRENTIVS BEYERLINCK  
Canonicus & Archipresb. Ecclesie Cathedralis An-  
twerp. Librorum Censor.

LIBER.

L I B E R T I F R O M O N D I  
M E T E O R O L O G I C O R V M

L I B E R E R I M V S;

D e Meteoris in genere.

C A P V T . I .

Quid, & quinplex Meteorum.



METEORVM Latinè significat sublimus aut suspensum. Hinc equus *metēros* dicitur qui pedes primores suspendit. *Meteoros* dixi, *lis pendens*. Et inde *metēria*, supina oblivio & pendulus animi stupor: qua-  
tonius. In eo, inquit, ( Claudio Cæsare )

mirati sunt homines & oblivionem, & inconsiderantiam, vel, ut  
Græcè dicam, *μετεωριαν*, ή *ἀβλεψιαν*.

Philosophi verò Meteorum suum definiunt, Corpus im-  
perfectè mixtum, ex vapore vel exhalatione ortum in sub-  
limi. Hoc statuitur objectum Meteorologiæ, quam Aristoteles absolvit quatuor libris.

Corpus imperfectè mixtum, nihil aliud est, quam Ele-  
mentum infectum qualitatibus peregrinis. Talis aqua cale-  
facta, glacies, nix, grando, &c. Nec est necesse, ut Elemen-  
ti nomen amittat. Licet enim in pluribus eveniat ( nec enim  
nix, aut grando, amplius aqua vocantur, etiamsi formam  
aque substatitialem retineant ) aqua tamen calida, nomen  
aque, ignis fatuus, nomen ignis nondum perdidit.

Mixtio igitur imperfecta hic, est conjunctio qualitatum  
peregrinarum cum naturalibus in eodem elemento. Sic  
enim mixtura quatuor graduum caloris cum totidem fri-

A

goris,

2 LIBERTI FRO MONDI.

goris, aquam tepidam, imperfectè mixtam facit. Hæc mixtio vocatur imperfecta, quia non attigit perfectionem temperiei quæ formam substantialem elementi expellat, & formam corporis perfectè mixti introducat.

Itaque lapides, ranæ, & si quæ alia in sublimi perfectè mixta, ex vapore aut exhalatione coagulantur, meteora non sunt; quia imperfectè mixta non sunt, cùm formam elementi non retineant.

Iris etiam, halo, parelij, & quæcumque ἑφασιν non ὅποσατιν habere dicuntur, quia accidentia tantum, non corpora sunt, meteori rationem propriæ non habent.

Vapor est spiritus è corpore gravi humido resolutus: Exhalatio est spiritus siccо gravi expressus. De quibus infrà dicendum pluribus.

Sublime, spatiū totū à terræ & aquæ globo ad ultimam mundi superficiem vocamus. Hoc ergo cælis partim, partim elementis levibus est plenum. Non tamen in toto eo spatio oriri meteora possunt: sed quatenus solum vapores & exhalationes ascendere valent; id est, ad 52. milliaria Italica, ut posteā ex Vitellone & communi ferè Opticorum sententiā docemus.

Meteorum quidam in hypostaticum sive verum, & emphaticum sive apparens, dividunt. Sed emphaticum, in cuius tamen tractatione totum Librum sextum consumpsimus, reverà meteorum non est.

Meliùs ergo ex materiæ diversitate, in id quod vapore, quod exhalatione, & quod utroque mixtim constat, dividemus. Quæ vapore constant, ut pluvia, nix, grando, &c. aquæ vocari solent. Quia vapores plerique elemento aquæ exhalantur, & formam aquæ in compositione istorum meteororum retinent. Quæ exhalationem pro materia habent, partim ignea sunt, ut sidera cadentia, fulmen &c. quia reverà formam ignis per inflammationem adepta sunt: partim non sunt, ut venti, & turbines: in quibus scilicet exhalatio nondum concepit ignem. Vapore & exhalatione simul, nubes & nebulæ contextæ sunt.

A Ex jam

Ex jam enarratis patet, inter meteora quæ exhalatione constant, quædam eam pro materiâ transeunte ( ut ignea ) quædam pro permanente ( ut ventos ) habere. Inter aquæ etiam nubes vaporem, materiam permanentem, pluvia, nix, grando, transeuntem habent. Nec enim in pluviâ, aut nive, amplius manet vapor, etiamsi illæ formam aquæ servent.

## C A P V T . II.

*De loco generationis meteororum.*

RISTOTELIS nostri ordinem secuti, prius de loco ubi generantur meteora, deinde de caussis eorum dicemus.

Locus ille, est tota elementi aëris profunditas. Quæ in tres regiones, infimam, medium, & supremam solet distingui. Infima, est spatium aëris à terrâ ad nubes : Media, ipsas nubes capit : Suprema à convexo nubium ad elementum ignis, aut, si ignis ibi nullus est, ad ipsum cælum expanditur.

## ARTICVLVS I.

*De supremæ regionis aëris quantitate.*

**I**N primis, Probabile est, supremam aëris regionem ad sidera fixa, & ipsum Firmamenti fornicem excurrere. Quod indicat S. Augustinus, cum ait, *Aërem à confinio luminosi celi usque ad aquarum fluida & nuda terrarum pervenire.* Lib. 3. c. 10. Genes. Cometarum deinde per vias Planetarum trajectiones & motus, satis significant, cælos infra Firmamentum esse fluentes, nec è duro concrevisse. Quod alijs etiam argumentis egregiè ostendit Clariss. Medicus Thomas Fienus, in Cometa anni 1618. Veri ergo simile est, universum hinc usque ad fixas interuallum, aëre ( sive partem su-

periorem, æthera vocare mavis ) repletum esse. Tycho tamen id quod Planetas interfluit, auram quamdam naturæ cœlestis, & diversæ essentiæ ab his inferioribus esse credit: sed nondum mihi persuasit. Neque ex refractionibus siderum amplius colligere potuit, quam partem illam ætheriam, rariorem esse nostrate aëre: quod verum erit, etiam si ejusdem naturæ & speciei constituas. Halitus etiam terreni, effusissimè rarefacti, supra Lunam scandunt quandoque; unde partem cœlestis illius & Tychonici ætheris in mundum sublunarem depriment, miscebunturque corruptibilia incorruptilibus: quod non decet.

Secundò: Totus tamen aër inter Planetas, quem æthera appellamus, item pars ejus magna infra Lunam spiritu calido scatet & infervescit: ut meritò eum Aristoteles ignem (quia, inquit, simplici alio nomine caret) vel ὁ πεπλαυμένος, fomitem incensionis, vocaverit. Scio tamen à multis id accipi de aëre illo, qui statim supra nubes est, ultra quem statuant aliquod aliud elementum puri ignis. Sed Aristoteles satis, nisi fallor, disertè eos refellit. Ait enim. Τὸν δούλιον ἀπὸ τὴν ἐγκεκλιόνεστι φορᾶν εἴναι τὸ πρῶτον μέρος ἀνθρώπου τὸν ξηρὰν καὶ θερμὸν. οὐδὲν δε καὶ τὸ συνεχῆς ὑπὸ αὐτὸν ἀπεργεῖται πολὺ συμπεριάγεται περὶ τὸν γῆν, ὅποι τῆς φορᾶς καὶ τῆς κινήσεως τῆς χυλῆς. Mundi, qui circa terram, quantum sub circulari latione est, primam partem, esse exhalationem siccām & calidām. Ipsa verò cum magnâ parte continui infræ aëris, circa terram unā circumducitur à latione ejus motu circulari.

En, ut primam partem sub circulari & cœlesti latione, exhalationem vocet. Ac ne putares intelligi de aëre proximè supra nubes, addit, exhalationem istam rapere secum aërem sibi continuum: id est, illum quem hactenus supremam aëris regionem appellare solemus. Hic ergo est, quem Aristoteles propriè aëtem; alteram verò qui superest, & ad Lunam usque, aut verius ad ipsum Firmamenti forniciem, pertingit, propter exhalationum ferventium copiam & mixturam, ignem vocavit. Pluribus rationibus alibi ignem hunc quorundam Peripaticorum sublunarem fortasse confutabimus.

Lib. I. c. 7.  
Meteor.

Tertid.

Tertiò: Meteora quæ exhalationem terrestrem, aut vaporem pro materiâ habent, plerumque non altius à terrâ, quam 52. milliaribus Italicis, id est milliaribus communibus Germanicis 13. Belgicis 17. elevantur. Ratio est, quia materia eorum sublimius non scandit. Summi etenim halitus, & crepusculorum lampades, qui primi manè radium Solis rapiunt, & ultimi vesperi retinent, ac proinde altissimi sunt omnium qui videri ut plurimum à nobis possunt, totidem solum milliaribus à terrâ distant, ut post Alhazenum & Vitellonem Tycho approbat multis experimentis. Scio tamen aliquos augere, & alios minuere hanc distantiam. Sed media, & jam olim recepta mensura magis hic placet.

Dixi anteà, plerumque, quia, ut Libro III. parebit, halitus in tantum aliquando rarescere possunt, ut ad Lunam & inter Planetas perveniant, viderique quandoque à nobis possint; quia cum raritate aliquam adhuc opacitatem servant, quæ lumine Solis valeat colorari, & colorem illum ad nos reflectere.

Quartò: Suprema illa meteororum regio, à secundo & quinquagesimo milliari à terrâ, deorsum infra altissimorum montium cacumina descendit. Id inde intelligitur, quod montes quidam reperti, qui supra totam nubium stationem surrigitur vertices, penetrantque in regionem supremam.

— Nubes excedit Olympus:

Lucan. I. 2.

Pacem summa tenent, — magnificè clamat apud Poëtam Pompeianum Brutus. Et dudum ante ipsum, de eodem Homerus:

— Οὐτ' ἀνέμοισι τιγάσσεται, οὐτέ ποτε δρεγέσθαι  
Δεύτερη. —

Neque ventis concutitur, neque imbre rigatur.

Hinc apud eum aliosque Olympus passim pro cælo, quasi omnium montium excelsissimus, & cælo ipsi attiguus sit. Sed montes suos & sua omnia nimis mirantur, & in majus extollunt Græci. Xenagoras enim, ut Plutarchus in Paullo

narrat, ex Geometriâ & vero dimensu, reperit tantum  
1270. passus in perpendiculo Olympi. Philadelphus etiam  
olim veri curiosus ascendit, & verticem ejus intra nubes  
invenit. Nec Atlas quoque, ( quamquam Dion altissimum  
montium existimet ) in supremam regionem pervenit.

Quippe

*cintum assiduè cui nubibus atris*

*Piniferum caput, & ventis pulsatur, & imbri.*

Aencl. 4.

Et Dion ipse fatetur, juga perpetuâ nive canescere. Intra  
igitur, aut infra medium regionem sunt; nam in supremâ,  
nives nullæ. Æmus deinde, mons Thraciæ eminentissi-  
mus verticem in nubibus habet Ascendit enim olim Philip-  
pus Macedonum Rex, vulgaræ opinioni credulus, inde  
mare Ponticum, Adriaticum, & Alpes Italiæ posse con-  
spici. *Vbi autem iugis appropinquabant, ait Livius, adeò omnia*  
*coniecta nebula, ut hand secus quam nocturno itinere impedirentur.*

Dec. 4.

Lib. 10.

Lib. 4.

c. 65.

Dicæarchus, Plinio teste, curâ Regum montes permen-  
sus, altissimum Pelion prodidit, passuum 1520. ratione per-  
pendiculi. Quæ altitudo tamen minor, quam Xenagorica  
illa Olympi; statque etiam sine dubio intra nubium re-  
gionem. Plinius tamen ibidem asserit, scire se quosdam  
Alpium vertices tractu non breviore 50. passuum millibus  
assurgere. Quod si ita est, jam isti ad culmen supremæ  
regionis adspiciunt. Sed credo Plinium accipiendum de  
tractu & ascensi Alpium obliquo. Nam nimis, puto, mani-  
festè falsum est, ullum esse qui tantum habeat perpendiculi.

Si ergo montium ullus est, qui ultra medium regionem  
se attollit, Caucasus in Asiam est, Tenariffa in Canarijs, Pa-  
riacaca in Americâ. De Caucaso Aristoteles affirmat, vide-  
ri à navigantibus in Mæotidem ( id est, ex distantia 560.  
milliarium, ut quidam arbitrantur ) & tertiatâ parte noctis  
retinere Solis crepusculum. Similis excelsitas Casij mon-  
tis apud Plinium ( nisi tamen pro Caucaso, Casius  
eum affinitate nominis fecellit ) cuius vertex quartâ vigiliâ  
orientem per tenebras Solem afficit, brevi temporis circumatu diem  
noctemq[ue] pariter ostendens. Hujus tamen per directum alti-  
tudinem

Lib. 1 c. 13.

Meteor.

Lib. 5.  
cap. 22.

tudinem asserit solum esse 4. milliarum. Tenarissam referunt Hispani esse altitudinis 60. milliarum. In mari enim maximè conspicuus est ex intervallo 4. graduum. Vnde Snellius in Eratosthene suo colligit, perpendiculum ejus esse 9. mill. Ex quibus tamen aliquid deducendum sit ob refractionem. Nam res in superficie maris refractè visa, altior justo apparet, & ex distantia longiori. Statuamus igitur audacter in perpendiculo, cæto millaria. Quantam altissimorum sub toto cælo montium excelsitatem, veterum Sapientum judicio, affirmat Alhazenus lib. de Crepusculis. Errare ergo videntur, qui nullum omnino montium cedunt excedere 4. millaria perpendiculi. De longissimâ illâ catenâ montium Peruviæ, quæ 500. facilè leuis à Septentrione in Austrum decurrit, narrat Iosephus Acosta, tantæ altitudinis esse, ut si in comparationem ducentur, Italiæ Alpes casæ humiles, Peruviani palatia excelsa videri possint. Vnum horum, nomine Pariacacam, cum pertransiret, aërem in vertice ita subtilem & tenuatum, humanæ respirationi sic inidoneum invenit, ut nauseâ & vomitu feré animam ructaverit.

Hi ergo, & si qui alij paris sublimitatis montes, in supremâ regione habere vertices videntur, ubi aër vicinâ cæli, & exhalationibus ferventibus plurimum calet & extenuatur. Frustrâ igitur Bened. Pererius conatur astruere, nulos in universo montes esse, qui cacumine medium aëris regionem excedant. Imò dubitat, an aquæ diluvij, quæ 15. Ibid. disp. cubitis, omnibus sub cælo montibus fuerunt altiores, ad 10. mediæ regionis nubes pertigerint: quia è nubibus, in fine etiam quadraginta dierum, cum altissimæ fuerunt diluvij aquæ, depluit, tamquam ex altiori loco, in vertices montium. Verùm Libro V. rationes ejus dissolvemus, ubi de diluvijs agemus.

Quintd: Suprema regio deorsum videtur terminari circa quartum à terrâ milliare. Ratio est, quia ibi media incipit, ut Articulo sequenti patebit. Habet igitur suprema regio 48. millaria Italica profunditatis. Ex altitudine enim

Lib. 3. c. 9.  
Hitor. Ing.  
dic.

52. millia-

52. milliarium, quo usque scandunt, ut plurimūm, summi  
halitus, detrahenda solum 4. millaria sunt pro mediā &  
infimā regione, ut jam ostendemus.

## ARTICVLVS IL

*De quantitate media, & infimae regionis.*

Lib. 17.  
Subtil.

Plin. lib. 2.  
cap. 23.

**C** Ardanus negat nubes etiam excelsissimas duobus  
millibus passuum à terrā umquam elevari: cùm verò  
pluit, & demississimæ sunt, vix putat 500. passibus abesse.  
Hinc sequetur, infimam regionem, quæ à terrā ad pro-  
ximas nubes extenditur, solos 500. passus altitudinis habe-  
re, medium verò, 3500. Tanta enim erit intercedēdo inter  
imam & summam nubem. Verūm hæc mensura Cardani  
pro infima regione nimis brevis est, uti Posidonij nimis  
ampla. Nam existimavit non minus 40. stadiorum ( id est,  
quinque milliarium ) à terra altitudinem esse, in qua nubila ac  
veniti nubēsque proveniunt.

Dico ergo Primo: Convexa, sive suprema pars mediæ  
regionis, quatuor circiter milliaribus Italici abesse videtur  
à superficie terræ. Argumentum meum est, quod montes  
quidam, altitudinis perpendicularis milliarium quatuor,  
quandoque cano vertice visantur. Igitur nubes, quæ est ma-  
teria earum nivium, eosque pervenient. Antecedens pro-  
bari fortasse exemplo Atlantis in Africā potest, quem Dion  
altissimum montium ( falsò tamen ) appellat. Nihilominus  
excelsissima ejus juga perenni nive albentia, non multò  
brevius, quam quatuor milliaribus à plano terræ fortassis  
attolluntur. Nam Suetonius Paullinus, quem Consulem se  
vidisse Plinius scribit, decimis solum castris in verticem  
ejus pervenisset dicitur. Nec tamen per ardua illa & in-  
hospita juga quæ à mortali nullo, ut testis est Dion, adiri  
possunt, exercitum traducere potuit.

Lib. 5. c. 1.

Etnæ etiam cacumen nivale, nec supra medianam regio-  
nem est. Cùm tamen Francis. Maurolycus Abbas Messa-  
nensis

nensis in Siciliâ & Atnæ accola, affirmet, ex eo subiectum mare Mediterraneum ad 200. milliaria adspici. Vnde Snellius in Eratosthene colligit 40. circiter stadia perpendiculi, sive milliaria quinque. Detrahamus ergo unum milliare propter refractionem ( nam oculus è vertice montis , per aërem vaporosum mari incubantem , longius extenditur & partes aliquas superficie maris infra horizontem visibilem conspicit ) & remanebunt milliaria quatuor. Ac profecto non multo humiliorem Atnæ verticem, inde etiam intelligitur, quod Snellius ab oculatis testibus se cognovisse dicat, fumum & favillam Crateris ejus è portu Melitensi palam videri. Vnde conficit, altitudinem 31<sup>1</sup>. stadiorum esse , id est, iterum milliarium paullominis quatuor.

Secundò: Infima superficies mediae regionis, 500. circiter passibus, sive dimidio Italico milliari, à terrâ distat. Nubes enim proximæ , quales sunt atræ illæ & pluentes , vix longiori intervallo dividuntur à nobis. Liquet experimen-  
to subeuntium Italiæ Alpes. Deinde notavi aliquando in nube pluviosa & supra verticem nostrum tonante, interval-  
lum temporis inter tonitru & coruscationem fulminis , par-  
fermè esse cum spatio, quod inter flammarum tormenti majo-  
ris & crepitum intercedit, explosi ex distantia dimidij mil-  
liaris.

Exinde autem apertè colliges, mediæ regionis profunditatem esse milliarium 3<sup>2</sup>.

Tertiò: Profunditas infimæ regionis dimidij solum est milliaris. Tantulum enim jam ostendimus intercedinem terræ & propinquissimæ nubis.

Solet autem altitudo hujus regionis definiri resultu ra-  
diorum Solis à terrâ. Putantur enim vulgo radij non altius quam ad imam & concavam nubium superficiem resilire. Itaque plerique sic finiunt: Infima regio est pars aëris , quæ à terrâ versus cælum porrigitur , quatenus radiorum Solis reflexio pertingit.

Multi tamen hodie censent, eam longè altius, & ad ipsam

## 10 LIBERTI FROMONDI.

etiam Lunam pervenire. Si enim Luna, & Venus, ceterique Planetæ, qui corpore opaco & terræ simillimo sunt, lucem Solis ad nos usque tam ubertim reflectant, cur terra vicissim usque ad ipsos Planetas reiucere non possit? Credo equidem, quod si oculus quispiam in orbe lunari foret, globum terræ & aquæ, instar ingentis sideris (nam terra ferè quadragies est Lunâ major) à Sole illuminarem conspiceret. Species igitur visiles splendoris exciperet: quæ aliud non sunt quam radij luminis, ut in Libris de Animâ demonstrabimus.

Itaque proprius verum erit, si affirmes, infimam regionem sursum finiri, ubi radij Solis à tellure reflexi ita deficiunt & languent, ut nihil, aut parum radij directi calefactionem adjuvare queant. Ibi autem nubes concrescere, & vaporess redire ad naturale frigus incipiunt. Sive potius (ut ex intimo meo sensu dicam) ibi primæ nubes stant, & vaporess ascensum suum finiunt, ubi aërem se leviorem, aut paris ponderis inveniunt. Alibi enim ubique natura hanc servat legem, ut leviora tam altè scandant, donec medij in quo ventur partem minoris ponderis, aut æquilibrem reperiant.

## ARTICVLVS III.

*De figurâ regionum aëris.*

**D**ico Primo: Concava superficies infimæ regionis est pñè rotunda, & qualis convexa globi terræ & aquæ, quem proximè amplectitur & tangit.

Secundo: Convexa ejus superficies, est figuræ propriæ ovalis. Nam talis est concava superficies mediæ regionis, cui convexa infimæ se conformat, & quam undique contingit: Idcirco autem concavitas mediæ est ovalis, quia exhalationes & vaporess in Zonâ torridâ magis rarescunt, & altius scandunt, quam in frigidis & temperatis. Et hinc in istis utrimque Mundi verticibus, id est, sub polis propriis telluri incubant nubes, nec ad dimidium totum milliare di-

stant.

stant à superficie ejus. Paullatim verò, & molli quodam cli-  
vo per temperatas in torridam ascendunt : ubi concavitas  
altissima est, & veluti gibbus ac media crassities figuræ ova-  
lis. Vnde sequitur, nubem è Zonâ torridâ per temperatam,  
sub polum, ventorum flatu expulsam, perpetuò crassescere,  
& descendere versus terræ superficiem. Quæ omnia pri-  
more aspectu, magnâ verisimilitudine creduntur. Sed ta-  
men bene inspecta difficultatem habent

Nam licet vapores sub polis, utpote calore languidiore  
resoluti, densiores sint; aër tamen per quem scandunt cras-  
sior etiam & pinguior, quæm sub Zonâ torridâ est: igitur  
æquè altè ascendent, atq; vapor Torridæ tenuior, per aërem  
rariorum. Vbi enim est æqualis proportio corporis levioris  
ad medium gravius, æqualis etiam erit ascensus. Ut si statuas  
totum spatum inter Lunam & terram aquâ plenum esse,  
eodem modo in summam aquæ superficiem suber enitetur,  
atque tenuissima exhalatio per aërem tanto aquâ rariorum.  
Igitur ratio aliqua necessariò reperienda, quæ ostendat te-  
nuissimum vaporem torridæ, raritate magis superare aërem  
infimæ regionis ejusdem Zona per quem in medium regio-  
nem ascendit, quæm Zonæ frigidæ vapor aërem suum exce-  
dat. Caussâ autem est in majori æstu torridæ. Quia enim ibi  
angulis rectis, aut propè, radij in terram cadunt, & in seipso  
reflectuntur, multiplicatâ in angustiori spatio luce acerrime  
vrunt, exhalationem ac vaporem statim ac celerrime in  
maximam raritatem dissolvunt. Sic ignis magnus & valens,  
injectam papyrum, in flammarum tenuissimam sine fu-  
mo statim absunit; parvus vero aut lentus fumare tan-  
tum facit, & sine flammâ pigram suscitat exhalatio-  
nem.

Ex quibus quoque satis intelligitur, infimam regionem  
in eadem etiam Provincia, qualitatibus vertentis anni varia-  
ri. Æstate enim altissima est, hieme summissior. Possunt ta-  
men ardentissimo Sole humillimæ esse nubes. Quales atræ  
illæ nimborum æstivorum, aut fulminum genitrices, quæ  
humore multo gravidæ, & antiperistasi caloris constipatæ,

in infimum aërem fervore anni tenuatum profundè descendunt.

Tertio: Convexa superficies mediæ regionis videtur etiam ovalis. Si enim in zona torridâ vapores scandant altius, quam in frigidis & temperatis: ergo dorsum mediæ regionis gibbo quodam in supremam regionem assurgit. Vnde etiam similis figura est concavitas supremæ regionis, quæ dorsum illud gibbosum cingit. Convexitas vero ejus rotunda est, sive fornicem cæli, sive concavum alicujus sublunaris ignis proximè contingat. Concavitas enim illius ignis etiam existimatur sphærica, quia omnes undique partes æquis viribus nituntur sursum.

#### ARTICVLVS IV.

##### *Qualitates regionum aëris.*

**Q**ualitates primæ aëri naturales adhuc in incerto sunt. Aristoteles facit aërem naturā calidum, Stoici & Cardanus frigidū, Turnebus neutrum, sed omnium ex aequo capacem. Alibi arbitrabimur fortè hanc litē. Nunc de qualitatibus regionū ejus, sive eæ à naturā, sive foris veniant, dicam.

Primo igitur: Suprema regio, ab exhalationibus fervidis, eō se per medias nubes transcribrantibus, vel liberè celo sereno & innubi scandentibus, calida est & sicca. Vicinitas deinde celi & siderum, sine ullo supernè nubium velamento, calorem ejus auget. Eleganter Iovianus:

*Vltima torrenti semper sitit usta calore;*

*Flamarum consueta vagos involuere tortus.*

Hinc refert Solinus, eos qui in Olympi cacumen ascenderant, secum portare solitos spongias plenas aquā, ad suuctum & temperandam aëris ferventis respirationem: Negavi tamen antè verticem Olympi penetrare in supremam regionem. Certius ergo exemplum in altissimis Peruviae montibus habemus, ubi Iosephus Acosta, in tenuissimo ibi aëre fere exspravit animam, ut antè narravi. Ex hac supremi aëris

qualitate recte coniecat Scotus planitem Paradisi non fuise excelsorem mediâ regione; quod quidam contendebant. Scot. 2. d.  
In Paradiso enim ver perpetuum, & summa aëris tempes 17. q. 2. fuit. Vnde nec cacumen ejus nubes attigit.

Secundò: Media regio humida est & frigida, à vaporibus aquæ & exhalationibus terræ ibi pendulis. Patet experientiâ peregrinorum transeuntium per Alpes & medium aeris regionem, in Italiam. Quod autem quidam à solis aquæ vaporibus refrigerari eam regionem dicunt, exhalationibus terræ in supremam regionem semper scandentibus, aut frigore & constrictione nubium eò expressis, verum non est. Nam plurimæ exhalationes ibi hærent, ut ex rubidine nubiū, ex materia ventorum, nivium, grandinum, nebularum, stellarum cadentiū, & fulminum patet. Conimbricenses tamen frigus illud à Deo olim esse productum, & jam conservari credunt. Sed Deus in talibus effectibus uti consuevit ministerio causarū secundarū. Itaque potius à vaporibus & exhalationibus eò scandentibus aër ille refrigeratur. Nec assentior Ludouico Coronello/ is Philosophus Nominalis est, & Hispanus, quod mireris, qui raro addicti sunt Occamistis, qui sentit sub torridâ nullum esse frigus mediae regionis, neque ob intolerantiam caloris ulla nubes coagulari. Sed fallitur. Quia à centum paullò amplius annis hæc scribebat, quando nondum omnibus satis erant notæ pluviae & diluvia, quæ sub ipso etiam Æquatore inundant, quando Sol est in Æquinoctijs & capitibus eorum perpendicularis.

Nullibi autem, quām circa montes, frigus mediae regionis majus & nubes pertinaciores. Terræ enim montanæ & cautiū rigor, vaporis ibi coagulum adjuvat, & ita conservat, ut circa totum annum nubila verticibus montium incubare, aut ipsos coronare cernantur.

Tertiò. Infima regio, omnes qualitates primas vicissim recipit. Iovianus rem versu dicat:

*Prima æquè patiens est frigoris, atquè caloris,  
Alternasque vices alternâ vice rependit,  
Veretepens, aestate calens, eadem horrida bruma.*

Causa hujus vicissitudinis penes reflexionis varietatem est; quâ radij Solis obli quiori angulo hieme, quâm æstate incident in terram & resiliunt in altum. Angulus enim incidentia par est angulo reflexionis, ut in speculis experiri licet. Hinc æstate Sol vertici nostro magis admotus, angulo reæriori terram irradiat, & reflexus ab eâ radius in directum radium pñè recurrit; ac istâ utriusque radij propinquitate calor uberior provenit. Auctâ enim causâ, augetur effusus. Vel si alia imago dicendi magis placet. Sol hieme, et si in Perigæo & vicinior nobis, obliquo tamen radio terram ferit. Et quia montes, ædificia, plantæ, & infinita alia sunt quibus terræ superficies asperatur, umbras innumeræ, et si non semper visibles, creant, quæ lumen extenuant debilitantque, ne adeò sit calorificum. Et hinc etiam partim est, ut versperi ac manæ, quando umbræ longiores sunt, æstus mollescat & refrigeretur. Per æstatem autem, quia Sol nostro Zenith propinquior est, montes, & quæcumque in superficie terræ eminent, magis à vertice despicit, & undique in orbem illustrat, detersâ circumcircâ omni ferè umbrâ. Vnde etiam loca quæ hibernum Solem sine umbrâ excipiunt, ut montium clivi, & parietes ædificiorum, satis incalescunt, nivesque adhærentes statim exerente se Sole contabescunt. Ita Cardanus rationem concinnandi hortum ostendit, qui totâ etiam hieme olera & fructus nutriat. Pariete scilicet mobili, & ad elevationem & depressionem Solis sic composto & modulato, ut angulis semper rectis incidentes radios excipiat, & in subiectum horti fundum regerat ac disseminet. Nescio an non simili olim artificio, Entellus ille apud Martialem, vuas suas hibernis mensibus alebat. Lapide quoque speculari (cujus olim frequens fuit, ut nunc vitrorum nostrorum usus) vites inclusisse videtur, ut cæli injuriam ab ijs defenderet, deinde ad multiplicandum refractione lumen & incrementum caloris.

*Qui Corcyrae vidit pomaria Regis,  
Rus, Entelle, tue preferat ille domus.*

*In vido*

Lib. 4. Sub-  
til.

*Invida purpureos urat ne bruma racemos,  
Et gelidum Bacchi munera frigus edas;  
Condita perspicua vivit vindemia gemma,  
Et tegitur felix, nec tamen vua latet.  
Femineum lucet sic per bombycina corpus:  
Calculus in nitida sic numeratur aqua.  
Quid non ingenio voluit natura licere?  
Autumnus sterilis ferre iubet hiems.*

Et fortasse aquarum calentium, & domestici etiam ignis fomentum addebat. Nam delicatulos quosdam tunc Romæ solitos tali artificio rosas & lilia hieme mediâ educere, colligo ex Seneca. *Nón viuunt, inquit, contra naturam, qui hieme concupiscunt rosam, fomentoque aquarum calentium, & calorum apta mutatione imitatione mavult.* Lipsius noster; sed nihil muto. Mutatio enim caloris necessaria, ut alternatio diei & noctis ad flores quos natura, non ars, producit) *bruma lilium vernum florem exprimunt?* Vidi etiam in media & gelidissima Arduenna qui igne domestico supposito melones tam exactè maturarent, quām solari igne maturantur in Italia.

Breviter igitur, ut ad diverticulum revertar, calor æstate, quām cetero anno, flagrantior est, quia à causâ calorificâ majori & lumine magis conferto excitatur. Lumen enim maximè multiplicant reflexiones, quæ æstate plures ad idem aëris punctum, quām alio tempore, fiunt. Hinc enim etiam, ubi Sol vallem aliquam, inter nudas præsertim cautes, verberat, in immensum quodammodo augetur calor; quia undique ad eadem puncta aëris, à cautium & saxonum superficie, radij reflectuntur, focosque ubique construunt, ut novi Optici jam loquuntur. Seneca quoque aliquid ad infinitæ regionis tempore conferri putat spiritu illo, qui omnibus animalibus, arbustisq; ac satis calidus est. Nihil enim viveret sine calore. Adiace nunc, inquit, ignes non tantum manu factos & certos, sed opertos terris; quorum aliqui eruperunt, innumerabiles in abscondito flagrant & obscuro semper. Etiamnum tot partes eius fertiles rerum, habent aliquid reporis; quoniam sterile est frigidum, calor autem gignit.

Lib. 2. cap.  
10. Nat.

ARTI-

*Quomodo radius Solis directus non impedit nubium in  
media regione concretionem.*

Scor. 2. d.  
17. q. 2.

Licet lib. 2.  
c. 65. de no-  
vis astr.

**S**COTUS duas caussas privativas afferit frigoris mediæ regionis, parentiam caloris producti à radio Solis reflexo, qui tam altè non resilit, & parentiam producti à directo. Sed cur radius iste à cælo directè in nubium tergum dejectus, non eas tepefacit saltem, aut etiam dissolvit? Quiáne forte sicuti lumen gemmarum, putrium fungorum, piscium lucernarum, non calefacit, imò Lunæ frigefacit, ut inquit doctissimus Fortunius Licetus; ita radius Solis directus vi calorificâ caret, caleficitque solâ reflexione, atterendo aërem, humoremque exprimendo, ut ignescat? Non existimo. Nam radius directus ejusdem cum reflexo naturæ est; cur non ergo etiam calefaciat? Nec attritionem illam, & expressionem humoris ex aëre possum capere. Radij enim corpora non sunt, nec tam dura quam silex & chalybs, ut mutuo affictu aér medius & deprehensus ignescat. Deinde quis eos sic collidit?

Thomistæ quidam se omnibus molestijs defunctos putant, si dicant lumen Solis, non secundùm gradum ultimum specificum, quo calorificum est, sed secundùm gradum tantum generalem qualitatis, in nubes recipi. Sed gradus genericus & specificus in eodem individuo, in unam omnino essentiam coalescunt, nec divelli queunt. Non potest igitur radius lucis abijcere gradum specificum in nubibus, reten-  
to tantum generico, & illum deinde in aëre insimæ regionis iterum resumere. Locutio tamen sic tolerari potest, & ita D. Thomam explico. Lumen non exerit omnem effectum in nubibus, quem alibi potest; non enim calorem insignem ibi fundit. Atque ita gradus luminis specificus & calorificus ibi ex parte saltem otiosus est, & veluti non esset. Sed otij hujus caussam investigamus.

Alij passim huc configiunt, Vnico tantum radio, eoque directo

directo, medium regionem dicunt penetrari; infimam duplicit, directo ac reflexo, ideoq; infimam regionem duplicato radio magis incalescere, quam medium simplici. Sed creduntur se esse extra litem? Non sunt. Sic enim in medium rixam possunt retrahi. Radius a caelo ad terram uniformiter diffinmiter, ut loquimur, remittitur & languescit: igitur in media regione, quam in infimâ, plenior & intensior erit. Sed rem ad calculum deducamus. Sit in supremâ regione, quæ propinquior caelo, intensus ut 6. in mediâ, ut 5. in infimâ, ut 4. in superficie terræ ( unde fit reflexio ) ut 3. Quia autem reflexio debilitat lucem ut demonstrant Optici, non redibit eadem intensione sursum, quam deorsum in longum, sublato Vitell. I. 5.  
th. 3. terræ obstaculo, propagatus fuisset. Decrevisset autem directè protractus, a tertio usque ad secundum gradum. Ut ergo debilior sursum reverberetur, oportet solum reflecti ut unum. Ita enim etiam pila lusoria impacta in murum, minore impetu resilire solet, quam transuolasset muri profunditatem per foramen, si quod ibi forte incidisset. Componere igitur jam radium directum quatuor graduum infimæ regionis, cum radio a terrâ reflexo unius gradus, ex utroque simul lumen quinque solum graduum conficies; quot sunt scilicet in radio directo mediæ regionis. Ergo lumen in infimâ regione non est, quam in mediâ, ad calefaciendum potentius. Sed in infimâ dissolvit vapores, ergo in mediâ tantumdem valebit.

Hoc tamen experientia longè refellit. Quia media regio manifestè frigidior, quam infima est, & in ea sic coagulantur nubes, ut concretio per radium solarem disturbari non possit.

Dico tamen Primò: Sicuti tota catena & circulus mediæ regionis non ubique est pari frigore; ita potest hic & ibi sparsim, brevi aut longiori tempore, totum illud insigne frigus perdere, quo vaporem eò scandenter in nubes adstringit. Id sàpè viridi caelo & defæcatissimo ab omni nubilo reor accidere. Cùr enim necesse est semper vaporem aliquem ibi hærere, qui aërem illum refrigeret? Certè arenosis

illis & arenibus Africæ desertis nullæ incubant nubes, nisi aliunde adductæ ventorum flatibus. Si vero ibi catena nubium fracta sit, quare densitas aëris mediæ regionis, calore mollescere & fundi non potest, ita & terebrata radio directo Solis? Cur etiam exhalationum siccaram & pænè ardentium, quæ ex regione inferiori, illâ in superiora traiuntur, fervorem non sentiat? Cur non undique complectentis & dorso imminentis supremæ regionis æstum? Imò si rem ad vivum, & ad Mathematicam præcisionem reseces, radius directus per medium regionem serenatam & innubem, trajectus, ibi, ut ante jam diximus, quia vicinior est cælo & suo fonti, uberior & magis calorificus, quam in infima regione erit; quamquam fortasse discriminem sensui manifestum esse non possit. Nam sat credo, per multorum etiam milliarium distantia, radium solis aliquâ parte intentionis defecisse, sensu vix posse intelligi. Pulchrè Seneca:

*Lib. 4. cap.  
11. Nat.* Qui dicit altiorem montem, quia Solem propriùs excipiat, magis calcere debere, idem dicere potest, longiorem hominem citius quam pullum debere calefieri, & citius caput eius quam pedes. At quisquis Mundum mensurâ suâ estimaverit, & terram cogitaverit tenere puncti locum, intelliget nihil in illâ posse ita eminere, ut cælestia magis sentiat, velut in propinquum illis accesserit. Nimis Stoicè & rigidè tamen hoc. Quid si enim Solem in Empyreo (cujus comparatione Orbis Lunæ cum inclusio Mundo elementari, instar etiam est puncti) constitutas; nonne Luna magis illuminationem & actionem Solis, quam terra sentiat? Noli etiam eodem Senecæ arguento abuti, ut probes, nullam debere esse distantiam caloris apud nos æstate ac hieme, nullam æstatis in Hispania & Belgio; quia terra comparatione cæli instar puncti est, nec pars puncti quam Hispani calcant, hilum distat ab ea quæ subest Belgarum vestigijs. Nam licet res ita sit, rectitudo tamen & obliquitas irradiationis in tanta propinquitate, maximi ad incrementum aut decrementum caloris momenti est, propter longè dispares à superficie terræ radiorum reflexiones, quæ lumen in eosdem focos coacervant, aut dispergunt; ut mox dicam,

Secun-

Secundò: Nubes mediae regionis opacitate suā radium Solis sic debilitant, ut in calorem haud multum valeat. Non enim quodlibet lumen calefacere potest, sed certa intensio-  
nis mensura necessaria est. Aut saltem, licet naturā suā ca-  
lorificum sit, in tali subjecto tamen nihil omnino, aut quod  
sentiri & aestimari debeat, efficere valet, ob insignem repu-  
gnantium frigoris. In infimā vērō regione nubes non con-  
sistunt, quæ opacitate radium strangulent, sed aér ibi totus,  
si extra nebulam est, pellucet; vapore crassiori quidem  
quām sint fumi nubium, ut Lib. V. ostendam, intertextus,  
sed diaphano tamen, quique radium frangat quidem, sed  
transmittat. Præcipius tamen infimae regionis æstus, non  
à radio directo, sed ab innumerā radiorum sese in omnibus  
aëris punctis intersecantium reflexione, ut Artic. proximo  
dixi, venit. Multiplicatis enim per reflexiones varias à diver-  
sis terrę superficiebus & in unum foculum concurrentibus  
radijs, certum est ex speculis incendiarijs, calorem & ignem  
accendi. Et hinc liquet, non rectè à nobis antē positum esse  
calculum, dum tantumdem luminis esse in mediā regione,  
quantum in infimā colligebamus. Nam reflexiones ab in-  
finitis terrę asperitatibus radios in eundem locum coniici-  
entibus, in immensum infimi aëris lumen auctum eunt. Ideo  
enim à sapientissimo Opifice terrę superficies sic exaspera-  
ta fuit. Ut, inquam, lumen varijs repercussionibus ubique  
velut in nodos se colligeret, focusque inumeros ac-  
cenderet, qui plantis alimenta in terrā coquerent, & vitali  
eas calore animarent.

Si tot in aëre infimo foculi sunt, inquires, cur cum calore  
suo non soluunt, & rariorem aëre medię regionis faciunt?  
Sed faciunt, sine dubio. Et veluti in lagenā humore plenā  
quasdam atomos perpetuò scandentes, alias descendentes  
aspicis; ita in aëre qui infrā nubes est, pars circa terram, ubi  
calore laxata fuerit, sursum in nubes, aut quoisq; aliam par-  
tem ejusdem levitatis invenerit, perpetuò subit, desiden-  
te alterā quę plus proni & gravitatis habuerit. Nam subita  
illa frigora, quæ alij in cælestes influentias referunt, ego

dare malo aëri mediæ regionis algido , & in terram subitò subsidenti, nullo etiam manifesto flatu, ut Lib. 1V. cernere licebit.

## ARTICVLVS VI.

*An superior aëris regio raptu cæli circumducatur.*

**N**ihil vulgatus in Scholis nostris, & omnium ferè libris, quām elementum ignis, & supremam aëris regionem, motu primi mobilis ab Ortu ad Occasum quotidie circumagi. Verūm, quid alij faciant, nescio; ego certè olim & semper tricas intricatissimas reperi in hoc motu. Estue enim tractio, an pulsio , an vectio iste raptus ? Non tractus; quia quæ se trahunt , per asperas superficies , vel vinculo aliquo nexa esse debent. Cælorum vero superficies, ut omnes fatentur , glaberima est. Non etiam pulsio ; quia impellens locum alterius intrare nititur. At superficies cæli in eodem semper circumcisè spatio se gyrat, nec aëris aut ignis locum intrare affectat. Quæ vehuntur etiam , aut vinculo quoipiam, aut pondere suo affigi vehiculo debent. Sic equus currum alligatus vehit , & hominem gravitate suā in curru defixum. Deinde, ut experiri cum Galilæo licet, vase rotundo in eodem spatio circumacto , inclusa candelæ flammula non extinguitur , imò ne vibratur quidem: ergo signum est, aërem inclusum, non rapi in orbem , motu superficie concavæ vasis. Quibusdam sufficit respondisse, ignem, aut aëra cælo subjectum , raptari, ut cælum inferius à superiori proximè ambiente. Sed in isto etiam par est, aut etiam major difficultas.

Itaque quispiam fortasse neget aërem illum motu cæli circumduci, & ab ijs longissimè recedet, qui Oceanum etiam eodem raptu ab Ortu in Occasum volunt abripi , ut Lib. V. referemus. Sed præter autoritatem Aristotelis, etiam Cometarum infra Lunam motus me trahit , imò ferè evincit, ut aëri sublunari motum illum relinquamus. Nimis enim perti-

tinaces, simus, si nullum Cometarum qui cottidianâ perio-  
do ab Ortu ad Occasum circumeunt, esse Lunari orbe infe-  
riorem asserere perseveremus. Videntur autem isti Come-  
tæ sublunares ab aëre in quo natant circumvehi.

Quis ergo motum illum aëri facit, si cælum non impri-  
mit? Intelligentiam huic muneri alligare, nimis fortasse fri-  
gidum sit, nec pro philosopho, qui in ultimâ solùm despe-  
ratione, in hæc latibula confugere debet. An vim magneti-  
cam inserere magis placet? Sic enim ferrum, etiam sine  
contactu, magnes trahit. Sed hoc alterum est ignorantiae  
asylum. Deinde vim istam per totum cæli forniciem diffu-  
sam esse oportebit: ergo in tanta cæli amplitudine, maximè  
efficax erit aëremque etiam hunc inferiorem, & quæ in eo  
pendent nubes, in orbem cottidie circa terram ager.

Alius ergo modus est, si aërem supremum fornici cæli  
tamquam, ut sic dicam, centro inniti levitate suâ statuas.  
Veluti enim lapis gravitate superficiem terræ premens, unâ  
circumferretur, si terra circa centrum suum gyaretur; ita  
fortè ad raptum superficie cæli, incubans & levitate eam  
premens inferior aër, ab ipsâ in orbem portabitur.

Verum nec hoc valde allubescit. Quia sic premi ab ele-  
mentis levibus cælum non existimo; nisi fortè maximâ &  
insolenti aëris aut ignis raritate intumesceret totus Mundus elementaris. Sed id non solet. Nam una parte rarescen-  
te, altera condensatur, ut eodem cæli concavo elementa  
semper capi possint, neque cælum premant, ut occupent  
ampliorem locum.

Deinde sic non semper aér cælum sequeretur, sed solùm  
quando raritate diffundi & intumescere contingeret. Ele-  
menta autem levia non incumbunt naturaliter cælo, ipsum-  
que obnituntur in altum levare, quia ijs non debetur cælo-  
rum locus. Lapis vero nisi terræ sustentaculum subiectum  
haberet, præcipitaret se lubenter ad centrum.

Quò ergo vertimus sententiā? Dic, Planetas ocyssimo illo  
raptu, quo se cottidie per ætheris liquidi curricula gyrant,  
ætherem quem scant & propellunt, raptare etiam in or-  
bem.

bem secum. Quod non tam valde miraberis, si gruum, columbarum, aut sturnorum gregatim volantium turmas aërem quoque ante se agere cogites. Si deinde, præter septem notissimos Planetas, astra etiam Medicea, Borbonia, & innumera fortassis ( imò vix dubito ) minora alia, in eodem æthere turmatim voluntia perpenderis. Asperitas quoque quorumdam Planetarum ad hunc ætheris impulsu valere aliquid potest. Rotunditati enim, quæ globos in orbem terit, aëri minus resistit, repugnat vero contumaciis angulis, magisque vicissim frangitur & propellitur ab ipsis. Nec necesse est, ætheris raptum ad orbitam Lunæ statim finiri: quia jure & vinculo continuitatis aër, sive ignis qui infra Lunam est, aliquousque sequi valet. Fortasse etiam Lunæ tot montes & verrucæ ab Opifice sunt dati, ut aerem inferiorē, his veluti uncis & retinaculis injectis secum abriperet, quod Fortunius Licetus nuper credidit. Si autem raptus aeris sublunarî aliter expediri nequit; ecce nobis nova machina ad diffingendam orbium Planetarum soliditatem, cuius antea numquam in mentem venit. Id est, inde colligo Planetas per liquidum æthera discurrere, quia ipsi ætherem in quo natant Cometæ, secum abripiunt; quod facere non possent, si solidis orbibus essent infixi.

## ARTICULUS VII.

*Quousque regiones aëris purgandæ extremo conflagrationis igne.*

Scot. 4. d.  
47. q. 2.

**T**Heologi eosque regiones aëris igne illo, quo in fine ardebit Mundus, purgandas existimant, quousq; famus sacrificiorum oblitorum idolis sursum ascendit. Tam altè enim Mundi superiora quodammodo polluantur; ideoque igne illo expiari oportet, qui omnes peccatorum reliquias consumet. Imò, quia omnem universim elementorum impuritatem digerere & absumere eum oportet, eatenus vim & activitatem suam exeret, quatenus vaporum & exhalatio-

num

num subtilissimæ , sive ex sacrificijs , sive terrâ mariquæ resolutæ , altissimè in cælum scandunt . Si autem nulli sint solidi Planetarum orbes ( quod Cōmetarum supra Lunæ semitam ascensus indicat ) ignis ille conflagrationis non tantum aërem infra Lunam , sed etiam ætherem in quo volunt Planetæ , corripiet & purgabit . Imò Planetas ipsos & sidera fixa ustulanda & lustranda plurimi Patrum , & præser-tim Græci existimant . Nam Mundus universus usque ad sidera ipsa peccatis hominum contaminatus est ; velut tem-pla nostra , sanguinis , aut semenis effusione , non solùm in pavimento & parietibus , sed usque ad lacunaria & fornicem ipsum pollui existimantur , & lustratione sacrâ purgationeque indigent . Sol enim & Luna , totaque militia cæli ab impijs in scelerum suorum instrumenta conversa sunt , & diei noctisque sacratissimis luminibus , eorumque influentijs homines abusi , & se & ipsa quodammodo secum consceleraverunt . Solis quoque ac Lunæ militiæque cæli idololatria Creatorem maximâ affecit injuriâ ; quia siderum adoratores committarunt veritatem Dei in mendacium , & coluerunt , & servierunt creaturæ potius quam Creatori , qui est benedictus in secula . Debet ergo latræ injustè sideribus collatus honos igne conflagrationis detrahit , & Domino suo restitui , ut idololatræ deos suos ardentes videant , & confundantur qui tam infirmis creaturis divinitatem sui Creatoris stultissimè tribuerunt .

Et hic SS. Patrum , qui à temporibus Apostolorum proximè abfuerunt , sensus fuisse omnino videtur .

Nam S. Iustinus in Apologia pro Christianis ad Imp. Antoninum Pium , Hadriani successorem , excusans hanc Christianorum de Mundi conflagratione sententiam , solùm respondet , idem quoque Philosophorum Stoicorum esse dogma , eandem universi conflagrationem à Sibyllis & Hydaspi Gentilium prophetis olim decantatam . Sententia vero Stoicorum fuit , non solùm terram , aquam , aërem , sed orbes quoque cælestes & siderum globos terribili illo incendio solvendos esse . Senecam enim Stoicorum inter Latinos

Consolat.  
ad Marc.  
c. ult.

Latinos Principem audiamus. Cum tempus, ait, advenerit, quo se renovaturus Mundus extinguat, viribus ista suis se cadent, & sidera sideribus incurront, & omni flagrante materia, uno igne quidquid nunc ex disposito lucet ardebit. Ista verò quæ nunc ex disposito lucent, & ineffabili nobis ordine cæli fornicem exornant, sidera sunt, quæ arsura dicit. Vnde ex eadem disciplina Seneca junior.

In Hercul.  
Octz.

Celi regia concidet,  
Certos atque obitus trahet,  
Atque omnes pariter deos  
Perdet mors aliqua & Chaos.

Hanc quoque ~~ex~~<sup>ex</sup>ib<sup>z</sup>ac<sup>y</sup> carmen istud Sibyllæ Cumanæ apertissimè cantillat.

Mundus erit iam non Mundus, populi que peribunt,  
Heu miseri ardentes, & calum suspiciētes,  
Calum non astris rutilum, sed ab igne laborans.

Quos versus paullò elegantius Latinè in sua Metamorphosi sic reddidit Ovidius:

Esse quoque infatis reminiscitur affore tempus,  
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cali  
Ardeat, & Mundi moles operosa laboret.

Istos etiam sine dubio Sibyllinos versus aspexit Ecclesia, cum in Officio defunctorum cani instituit:

Dies iræ, dies illa  
Solvet seclum in favilla,  
Teste David cum Sibylla.

Paullò post S. Iustinum vixit Minutius Felix, Christianus itidem, & Romanorum caussidicorum disertissimus. Hic in præclaro illo Dialogo quem OCTAVIVM vocat, Cæciliū quendam Gentilem inducit improperantem Christianis, Quod calo & astris interitum denunciarent. Quid verò Octavius Christianus Cæcilio respondet? An falsum esse, & hoc mendacio Christianis calumniam factumiri? Nequam. Sed confitendo verum, reponit tantum: Et Stoicus constans opinio est, quod consumpto humore Mundus hic omnis ignescat. Et Epicureis de elementorum conflagratione, & Mundi ruina

*ruina, eadem ipsa sententia est.*

Vnde patet, quænam fuerit Patrum primævæ Ecclesiæ de conflagratione siderum & cælorum sententia, quam è proxima Apostolorum manu videntur traditam accepisse.

Si deinde inter doctos auctoritas Librorum Recognitio-  
num S. Clementis constaret, res confecta esset. Nam in  
istis Libris S. Petrus cum Simone Mago differens, docet  
cælum hoc visibile & sideribus illustre Mundi incendio sol-  
vendum esse. Et cùm Simon instaret, Cur ergo fabrica-  
tum eslet, si dissolvi oporteat? Respondet, comparatione  
exili quidem, sed satis concinnâ S. Petrus: *Sicut testa ovo-  
rum, quamvis pulchrè facta & affabré tornata, debet tamen frangi,*  
*ut inde pullus exeat, & illud appareat, propter quod tota ovi figura*  
*effigiata fuit; ita huius Mundi necesse est transire statum, ut status al-*  
*ter sublimior regni celestis effulgeat:*

Lib. I. Rec.  
cognit.

Similem quoque innovationis cælorum causam indicant  
Græci Patres. Mundus enim iste corruptibilis, ait S. Basilius, incolæ suo corruptibili consentaneè efformatus est. *Homil. r. H: xam.*  
Vnde quando electorum corpora in speciem aliam glorio-  
fiorem & immortalem reformabuntur, decet ut & vetus eo-  
rum domicilium sursum deorsum eventiletur, & cæli ac  
elementa in amoeniorem faciem tranfigurentur. Videmus  
quippe etiam in rebus humanis id servari, ut auctâ digni-  
tate homines soleant augustius habitare.

Ideo S. Ioannes in Apocal. ait se *cælum novum ac terram novam* vidisse. Et Dominus apud Isaiam, *Ecce, inquit, creo cælos novos & terram novam.* Et ad hanc novitatem cælum, terra, & omnis creatura suspirans, *ingemiscit & parturit usque adhuc*, ait Paulus, *ut liberetur à servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Eandem sidereorum cælorum per ignem conflagrationis immutationem, præter Iustinum, Irenæum, Basilium, Chrysostomum, Ambrosium, fortiter asserit S. Hieronymus, in illud Isaiæ, *Levate in cælum (utique fidereum) oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia cæli sicut fumus liquefiant, terra sicut uestimentum atteretur.* Notatque Symmachum vertisse, ὄυγανδι ἀλιώσοντος cæli instar salis liquefient:

Apoc. 21.]

Isa. 65.

Rom. 8.

Isa. 51.

## 26 LIBERTI FR OMONDI.

Iob. 14.

Psal. 101.

Matt. 24.

Lib. 20. c.  
4. Civit.

1. Cor. 7.

2. Pet. 3.

Gen. 7.

Epist ad  
Ocean.

& Aquilam, ὅπανδε μετωπίσθαι, cælum comminuetur; quod rei solidæ & duræ liquefactionem & comminutionem significant. Veluti etiam illud Iobi, donec atteratur cælum: quod proinde in cælos aëreos molles & liquidos difficulter compete-re potest. Et nonne etiam de sidereis & notissimis cælis in initio Mundi à Deo conditis loquitur Psaltes, *Initio tu Do-mine terram fundasti, opera manuum tuarum sunt celi: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veteras-cent?* Et ne tamen prorsus perituri existimarentur, Dominus in Euangeliō, phrasis istius duritiem quasi emolliens, *Cælum & terra, ait, transibunt.* Quod enarrans S. Augustinus, puto quod, *Transibunt, aliquantò mitius dictum sit,* inquit, quam, *Peribunt.* Ut nempe cælum non in nihilum, aut in cineres & favillas abiturum peritrumq; omnino, sed in aliam figuram & faciem transformandum esse significetur. Ideoque etiam, ut S. Augustinus notat, Apostolus non dixit, substantiam, sed figuram huius Mundi præterire.

Quia tamen S. Augustinus ibidem locum S. Petri, *Celi magno impetu transiunt, & celi ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescunt, pertractans, dubitando ait, posse illos cælos intelligi perituros, per quos olim Mundus aqua inundatus perire ( id est cælos aëreos, quorum apertæ cataractæ terram diluvio obruerunt ) plurimi Theologi scholastici avidè hoc arripuerunt, tanquam opinioni eorum anticipatæ consentaneum, qua materiam siderum diversæ rationis ab elementari ab Aristotele didicerant, ac proinde caloris & qualitatum elementarium prorsus incapacem.*

Sed aliud profecto SS. Patres & Scripturæ sacræ in-nuunt, dum Firmamentum & cælos sidereos ac sidera ex-materia aquarum & abyssi concretos esse significant. Quid enim aliud verba ista, fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis &c. pñtē clamant? Vnde S. Hieronymus ea explanans, *Inter cælum & terram,* inquit, *medium extruitur Firmamentum, & iuxta Hebraici sermonis etymologiam, cælum, id est, Scamaim ex aquis sortitur vocabulum, & aquæ que super cælos sunt, in laudes Dei separantur.* Vnde & in Ezechiele crystallum super-

*super Cherubim videtur extensum, id est compactæ & densiores aquæ.* In Hexam.

Et Beda: *Qui crystallini lapidis, inquit, quanta firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas novimus; quem de aquarum concretione certum est procreatum: quid obstat credi, quod idem dispositor naturarum in Firmamentum cœli substantiam solidarit aquarum?*

Et idem docent Græci Patres passim. Vnicus Cyrillus *Catechesi*. Hierosolymitanus nunc sufficiet. *Stupere deberent, ait, intuentes*<sup>9</sup>. *celorum magnitudinem, qui adorare deberent constituentem tanquam fornicem cœlum, & ex fluxa aquarum natura indeficientem cœli naturam fabricantem.* Si igitur Firmamentum, & cœli siderei, sideraque ipsa ex fluxa aquarum substantia, tanquam crystallina quædam corpora concreta & coalita sunt, profecto caloris etiam elementaris materia eorum capax est, adeoq; nihil jam caussæ est, quare igne conflagrationis liquanda & purganda negemus: cùm tot SS. Patres, ex Spiritu sancti afflatu & ductu Scripturas divinas interpretantes, id asseverent. Vnde cùm S. Ambrofius multis congestis ex sacra Scriptura testimonijs, cœlos transituros & perituros probasset, *Nihil igitur agunt, inquit, qui propter cœli afferendam perpetuitatem, quantum corpus aethereum (quod Peripatetici faciunt) introducendum putarunt.* Vnde vereor, ne Aristoteli h̄c nimis tenaciter adhærentes, non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro sua itadimicent, ut eam velint Scripturarum esse, quæ sua est; cùm potius eam quæ Scripturarum est, suam esse velle debeant. Vnde præter tot vetustiores, sidereorum cœlorum conflagrationem inter Theologos, Catharinus, Salmeron, Molina, Serarius, Délrius, alijque ex sacris litteris defendunt.

Lib. I. c. 6.  
Hexam,

S. Aug. lib.  
I. c. 18. de  
Genes.

## C A P V T III.

## De caussa materiali meteororum.



RISTOTELES, & universi omnes post eum, excepto uno Paracelso, materiam omnium meteororum in duobus halibus constituunt, in Vapore calido & humido, qui Græcè ἀτμός, & exhalatione calidâ & siccâ, quæ ἀγαδυπλισίς. Calidi sunt, à calore externo

eos resolvente, & contra naturam. Vapor à naturâ humectus est , quia aquâ præsertim, & corporibus mixtis humidis aut succulentis; exhalatio sicca, quia terrâ præcipue, & mixtis arentibus extrahitur. Vnde halitus utriusque communis nil est aliud, quām substantia levis quæ è corporibus gravibus virtute caloris rarefacentis resolvitur. Talem autem terrâ & aquâ exhalari manifesto experimento deprehendit. Aquam enim lacuum, & fluminum , item terram imbre madefactâ fumare, agros etiam sitientes & hiulcos, Sole iectos tenuem quemdam & velut igneum halitum exspirare, oculis cernimus. Nebula etiam, ubi radio solari , victo rigore intepuit, manifestè in altum resurgit : idque imbrium & humoris est signum. Certum igitur est pluviam , ex vapore quem nebula fert & succollat, concrescere.

Paracelsus tamen pluvias, ventos, & omnia meteora vult siderum fructus esse ( sic enim loquitur ) ut arborum poma, & statis temporibus effundi. Hinc etiam stellas , phialas & cucurbitas appellat , in quibus sulphur , sal , & Mercurius ( quæ univerorum meteororum ei materia sunt ) continentur. Sed hęc plusquam Chymica sunt, & ægroti veteris mera somnia. Centum enim etiam annorum spatio talis materia in terram nondum è stellā aliquā fixā defluxisset. Nec redi ratio solida posset , cur non eadem meteora promiscuè generentur omnibus anni temporibus. Verū dubitationem habet, è quibus corporibus vaporetur hęc meteororum materia.

## ARTICVLVS I.

*An ex terre substantiā etiam resolvi possint exhalationes.*

**D**E aquâ, & ceteris liquoribus , res omnibus confessas: quia ollas subjectis ignibus fumare, imò vacuari, lacus æstiuis Solibus ebibi cernimus. Terre tamen ullos halitus extrahi negat Plato , Bodinus, & hodie quidam alij.

Et res his rationibus colorari potest. Primo , quia terram decrescere non videmus diutissimè expositam Soli; sed solum

solum arescere, extracto humore qui continebatur poris. Vnde dissolvitur tantum in puluerem, qui omni humore exsusto, semper eadem quantitate perseverat. Sicuti ergo in animali venæ mesenterij succum dumtaxat utilem ad hepar rapiunt, partibus terrestribus fæcutinis demissis in sentinam & alium; ita Sol è terrâ humorem tantum imbrum fecundum, aut succum aliquem oleosum ad ignearum impressionū generationem, nihil de substantiâ terræ detestando, videtur exfugere. Sic etiam plantæ terræ humorem, non terram ipsam vellicant. Vnde siccitatibus videmus eas exarescere.

Secundò: Ignis cineres consumere, quia humore caret, numquam potest; ergo nec terram, quæ naturâ suâ est siccissima.

Sed hæc numquam me cogent Aristotelem deferere. Igitur de substantiâ ipsâ etiam terræ Sol aliquid in materiam meteorum decerpit.

Primiò: Quia mixta insigni etiam siccitate prædita, ut thus, pulvis pyri ns, sulphur,

*Rugosum piper, & pallentis grana cumini,* Perf.  
ac universa aromata suas exspirationes habent; cur non & terra? Imò metalla, quantumvis constricta, tamen frequenti Sole aliquid exhalant, quod ex ferro, & plumbo tectorum facilè intelligitur, quæ tandem marcescunt, minuuntur, & rimas agunt.

Secundò: Quia aqua cælestis & nix liquata multum sedimenti & terrestris limi habent; eo enim fundum vasis obliuant: igitur terrena materia cum vapore exhalatur in nubes.

Tertiò: Ventorum aridorum, qui à locis mediterraneis & sitientibus spirant, materia secca est, & terrestris.

Quartò: Lignorum fumus magnâ parte siccus & terrenus est; ut patet ex fuligine quâ caminos illinit; ergo etiam è substantiâ terræ similis exhalatio resolvi potest. Quispiam etiam fortasse idem ex materiâ meteororum ignitorum probare conabitur. Hæc enim ex humore aqueo & crudo

nequeunt inflammari. Verùm neque etiam ex siccâ & mē-  
rissimâ terræ substantiâ, sed ex humore aliquo oleario &  
pingui inflammantur, quem Sol ex terrâ tamen in aquam  
poris conceptam dissolutâ & fatiscente, calore suo tempe-  
rat, & ad pinguedinem istam perducit. Vnde aliqua saltem  
terræ pars in succum illum corrumpitur & in altum exspi-  
rat.

Sed objecta reicienda sunt. De primo, fateor humorem  
intra poros terræ conceptum obedientius longè quā siccas  
terræ partes, dissolvi & rarescere. Nam experimur omnes  
liquores modico etiam calore statim fumare, & in auras  
diffundi. Ita humor linteus, viso statim igne, exspirat in va-  
porem, linteo, quod experiri possis, ne hilum diminuto.  
Caussa videtur esse in mollitie, aut infirmitate etiam unionis  
integralis talium corporum, aut denique in quadam raref-  
cendi proprietate, nondum adhuc satis hominibus notā.  
Nam idem humor, qui cùm mollis & fluxus esset igni va-  
poranti illico respondebat, postquam in metallum, lapidem,  
aut crystallum diriguit, contumax est & difficillimè lique-  
fit. Sic igitur etiam terra non facile se exhalari finit, nisi  
humore aliquo mollita & subacta fuerit. Tunc enim, ut lib.  
2. Meteor. cap. 4. & alibi sāpē Aristoteles, liberalius in  
suas exhalationes siccas, non in solos humoris vaporcs se re-  
solvit.

Aio itaque terram decrescere; sed pluvia, & ceteris quæ  
è cælo in eam recidunt, stercoretione etiam & lætamini-  
bus decrementum reparari. Pulvis etiam diu insolatus &  
excoctus, sine dubio minor est. Vbi verò singulæ arenulæ  
ac atomi ad minima, ut loquimur, naturalia decreverunt,  
difficilius aliquid carpi videtur: aut quia particulæ metu  
præsentis corruptionis dissolutioni pertinaciū resistunt; aut  
quia unio integralis, ut in lapidibus & crystallis usu venit,  
longè percoctione facta est firmior. In rarefactione autem  
fortasse intercedere oportet aliquam dissolutionem integra-  
lem partium. Exemplum etiam suctus venarum mesenterij  
retorqueri in contrarium potest. Nam venæ illæ etiam ali-  
quas

quas siccorum alimentorum humore potulento maceratas partes alliciunt. Alias enim nihil de cibis solidis facefferet in substantiam animalis, totumque in excrementa abiret. Similiter plantæ non purum putumque aquarum humorem, sed terrestri siccō fermentatum & incoctum atrectant.

De cineribus, Bodinus incorruptibiles, & omnium corporum naturalium materiam primam esse credit. Nam omnia igne tandem destrui, solis exceptis cineribus, appetet. Sed tamen etiam ipsos ignibus diuturnis carpi, & magnitudinem pondusque eorum decrescere, experientia affirmat. Reliquæ verò cineris partes, quæ in tenuissimam scobem & farinam dissolutæ pertinacissimè flammis repugnant, atomis & veluti minimis quibusdam naturalibus constant, in quibus humorem particulas alligantem sic ignis decoxit, ut vix calore diduci valeant. Cineres enim corpus aliquod mixtum ignibus generatum esse videntur: ut adē mirum non sit, ab eodem igne & ijsdem qualitatibus non facile dissolvi posse, quibus esse acceperunt.

## ARTICVLVS II.

*An vapor & exhalatio specie differant ab elementis  
gravibus, quibus extrahuntur.*

**T**HIMON lib. 1. Meteor. q. 9. Tartaretus, alijque affirmant. Probatur: quia incredibile est, formas terræ & aquæ remanere substantâ materiae raritate & levitate, cum naturaliter densitatem & gravitatem appetant. Deinde, spiritus ex animalibus, plantis, & ceteris mixtis resoluti, ab ipsis specie dissentiant, igitur nec vapor cum aquâ, & exhalatio cum terrâ consentient.

Dico tamen Primò: Si elementa sint corpora physice simplicia ( id est, nullo materiae & formæ substantialis coetu coalita ) ut multi Græcorum existimant, probabilius est, vaporem adhuc esse nudam aquæ, & exhalationem nudam terræ substantiam. In hac enim Græcorum sententiâ, elemen-

menta naturaliter incorruptibilia sunt. Et licet suscipere aliquam corporis mixti formam possint, videtur tamen talis forma saepius nondum superinducta fuisse, quandoquidem vapor & exhalatio in naturam & proprietates suorum elementorum tantâ proritate relabantur. Id ergo quod vaporem & exhalationem vocamus, mixtum aliquod ex elemento antea gravi, & novâ formâ substanciali mixti non est, sed ipsa nuda substancia elementi, vitiata accidentibus peregrinis.

Secund'ō: Etiam si cum Aristotele & sensu ferē Philosophorum communi, elementa ex materiâ & formâ substanciali compingamus, verius est, vaporem aqueum, formam aquæ, & exhalationem terrenam, formam terræ, adhuc retinere. De vapore, res certior: quia fumus vapidus ex olla scandens & operculo adhærens, in aëre etiam fervido aut tepenti, in aquam revertitur, nullâ ibi manifestâ caussâ secundâ praesente, quæ tam citò ex vapore valeat regenerare aquæ substancialiam. Igitur vapor iste in naturam aquæ non ab aliqua caussâ externa, sed à forma substanciali aquæ, quæ in vapore manserat, revertitur. Probat idem similitudine & exemplo vaporis argenti vivi Bricotus. *Nam exhalatio ab argento vivo exhalata, inquit, est eiusdem speciei essentialis cum argento vivo; ergo similiter exhalatio exhalata ex aqua est eiusdem speciei specialissimæ cum aqua. Antecedens patet per tale signum. Quia si argentum vivum reservetur in vase discoerto, statim propter exhalationem totum deperdetur, & in aërem dispergetur. Nihil enim celerius in fumum evanescit, quam hydrargyrum, ut experientia dicit, & Chymici. Si tamen in vase coerto servetur, infra unum annum aut duos non notabiliter diminuetur. Quod non videtur esse alia de caussâ, nisi quia vapor elevatus in vase clauso, reflectitur, & est substancialiter argentum vivum. Si enim non esset argentum vivum, ita bene diminueretur argentum vivum, & vapor ille ex eo resolutus augmentaretur.*

Idem etiam ex omnibus distillationibus Chymicorum potest ostendi, & ex facillimo reditu aestivi vaporis in rorem. De exhalatione fluuo magis: quia raritas illa ejus tam discin-

Lib. I. de  
generat.

discincta & dissoluta longissimè abivit à naturali terræ densitate. Sed nihil tamen refert: quia eadem forma maximam aliquando qualitatum repugnantium varietatem patitur in suâ materiâ. Nónne enim aqua naturâ suâ frigidissima , ingenti quandoque calore , incolumi tamen formâ substantiali fervescit? Nónne eadem naturaliter fluida & liquens, in glaciem tamen alligatur & rigescit ? Manere tamen in aqua tali , aut vino congelato formam & substantialiam aquæ vini-qué supponere videtur Ecclesia, dum in Rubricis inter defectus Missarum, jubet vinum consecratum, si frigore hie- mis in calice glacietur, *pannis calefactis*, aut aqua ferventi liquefieri; existimans sanguinem Christi sub glacie vini mansisse, quia accidentia glaciei formam vini non extinxissent , si vi- num naturale non consecratum, conglaciatum fuisset.

Nónne etiam contrà, metallum, durum à naturâ & consistens, igne solvitur & liquefit, & tamen formam metalli sui retinet? Mox enim minimo frigore ad rigorem & naturâ suam reddit. Minus igitur jam mirare terram salvâ formâ substantiali sic in fumos diffluere, quidquid te rideat Bodinus. Sed constâne, terrestres exhalationes aliquando ad terræ densitatem & naturam redire? Fateor, experientia obscurior est, quam in vapore. Tam en in aquâ pluvia, & nivali, limus qui subsidit, terræ lutum esse videtur , in quod se reduxerunt refrigeratae cum vapore exhalationes. Fallitur enim Thimon, qui partes terræ densas etiamnum & graves, in nubes à succollante spiritu rariore subvehi credit. Fallitur Plinius, qui vaporibus in altum putat piscium etiam examina, imò lapides bajulari. Tam dispersus enim & lan- guidè scandens spiritus, tantum virium non habet , ut tanta pondera in sublime evehat.

Ad Primum, ostendimus jam aliorum exemplo , formam terræ à raritate illâ exhalationis non necessarie statim interfici.

Ad Alterum, existimo plurimorum etiam mixtorum va- pores & exhalationes , formâ non differre ab ipsis. Sic vapor Mercurij, Mercurius adhuc est; cùm à sublimatione se re-

densem, & ad ingenium revertatur. Thuris, sulphuris, & infinitorum mineralium exhalationes, veterem speciem servant. Difficultas grandior est, si viventibus fumi illi extrahan-tur. Vapores enim & humores florū & plantarum vivere non videntur post distillationem; cùm tamen antea partes plantarum essent, & vitam haberent. Itaque opus aliquo discrimine. Sunt multi plantarum succi, quibus illæ ut sanguine nutriuntur. Hi exanimis sunt, & venis ea-rum expressi, speciem non mutant: magno argumento, quod in medicamentis per multos annos eamdem vim pur-gandi & alterandi corpora retinent, quam in ipsis plantis habuerant. Sic spiritus etiam, & sudores tertiaræ concoctionis in animalibus residui, speciem suam per auras secum fe-runt. Si verò vapor aut exhalatio ex partium viventium re-solutione generatur, in homine & animalibus perfectis illi-co, & in ipsâ dissolutione, integralis partis vita extinguitur: quia anima tam perfecta in materiâ abscissâ à toto, & præ fertim tam rarâ, non potest durare.

In plantis verò, & animalibus imperfectis, potest, saltem brevi tempore.

Ex inanimateorū etiam partibus quandoque ignis gignit halitus specie differentes.

Ita vinum in aquam vitæ sublimatum, amplius vinum non est. Quod ex vi illâ admirabili calorificâ quam deinde pertinacissimè retinet, ex levitate etiam quâ ceteris omnibus liquoribus superesse ntitur, satis intelligi potest.

De caussâ formalī meteororum, dicemus speciatim in per-tractione singulorum. Nunc uno verbo, & universè di-co, esse aut figuram, aut localem motum, aut aliud acci-dens quod cum materiâ componit illud accidentarium compositum, quod meteorum appellamus.

CAPVT

*De causa efficiente meteororum.*

**G**AVSSAS efficientes proximas, quæ formam il-  
lam accidentariam inducunt, unde essentiæ  
complementum & nomen habet meteorum, po-  
stea docebimus. Nunc remotam investgemus,  
quæ resolvit vaporem & exhalationem, omnium commu-  
nem materiam.

## ARTICVLVS I.

*Georgius Agricola & Lydiatus nituntur ignem subterraneum  
facere primarium auctorem vaporum & exhalationum.*

**D**Vpli ratione, terrâ & aquâ exhalari aliquid po-  
test: vel à supposito igne calefaciente, vel à Sole &  
cælo supernè impendente. Vtique modo fieri constat: quia  
& multi ignes subterranei sunt; & nihil evidenter, quâm  
terram madefactam fumum exspirare irradiante Sole. Sed  
controversia est, ab utrâ causâ plus materiæ in meteora  
resolvatur.

Georg. Agricola lib. de Caussis subterraneorum, maxi-  
mam & præcipuam halituum copiam à subterraneo igne  
vaporari credit; nihil verò, quod ullâ ratione tot meteoris  
sufficere possit, à Sole. Hunc etiam acriter contra Peri-  
pateticos defendit Thomas Lydiatus Anglus, in libello de  
Origine fontium. Munimenta inspiciamus, quibus hæc  
opinio se defendit.

In primis suppono, plurimos & maximos sub terrâ ignes  
ardere: quos obscurius calidi fontes, Aetna verò, Vesuvius,  
Hecla, & tot alibi montium crateres & Vulcani flamas  
in cælum vomentes, evidenter produnt. De quibus Ari-  
stotelem, sive alias est auctor, in lib. de Mirabil. auseult &  
Vitruvium lib. 2. c. 6. aliosque potes consulere. Tales etiam

Lib. 3. c. 24. plurimi in Americâ nuper inventi, ut in Hist. Indic. vidisse scribit Iosephus Acosta. Montes sunt altissimi, inquit, in plano vertice, camino ad radices usque per immensam profunditatem pertusi. Aliqui fumum tantum, alij flammam, alij per intervalla utrumque, quidam etiam cineres, & id ab annis centum, & tempore immemorabili eructant. Alibi etiam in fundo camini, siveflammâ aut fumo sic ardet ignis, ut avarus quidam, inquit Acosta, suspicatus aurum esse, lebetem per ferream catenam demiserit, quam momento pænè temporis conflavit & absumpsit ignis. Si tot ergo locis ignium emicantium perpetua tot seculis sunt incendia, credibile est alios ferè ubique esse subterraneos ignes, qui si non in apertas flamas, subtilest saltem exhalationum fumos per venas & rimulas in apertum exspirent & materiam meteoris suppeditent. Videtur enim terra instar animalis esse, quod focum & fontem caloris habet in corde; à quo spiritus per arterias hâc illâc per totum corpus, in extimam usque cutem, & denique foras per poros effunduntur. Ac veluti in animali, calor naturalis viscerum tepidos vapores ac exhalationes non tantum per os & nares, manifesta spiracula, sed per infinitos alios cæcos meatus, quibus tota cutis cribro crebriùs perforata est, expirat; ita terra, præter ignivomos montium crateres, tenuibus ubique spiraculis pertusa est, quibus se etiam in auras exhalat.

Secundò: Vis calorifica Solis, non altius in terram quam pluvialis aqua, & arborum altissimarum radices, penetrat, id est ad duos circiter passus, sive decem pedes, ut Lib. V. c. 6. art. 2. ostendemus. Ex tantulâ autem terræ profundiitate Sol pro tot diu noctuque sine cessatione spirantibus ventorum flabis, ac pro infinitis alijs ubique nascentibus meteoris, materiam satis largam elicere non potest.

Tertiò: Magna pars superficie terræ silvis, plantis, ædificijs, lapidibus tegitur: ex quâ proinde nihil, aut vix hilum Solis calor decerpere valet. Constat enim etiam minimâ umbrâ Solem frangi, & terram refrigerescere. Ex reliquâ autem parte nudatâ, fumi profecto non eliciuntur sufficiunt universis meteoris,

Quartò:

Quartò: Aqua stagnans , & Soli multis diebus exposita, vix tandem repescit: ergo Sol elevare non potest tot vapores, ut satis sint maximis illis & torrentissimis pluvijs , quæ menses sæpè totos, & aliquando annos durant.

Quintò: Non resolvitur ex superficie & summâ cute Belgicæ telluris exhalatio sulphurea & nitrofa , quæ fulminibus & pluribus ignitis meteoris necessaria est. Cùm igitur Belgium etiam fulminet, materia è visceribus , non superficie terræ, petenda erit.

Sextò: Nocte & hieme non pauciora, quam die & æstate, meteora videmus: igitur materia non attrahitur à Sole , qui nocte nullas, hieme imbecillas vires habet. Imò qui sub polis habitant, medio anno quo Sole carent , non carent meteoris.

## ARTICVLVS II.

*Defenditur Aristoteles. Agricola & Lydiatus reiciuntur.*

**A**ристotelis tamen nostri sententia est, Solem esse principem caussam , & maximè universalem vaporum & exhalationum. Vbiique enim ejus meminit , ignis verò subterranei parcissimè. Libro tamen Meteor. 2. c. 3. ab igne isto saporibus infici fontes, & cap. 4. exhalationem ventorum in parte ab eodem gigni affirmat.

Et in primis satis certum est , multorum ventorum materiam suscitari à Sole. Anniversarij enim omnes fatus, qui statim ferè diebus aut mensibus spirare solent , à Sole manifestè reguntur. Sic namque Prodromi, Etesiae, Ornithiae quotannis fermè velut ad conditum redeunt: sic vere & æstate fatus antelucani omni pænè die sub auroram ad nos revolant; primi videlicet tempore crepusculi, ascendentē & molliter deinde relabente halitu.

Secundo: Sæpè post imbre, ut notat Aristoteles, sequi solet ventus : nec aliâ re nisi quia terra humecta & mollita, modico tempore superveniente, reddit obedientius & facilius mixtos exhalationibus vapores.

Tertiò: Materiæ nimborum & fulminum, evidenti experimento, levantur à Sole. Nam ideo vere præsertim & æstate, post magnos calores sæpè fulminat, & effundunt se nimbi: quia, inquam, Sol præcedenti ardore, plures vapes & exhalationes attraxit, quām possit digerere.

Quartò: Oculis etiam ipsis cernimus primo manè nebulas & vapores è mari, paludibus, fluminibus, vallibus subeuntes: & hoc secuturæ pluviaz non mendax sæpè signum habemus.

Quintò: Si in campos, æstate torridâ, Sole ferventes, oculos intendamus, subtilissimum ubique fumum exhalari deprehendimus; per quem interpositum conspectæ agrorum glebae tremunt & vibrantur: veluti muri & lapides platearum solent, si per exhalationes, quas in publicis supplicationibus exspirant nostræ faces, alpiciamus.

Sextò: Confessum etiam est, matutinum rorem à Sole resorberi. Quod Scriptura quoque de mannâ Hebræorum fatetur: *Cum incaluisset Sol, liquefiebat.* Et alibi: *Statim ab exiguo radio Solis calefactum, tabescet:* ac deinde vanescet in auras.

Septimò: Qui in Americâ sub Äquatore habitant, perpetuos & profusissimos imbres, cùm Sol in æquinoctijs, & vertici impendet, habent; ideoqne incolæ tempus illud anni sui hiemem appellant. Caussa autem non in ignibus subterraneis est, sed haud dubiè in Sole, qui plures e subiecto mari vapores simul haurit, quām perpendiculari etiam & præsentissimo radio queat dissipare.

Solem etiam esse caussam hujus effectus magis universalem, quām ignes subterraneos, sic potest ostendi. Quamlibet partem superficie terræ subdivalem sex menses totos singulis annis Sol illustrat & calefacit, hoc tantum discrimine; quòd in Zonâ torridâ, & duabus temperatis, diem noctemque intra 24. horarum spatium alternet; in frigidis verò sub utroque polo, diem unum perpetuum sex mensium faciat. Igitur ex omni terræ & aquæ ambitu halitus evocat. Ignis verò subterraneus, non undique & per totam terræ superficiem in aëra se exspirat; ut jam jam patebit.

Exod. 16.

Sap. 16.

Ad

Ad Primum ergo, libenter damus, ignem è terræ & magna matris visceribus, pluribus locis in cælum suspirare. Nec enim eruditissimo Turnebo, in lib. de Calore, plane acquiescimus, qui, Omnem, inquit, calorem è cælo proficiisci certum habeo, eiusq[ue] perennem & iugem esse fontem Solem, reliquis tamen stellis in partem conferentibus. Et deinde: A medio terra centro se promit & quoquo versum diffundit frigus; ut à cæli culmine se calor deorsum demittit. Nam calorem etiam aliquem terræ spiraculis imputamus. Sed ista tamen spiracula rara sunt: nec ulla satis manifesta in Belgio, uisi fortè circa calidos Aquisgranenium fontes. Similitudo etiam terræ cum animali, non convenit. Animal enim ubique calet, nec ulla pars ejus interior est actu frigida, ut Medicorum experientia docet. Terra verò undique ferè sub cute suâ ( æstate præsertim, quando plurimi tamen halitus exspirantur ) absolutè alget. Non mirum igitur, calorem animalis undique per poros subtile aliquid ( cuius odore canes heros suos & feras internoscunt ) exhalare, terram verò pluribus locis nil simile pati. Alias ut hominis, ita terræ quoque superficiem calore & spiritu interaneorum se per cutem transfudente, intepescere ferè semper experitemur.

Deinde, quām altè ubique defossi sunt ignes illi subterranei? Certè enim ex puteis & fossis carbonarijs ac metallicis, quæ magis ab aquâ frigent, quām ab igne caleant, insignem eorum profunditatem esse oportet. Cautè igitur Io. Dondus, Philosophus olim Patavinus, ad triginta tota millaria infra terræ superficiem defossos esse ait. Ne scilicet metallicas venas conflarent, aut amburerent, inquit, arborum radices. Sed quis tam credulus, ut credat per triginta milliarum crassitatem, spiritus illos posse se tam facile in aëra nostrum extricare? Sæpiùs profectò in viâ tam longâ alicubi adhærebunt, aut terræ vel subterranearum aquarum frigore extinguentur.

Denique nives nostræ, quæ teapore minimo tabescunt, manifeste ubique statim, subeuntibus tot è terræ venis spiritibus, liqueficerent. Sic enim in animalium villis, hominum vestibus,

vestibus, circa arborum truncos, celeriter solvuntur aut rabiescunt. Nam etiam arbores tempore quemdam & spiritum naturalem exhalant, quem nives diu ferre non possunt. Scio, reponent, terræ poros frigore ambientis aëris & jacentium niuum constringi, ne spiritus subterranei valeant effluere. Videmus enim fumare terram, si effodiatur hiberno tempore, & nivem, quæ in agrum recens aratum ceciderit, citò diffluere, quia partes terræ infrà superficiem spiritu multo, qui per clausos terræ poros exire non poterat, tepentes, ab aratro sursum evertuntur.

Fateor etiam profecto, terræ poros, & humorem, si quis ipsis inerat, gelu sic alligari ut halitus inclusi non reperiant exitum. Nego tamen id futurum, si isti ignibus subterraneis, ut volunt, exhalantur. Ascenderent enim noctibus diebusque agmine perpetuo, & plurimi confertissimique circa summam terræ superficiem aggregarentur. Vnde frequenti appulsi iibi conglomerati & restagnantes, terram inflarent, & meatus ad exitum subaperirent, nivesque superjacentes in tabem, & aëra totum inferiorem in tempore remollirent. Sic enim pori animalium hiberno frigore constricti, ambulatione & motu spiritibus intus agitatis, etiam usque ad sudoris eruptionem relaxantur.

Exhalationes igitur quibus terra arata fumat, natæ sunt circa ejus superficiem à Sole, quando vires ad eosque penetrandum habuit; vel in aëre à frigore nocturno aut alio deprehensæ, in terræ venas compulsæ fuerunt. Quod inde liquet: quia si fodias altius, fumum inde nullum exiturient percipies. Nec omnis etiam ager arvus æquè halat, sed ille maximè, qui multo fimo & lätamine satur est. Fimeta enim, ut agricolæ sciunt, plurimo spiritu è recrementis animalium turgent & fumant. Terra etiam arabilis, ut pote magis exercitata, fistulosior est, & idonea magis recipiendis intra poros halitibus. Spiritus deinde inclusus, aliquatenus seipsum amplificare potest, quia partes alias terræ, aut pinguis humoris intra meatus terræ concreti, tepefacit & dissolvit. Spiritus namque foeni mutuo contactu & confluxu se invicem ita

ita calefactant, ut faciant quandoque incendium. Non igitur necesse est credere, omnes istas exhalationes, quas terrā exspirare aliquando cernimus, aut à suppositis ignibus, aut immediate esse à Sole.

Ad Secundum dico, ex decem illis terrae in profundum pedibus eductas exhalationes, ventis & meteoris omnibus ignitis largiter sufficere; si plusculum illud supplementum adiicias, quod è visceribus terrae afferunt subterranei ignes.

Ratio à D. Augustino, peti potest. Quia quodvis continuum partibus infinitis constat, quæ sine fine rarefcere possunt in majus, & spatiū amplius occupare. Quid ergo magni miri, si una solidæ terrae particula in amplissimam exhalationem, aëre inferiori longè rariorem leviorēque, diffundi valet? Ecce enim granum unicum pulveris pyrij (quis credat?) inflammatum, per spatiū 125000. majus dispergi Willebrordus Snellius sē expertum affirmat. Deinde, fallantur sanè S. Augustinus, Aristoteles & Mathematici, nec habeat materia terrestris partes infinitas; admittendæ tamen plurimæ partes erunt in corpore densiori sese penetrantes, quæ per rarefactionem extra mutuum situm distrahanter in spatiū longè diffusius. Sed quare terræ tergum non tandem exinanitur, vellicatis & in sublime abreptis tot cottidie ejus particulis? Petam ego vicissim à Georgio Agricola: Cur terræ viscera non erogant & absumentur tot intestinis depasta ubique incendijs? Respondeo igitur, facilius quam ipse: Vapores & exhalationes in terram recidere, rursusque in eam reverti ut iterum resolvantur & descendant, repluantque rursum perenni circulo: nec posse terræ detrimenta apparere, quæ perpetuis supplementis sic reparantur. *Descendit enim imber & nix de cælo, & illuc ultrà non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit.* Quod vero ait, ultrà in cælum non reverti, loquitur de ea parte imbrium ac nivium, quæ in terræ succum & alimenta plantarum convertitur, nec immediate sub formâ aquæ in altum resorbetur.

De Tertio. Verum est, ex terrâ inumbratâ silvis & aedi-

Lib. 2. c. 4.  
de Genes.

Ifa. 55.

*sicijs non tantum à Sole extrahi, quantum ex apricis. Attamen radius aliunde in umbras repercutus modicè eas frangit & tepefacit. Verè & eleganter, ut solet, Seneca: Loca que aliquà inequitate naturæ ita clausa sunt, ut Solem accipere non possint, illa quoque nubila & tristi luce calefiunt, & per diem minus, quam noctibus, rigent.*

Lib. 5. c. 9.  
Nat.

Deinde, umbrae frequenter se cum Sole gyrant: ut lux pleno & directo radio successivè illustret quidquid superficie terræ ab umbrâ circa arborem, domum, aut montem se vertente occupatum fuerit.

Denique ex plantis ipsis aliquid in materiam meteororum extrahi, inde liquet, quod nimio Sole flaccescant, ac exsiccentur. Ex odore præterea colligitur, quem unà cum spiritibus exhalant, aëremque universum cum salubritate autnoxâ animalium implet. Hinc enim horti & silvæ in pestilentia petuntur: & olim in tali periculo suæ à Medicis Principi Cormodo laureæ silvæ, quia halitu suo luem abigerent. Fructus etiam plantarum latissimè & confertissimè spiritum dispergunt: ut jumenta quæ aromata vchunt, sœpè etiam adigantur in insaniam. A lapidibus quoque ipsis aliquid extorqueri satis intelligitur; quia vetustate fatiscant, & exsueto omni humore dissolvuntur. Greges deinde animalium & armenta, & homines ipsis, præsertim qui vino, cerevisia pingui, aut alio spiritali potu se largiter invitant, non parum forte in nubes & rem meteorologiam exspirant. Camini etiam domorum in frigidis præser- tim regionibus aliquid contribuunt.

Virgil.

*Et jam summa procul villarum culmina fumant,  
inquietabat ille. Ita profecto, fumant totam aliquando mirabilem, aut si tam altè non statim ascendat, nebulam. Manè & vesperi caminos Leodienses, ac Montenses in Hannonia adspice, quando novo carbonario igne recalere incipit focus; mentior, nisi mecum dicas, halitu illo tam copioso aliquid posse addi nubibus.*

Sil lib. 4.

*Nigranti piceus sensim caligine vertex  
Voluitur, & pingui contorquet nubila fumo.*

Hoc

Hoc etiam valdè æstimandum : Maris, lacuum, fluminum superficies ubique ferè sine umbris Soli esse expositas ; quæ tamen terræ aquis nudatæ amplitudinem facile adæquant. Hinc autem immensa vaporum, imò etiam exhalationum copia evocari potest. Nam aquæ marinæ, & pleræque omnes aliae, terrestrium halituum mixturâ inquinatissimæ sunt. Relabuntur enim in eas supernè plurimæ exhalationes : alibi etiam è fundo ascedunt, aut derausus alveo limus humori cor funditur. Igitur etiam ex aquis terreni halitus aliquid à Sole sorberi potest in altum. Et hinc est, ut à mari, etiam ubi nullæ Insulæ unitatem ejus interpellant, venti afflent ; licet exhalatione molliori, quam à terrâ, ut Indici nautæ nobis retulerunt. Nam exhalatio terreno educta ferior est & magis procellosa.

Nec omittendum, quod radius solaris altius multo in aquas, quam in terram, penetret. *Sol* enim, ait Plinius, *per Lib. 2. c. 42. spicuus urinantibus est, in quamlibet profundam aquarum altitudinem.* Nimium tamen & falsum hoc est. Nam pescatores unionum maris Pacifici juxta Panamam referunt, non infra quindecim cubita aspici à se Solem. Idem adserunt urinatores Indiæ Orientalis ad Ormutium, ut Ludouicus Barthena mihi testis. Verùm ex tantâ saltem quindecim cubitorum ferè profunditate, præsertim circa Zonam torridam, halitus à Sole resolvi è mari & educi possunt.

Circa Quartum, multi decipiuntur, qui ferventes solū & manifestè fumantes ollas considerant. Potest enim reverà tenuis vapor, & qui visum omnem effugiat, aquâ exspirare, et si nullus tempore ejus valeat percipere. Calorem etenim non sentimus, nisi intensior fuerit illo, qui organum tactus nostri contemperat. Potest autem aliquis remissior ad vaporem fundendum & exhalandum sufficere. Et nónne linteum madens, frigido autumno aut hieme, suspensum etiam extra venti flatu, Sol exsugit ? Tange tamen ipsum, tempore nullum tactus agnoscat. Nónne etiam illos ipsos lacus, qui æstate vix tepent, Sol tamen ebibit ?

Quintum etiam fallum sumit. Certè enim in Belgio ex

omnibus pænè ruderibus, & stabulis animalium, halin-trum, id est, materiam pulveris pyrij educimus. Chymici etiam nostri è rore per distillationes, aliquam nitri & salis ammoniaci partem eliciunt, quam Sol procul dubio è sum-mâ tellure unâ cum roscido vapore extraxit. Itaque terra etiam nostra, halinitri ferax est, & materiax fulminalis. Si quâ autem in parte Orbis halinitrum & sulphur Sol par-ciùs extrahit, rariùs cælum ibi fulminat, aut aliunde ful-minum materiam advehunt venti.

Ad Sextum Respondeo, noctibus apud nos rorem, plu-viam, fulmina, &c. generari ex halitu quem dies antè pro-ximè lapsi vaporaverint. Terra quoque diurno Sole calefacta, teporem etiam in noctem servat, reliquiasque halituum quasdam exspirat; ut incendiorum, postquam deflagraverunt, cineres solent. Hi autem nocturni spiritus pestilentio-res ferè diurnis esse creduntur; ut crassus & ater fuliginis quam candela recens extincta spirat, vapor nidore suo & noxiâ qualitate magis nares ac cerebrum offendit, quâm si eo aleretur venenique malignitatem discuteret vivens can-dela flamma. Quomodo etiam hominum peste defunctorū spiritus nocentiores sunt, calido adhuc & à vitâ fumante

*Lib. 2. c. 4. corpore. Vnde minus periculi habet, decem etiam languentes invisere, inquit noster Gemma, quâm semel adesse mortuo, præ-sertim ubi recens cadaver exhalat, aut etiam illis adesse propriis, qui primùm è domo funebri prodierunt; quia pestis fontem in ueste circumferunt. Qui etiam in Sphærâ stante, sive sub polo ha-bitant, medio anno quo Sol infra horizontem est, meteora, præsertim nives, sentiunt ex materiâ quam Sol longo & pertinaci dimidij itidem anni die vaporavit. Nec enim halitus in altum sublatus, statim necessariò totus & universim relabitur, aut consumitur à Sole, sed multos dies, imò men-ses potest pendulus in sublimi fluctuare. Venti etiam à tem-peratis in frigidas Zonas spirantes, vaporem & exhalatio-nem aliunde sublevatam adducunt. Stellæ deinde, circa polum præcipue Arcticum, maximè illustres, aliquid for-tassis insensibilis teporis ad vaporum & exhalationum re-solutionem*

solutionem conferunt. Luna tamen magis, quæ singulis longæ illius noctis mensibus, dies circiter 14. supra eorum horizontem visitur. Ipsa enim, præfertim pleno aut tumidiori orbe, femineo quamvis & imbecilli radio, lenit tamen, quantum nos etiam experimur, noctis rigorem.

Nimio tamen acumine exerrat Eruditiss. Medicus Franciscus Valesius, dum regiones sub polis temperatiores circumiacentibus esse contendit. Quia, inquit, regio Arcticus polo subjecta *vincit proximas ac reliquas Septentrionales plus dierum longitudine, quam vincatur rectitudine radiorum.*

Verum cum experienciâ pugnat. Diuturnâ enim illâ sex mensium nocte totus diei antecedentis calor extinguitur. Imò non sola nox, sed magna etiam diei pars apud ipsos hiemat. Nam Hollandi, exitu etiam mensis Iunij, mare sex pedum altitudine conglaciatum nuper invenerunt. Causa est penes longitudinem noctis, & quia Aquilones, ibi exulantibus mollioribus & tepentibus ventis, soli reguant. Audi Iul. Scaligerum: *Hieme, quæ decem sevit menses, quasi pavimento solidata maris superficies, estate perpetua caligo, que pomeridianis horis unâ aut alterâ vix discussa, mox redintegratur.*

Sed addit Valesius, numquam ibi toto anno propriè esse noctem, sed diem solum, aut diei crepusculum. Cum enim eorum horizon incidat in Aequinoctiale, Sol numquam profundius quam 23. paullò amplius gradibus demergitur: quanta scilicet est intercapedo Aequatoris & brumalis Tropici. Crepuscula tamen durant, inquit, etiam cum Sol 30. gradibus depresso est infra horizontem. Verum hoc à scammate & vero abit. Circulus enim crepuscularis 18. solis gradibus describitur infra horizontem; quam distantiam ubi Sol transfilijt, lampades omnes crepusculorum extinguuntur. Deinde frigida sunt omnia crepuscula, nisi dies fervidus proximè præcesserit.

Hoc deniq; habe, & finio. Non scandunt vapores & exhalationes, attractæ virtute aliquâ magneticâ Solis, ut Scaliger credit; sed dissolutâ elementi densitate, sponte se movent succollatæ à propriâ levitate. Raritatè enim sequitur levitas,

levitatem

levitatem motus sursum. Quod manifestum est, ubi aqua ab igne supposito vaporatur. Non enim ignis tunc ex superposita olla ad se trahit vaporem, sed vapor ab igne rarefactus evolat sursum.

## ARTICVLVS III.

D. Ioannis Bapt. Morini, de cauffa elevante vapores & exhalationes, nova opinio.

**P**Ost primam Meteorologiæ nostræ editionem, serò in manus meas venit NOVA MVNDI SVBLVNA-RIS ANATOMIA D. Io. Bapt. Morini Clarissimi apud Gallos Medici, & in Vniversitate Parisiensi Matheseos Professoris Excellentissimi.

Is magno ingenio & industriâ, terræ & aquæ globum in tres regiones, supremam, medium, infimam distinguit, quemadmodum aërem solemus. Et veluti regiones aëris qualitatibus inter se discrepant, ita de terræ regionibus censet, sed non eodem ordine. Nam suprema terræ regio quam pedibus calcamus, calorem & frigus alternat; sicut infima aëris regio, quæ eam proximè tangit & ambit. Hoc tamen discrimine. Quod æstate, quando infima regio aëris calet, suprema terræ frigeat; hieme verò contrà, infima aëris friget, terræ suprema calet. Hanc autem supremam terræ regionem plerisque locis ad 80. circiter hexapodas, sive secundum pedum orgyas, alicubi ad 100. aut etiam 150. in profundum descendere, suo & Metallariorum experimento definit.

Media terræ regio incipit ubi finitur suprema. Hæc æstate ac hieme semper calet: prorsus contraria mediæ regioni aëris, quæ semper friget. Ejus versus terræ centrum profunditas ignoratur; quia quantumlibet altè fodiant Metallarij, eandem semper temperiem calidam inveniunt. Sed nullus tamen unquam fessor Metallicus, inquit, duis profunditatis terra leucas penetravit. Esse tamen valde profundam, inde conjectat

jectat, quod in profundiorum fodinarum fundo, non solum metalla, sed etiam rupes densissimas durissimasq; conspexerim, iuquit, quarum materia non potest non esse vapor & exhalatio, e locis adhuc multò profundioribus eò usque ascendens.

Infima terræ regio à fine mediæ usque ad terræ centrum decurrit; profunditate iterum incertâ, quia si nemo hactenus fossor medium terræ regionem totam penetrare, nec etiam initium infimæ attingere valuit.

Hanc perpetuò frigidissimam esse non hominis cuiusquam experimento, sed ratiocinando se confecisse credit. Potissimum hoc argumento. Quia calorifici astrorum influxus non penetrant usque ad terræ centrum, sed antè deficiunt retusi & tandem fracti densitate & resistentiâ terrestris globi. Cùm enim astra, inquit, hæc quog; inferiora, potissimum terram, non nisi tardâ successione alterent in ipsa superficie, signum est certissimum terram plurimum resistere, & inde astrorum influxus maximè debilitari, adeoque ut tandem terræ resistentiam sue vi activâ parem reperiant, cum qua viribus paribus certantes, ne ulterius se diffundant, omnino prohibeantur.

Deinde si usque ad terræ centrum cælorum influxus pervenirent, aliqua mineralia in tota illa semidiametri terrestris profunditate generarent. Cùm verò ait, Deus & natura nihil faciant frustrâ, cunctaque tam olim creata, quam in dies genita, solius hominis gratia sint; ad quid, queso, prodeßent restam profunde genita, cùm nullus unquam fossor Metallicus duas profundatis terra leucas penetrarit: sintque prima & secunda terræ regio, Dei benedictione & liberalitate ad satiando homines plenissimæ?

Cùm verò contra regionis istius frigus, ignem Inferni, quem Theologi in terræ centro locare solent, sibi objecisset; negat elementari & vero igne damnatos ibi cruciari ( submittendo se tamen humillimè, ut virum ex animo Catholicum decebat, censuræ Ecclesiæ ) sed puto, inquit, naturam novam, vi propria in diabulos damnataque corpora, & non in aliud agere potentem, à Deo fuisse initio Mundi creatans, quæ comparatione ignis nostri ( quo nihil activius sentimus, aut conceperem possumus ) sub ignis nomine nobis concipienda proponitur.

Hac

Hac terræ Anatomiâ & in tres regiones divisione sic administratâ , ferè consentienter Agricolæ & Lydiato, ac similibus quibusdam argumentis docet , potissimum meteorum materiam à media & calida terræ regione , sursum in aërem nostratem exhalari. Causam verò istius caloris, non in ignibus subterraneis, ut Agricola & Lydiatus ponit, sed in astrorum & præcipue Solis calorificis influentijs, quæ per superiorem & medium terræ regionem penetrant , ibique deficiunt, à densitate & frigore insimæ regionis repercussi; ideoque per antiperistas in medium terræ regionem, in quam proximè reflectuntur , toto anno sic calefactant.

Sed ut hæc opinio plurimum ingenij , ita plurimum difficultatis mihi videtur habere.

Nam in primis incredibile apparet, radium Solis ad 300. aut 400. orgyas ( ex quanta altitudine, & profundiori, ut ex historia Morini patet, metalla eruuntur) id est, intra medium terræ regionem penetrare, & tantum ibi calorem accedere, ut Metallarij, vidente & fatente D. Morino, non nisi nudi & æstu anhelantes, inter aquas possint operari. Imò , quod magis incredibile, conjectat Morinus, ad 40. aut 50. leucas radius Solis terram terebrare, ibique circiter mediæ regionis terræ deorsum terminum esse.

Nec multùm eum adjuvat, quod terra suprema mediæ regio sint porosæ, inquit, cum vapor & exhalatio per eas ascendant. Non enim ideo sequitur quod inde infert: Ergo à solaribus radijs penetrantur. Nam in cellas & penuaria nostra subterranea, quæ uno aut altero tantum palmo terræ, ab aëre subdiali separantur, radius Solis non potest penetrare, etsi terra ista non minus porosa sit quam altera profundior, quæ extendit usque ad mediæ regionis terræ finem. Quod autem in cellas nostras subterraneas , undique & sine respiraculo clausas, radius Solis non penetret, patet ex densissimis tebris, & æstivo cellarum frigore , quod nullo tempore remollescit , nisi per ostium aut rimam aliquam intromittatur radius solaris.

Deinde Olao & Alberto Magno assentitur Morinus , qui narrant

narrant, Oceani profundiores aquas, ad quas radiorum solarium vis minimè pertingit, semper frigidissimas esse. Si autem ad fundum Oceani, per illam aquarium pelluciditatem Solis radius non pervenit; quomodo per elementi terræ profundissimam opacitatem, tot millaria infra Oceani fundum perrumpere valebit? Quin imò vrinatores & unionum Oceani Indici piscatores, non ultra 15. cubitos limpidi simi maris aquam à radio solari penetrari asseverant. Hujus autem maximè argumenti verisimilitudine videtur deceptus D. Morinus.

*Æquè naturale est, inquit, solaribus radijs ad terræ centrum descendere, atque exhalationi in aërem aut ignem ascendere. Ut enim terra est centrum suarum exhalationum, quas undequaque in ignis spheras emittit; ita Sol est centrum suorum radiorum, quos etiam undequaque proicit, & per consequens, versus terra centrum. Ergo si exhalatio cum sua crassa corporeitate, medium supremamque terræ regionem permeat; quidni solares radij longè subtiliores & spirituiores, easdem penetrabunt?*

Sed ratio discriminis est, Doctissime Morine: quod exhalationes è visceribus terræ ascendentis, corpora quædam sint & fumi subtile, qui sinuoso motu per varios mæandros & labyrinthos, angustissimas terræ venas perreptant, ac tandem in superficiem ejus & aërem nostrum evadunt. Vbi etiam terræ pori tam conniventes & angusti sunt, ut exhalationi non patcat transitus, pars exhalationis quæ à tergo sequitur, præcedentem urget, ut viam vi sibi perforet; aut certè, si sint angustiæ impenetrabiles, intercipitur exhalationis motus, & à frigore terræ vel alijs cauulis ibi extinguitur & concrescit.

Verùm radius Solis non est corpus, sed qualitas simplex, nec motu locali deorsum per venas terræ pedetentim, hac illac torquendo se & quæritando viam, ut exhalatio, proserpit; sed unico & momentaneo jactu à Sole in terram desilit, & eodem momento à terræ superficie totus sursum resilit, si nullum transitum diaphanum inveniat, per quem in terræ viscera penetrare possit. Non nisi enim per diapha-

num radius luminis transit. Corpus autem terræ opacum est, & transitui luminis resistit. Si vero radius Solis in angustum fortasse terræ porum aëre, aut alio corpore raro & diaphano plenum incidat, non altè, & vix plerumque latitudine semidigitum credo deorsum penetrat, quia à lateribus multis & angulosis sinuosim pori tam sàpè frangitur & refringitur, ut ibi convolutus hæreat, nec altius penetrare possit. Vnde cùm agricolæ & experti dicunt, vim Solis ad pedes decem intra terram descendere ( quousque nempe pluvia, & profundissimæ arborum radices solent ) non de radio luminis, sed de vi calorifica capere oportet. Radius autem longius terram calefacit, quàm ipsus penetrare valeat. Quàm enim non profundè res opacas, quamvis porosas fistulosasque, radius pervadat, patet ex nive, lana, nubibus, quæ lucidissimo etiam Soli faciunt umbras. Quomodo igitur per tot auri, argenti, plumbi, ferri, & alias solidissimorum metallorum, quibus media terræ regio scatet, mineras petransibit?

Si autem Soli & astris virtus alia calorifica præter lumen affingatur, quæ sine diaphano per opaca, in terræ viscera pervenire possit; profectò talis influentia cælestis non reflectetur sursum, sicut solet radius solis opaco occurrente impeditus, sed rectè perget usque ad ultimum terminum sphæræ suæ activitatis; velut in influentia Lunæ, quæ terram & aquas irretorta penetrat, in influentia magnetis, quæ per ligna, lapides, metalla, ad ferrum rectè tramite pervenit, accidere videmus. Si autem illa influentia cælestis non reflectitur, nulla jam est cauſa, cur medium terræ regionem intensius quàm supremam calefaciat. Nam illum majorem mediæ regionis æstum à reflexione, quà radij solares ab infima terræ regione in medium redeunt ibique complicantur, & multiplicantur, fieri D. Morinus credit.

Deinde, si calor mediæ regionis terræ à radio Solis illuc penetrante funditur, occidente Sole calor iste sanè, minuetur, deinde hieme quàm æstate erit remissior; sicut in infima aëris, quam incolimus, regione fieri experimur.

Attamen

Attamen varietatem illam in media terræ regione, experientia & D. Morinus longè refellunt: quandoquidem metallarij nocte perinde ac die, hieme juxta & aestate, parem æstum percipere se affirment.

Denique, quām inopinabile est, tam intolerabilem æstum in frigidissimi elementi terræ visceribus, à radio Solis eousque ægerrimè penetrante accendi? Fatetur enim D. Morinus, in metallicis Hungariæ fodinis, quād an. 1615. curiositate Philosopho & Medico dignā descendit, metallarios præ æstu nudos etiam in aquis operari, nec ultra quaternas horas posse ibi durare. Quanquam tamen hujus impatiencie præcipua cauſa, non tam sit magnitudo æstū, quām halituum metallicorum & suffocantium intolerantia.

Itaque, nihil probabilius, quām ignes subterraneos multis locis à Deo venis metallicis, ad excoquendas mineras, suppositos, illam medium terræ regionem sic calefacere. Aut si illi ignes jam sint extincti, mineræ tamen ipsæ sulphureis, uitriolatis, alijsque siccis & ferventibus, quibus turgent, exhalationibus, ad æstum illum implendum sufficiunt.

Ad hanc enim conjecturam magno arguento mihi preit D. Morinus. Sed historiam totam Lectori non injundam recitemus. Postquam adhuc inferius, inquit descendimus, in fodinam Chremnitensem in Hungaria, argenti auri feracem, ita ut à terra superficie 80. hexapodibus, aut circiter abessemus, auram subtepidam sentire cœpi, caloremq; descendendo aliquantum crescere. Prima vice, qua in fodinas descendit, sensus ille caloris non exiguum mihi peperit admirationem, simulq; letitiam ob præcedentis frigoris, in transitu prime terre regionis, molestiam. Idcirco unde calor ille procederet, peti à Praefecto. Respondit, ex partibus inferioribus: inferius enim perpetuò calet. Quod responsum adhuc magis miratus, quæsivi, an res ita sese habet in fodinis omnibus. Respondit ita se habere in omnibus. Saltē profundi; ut post profundum terra frigida tractum, in locum calidum descendatur. Et quod ubicumque terra foditur, post similem profunditatem nullum amplius sentitur frigus, sed semper calor,

Relat. de  
locis subter.

quantumcumque profundè fodiatur. Tunc memor caloris centralis, de quo apud Hermeticos nonnulla legeram, rursus percutatus sum, An quo magis acceditur ad terra centrum, calor ille maior percepitur. Respondit, id numquam fuisse animadversum, nisi interdum dum fodiendo occurrant vene calidorum mineralium. Verum quidem esse, nonnullis anni temporibus, ut estate & hieme, paullò intensiore sentiri calorem; sed id non ex maiori aut minori profunditate oriri, cum in omnibus fodinis ita sit. Et hæc responsa nostra in unica fodina, & ab unico Praefecto accepi, sed in omnibus & ab omnibus. Cum ergo ad locum caloris in hac fodina devenissimus, & descendendo calorem illum magis ac magis augeri sentirem, huius rationem peti à Praefecto, quod in nulla adhuc fodina similem caloris intensionem perceperisset. Respondit, mineram vitrioli paullò inferius existere, que calorem sic multiplicaret. Descendimus igitur, meque Praefectus introduxit in quamdam cameram satis amplam, quæ tota smaragdino constabat vitriolo, & in qua tantus vigebat calor tamque acris spiritus inspirabatur, ut & sudore panè deficerem & guttur mihi dissecari videretur: valdeque miratus sum, quomodo fessores eo in loco laborare potuerint. Estque notandum, quod tales fodina calida vitrioli, aut sulphuris etiam in prima terræ regione reperi possint, eamque ad extensam activitatis sphæram, reddere continuò calidam.

Quod notandum mones, notamus D. Morine Nempe etiam in prima & frigida terræ regione, calorem interdum reperi, quem vitrioli aut sulphuris mineræ intra circumscriptam activitatis sphæram, in orbem spargunt. Deinde in media etiam terræ regione, circa ejusmodi mineras, maiorem æstum sentiri. Vnde jam non difficulti conjecturâ intelligi potest, totam istam medium regionem à spiritibus mineralibus calefieri, aut certè etiam ab ignibus non uno loco suppositis; quorum postea, quando de origine fontium dicemus, redibit mentio. Vbi autem nulli sunt ignes, nullæ aut frigidiores mineræ, nullus etiam, aut modicus est calor. Nec totus deinde profecto ubique terræ uterus ita fervet, ut fodinae Hungaricæ quas D. Morinus invisit. Nam ditissima illa Potozi in Americâ minera, ab Hispanis an. 1545 reperta,  
intra

intrâ 150. aut 200. orgyarum profunditatem, id est, ad fundum usque, perpetuo frigore riget, sicca tamen / ne quis frigerantibus aquis calorem ejus extingui putet / ut Iosephus Acosta, qui in eam descendit, est testis.

Lib. 4. c. 8.  
Hist. Indic.

Quænam verd tot mineralium opum, quas in visceribus magnæ matris metallarij scrutantur, sit caussa, nescio. Deus tamen, opinor, qui per suppositos ignes, aut auxiliatrices alias caussas secundas, à principio statim conditi Orbis, sic excoxit, aut excoquere cœpit, quando in usum & commoditatem mortaliuum sapientia ejus appendebat fundamenta terre, montes gravi mole collocabat, & cuncta componens, in Orbe terrarum ludebat. Nam ecce statim ab initio & ante diluvium legimus, *Tubalcain è Caini progenie, fuisse malleatorem & fabrum in cuncta opera æris & ferri.* Igitur tam citò æs, ferrum, & metalla in mineris suis maturuerant, idonea quæ ad maleum & incudem venirent.

Prou. 8.

Gen. 4.

## LIBERTI FROMONDI METEOROLOGICORVM LIBER SECUNDVS.

### De Meteoris ignitis.

#### CAPVTL.

##### Materia & forma ignitorum.



AVSSA materialis transiens meteororum ignitorum est *avadupiatus* seu *exhalatio* idonea flammæ. Hæc enim est, quæ inflammatione corruptitur in ignem, qui est materia permanens hujus meteori. Ut autem exhalatio flammarum, saltem visibilem, concipiat, debet esse viscosa aut pinguis. Quæ enim omni humore oleari carent, ut cineres, candelarum fuligines, &c.

non

non recipiunt inflammationem. Hinc sequitur, materiam istam non esse puram putam terram in fumos exhalatam. Mera enim terra, arida est & omnis pinguedinis expers. Macerari ergo eam antè oportet humore aliquo pingui, poris ejus, virtute caloris solaris aut alterius, incocto ex aquâ pluviali & partibus terræ in eam fatiscentibus. Deinde bona, & fortasse melior materia horum meteororum pars, ex mixtis, ut sulphure, plantis, bitumine, animalibus resolvitur.

Forma meteororum igneorum, ut talium, sunt *accidentia quadam, & praesertim situs, aut motus materiae, qui meteoro tribuit nomen.* A situ enim & figuraione, aliquod lancea, aut trabs, &c. à motu, ignis fatuus, aut capra saltans, &c. appellantur. Forma eorum substantialis, est forma ignis si exhalatio sit tota incensa. Alias enim potest meteorum majori parte constare exhalatione adhuc crudâ, quæ lumine partis accensæ perfundatur & resplendeat.

Adverte tamen, multa sœpè haberi pro ignitis meteoris, quæ reverâ non sunt; sed vel corpora sunt suapte luce fulgentia, ut ligna putria fungique putres; vel sideris alicujus reflectunt lumen, ut trabes illæ, & luminosi tractus, qui nocte concubia, post extinctas omnes crepusculorum lucernas, ab horizonte occiduo aut Boreali, subito evibrantur, aliquando etiam usque ad Meridianum. Imò Robertus Fluth, Anglus scriptor, affirmat se quondam ignem fatuum noctu secutum & assicutum: & materiam invenisse non igneam, sed viscosam & lubricam, compactam in modum spermatis ranarum, distinguenter nigris & exiguis maculis subalbidam, quæ vice speculi redderet stellarum lumen. Caussa efficiens proxima, non omnium ignitorum eadem est, diceturque ea in singulis. Initium autem ab ijs, quæ in infimâ regione circa terram generantur, faciemus: deinde per medium, ad supremam ascendemus.

CAPVT

## C. A P V T II.

*De meteoris ignitis infimae regionis.*

## ARTICVLVS I.

*De Igne fatuo.*

VNC ignem & alios similes Plinius dicit in Lib. 2 c. 37. Naturæ majestate abditos, & incertâ ratione oriri. Nos eos tamen, quantum Deus & meditatio dederit, è latebris istis extrahere conabimur. Ignis, qui vulgo fatuus, erraticus etiam, aut ambulo, solet appellari. Materia ejus, exhalatio pinguis & viscosa: forma, saltus ille in modum hominis fatui. Caussa exhalationem incendens, in difficiili est & obscuro. Tres possumus imaginari. Prima, saltus ipse exhalationem confricans & attenuans. Sic enim eam ad formam ignis ( à caussâ primâ, quando secunda deest, producendam ) disponit. Deinde, antiperistasis nocturni frigoris. Hæc enim exhalationem densat, & partes subtiliores, in quibus fortasse est aliqua scintilla ignis quam interdiu Sol accenderat, in angustum cogit: quæ mutuo contactu se calefaciunt, & ab unâ reliquæ incendium rapiunt. Vel certè etiam totam exhalationem Sol ante occasum incendere potuit, noctuque demum, extincto majori lumine, apparere coepit. Sicuti enim ast:a non minus interdiu, quam interncta lucent, et si non distinguamus; ita omnia ignita meteora die juxta ac nocte generari possunt, licet lumine Solis perfusa, inter diem non conspiciantur. Tertia caussa esse potest, antiperistasis nubium, quæ stellas cadentes & fulmina etiam accedit. Materia enim ignis fatui in nubibus fortasse fuit, indeque expulsa in infimo aëre tamdiu saltat & fluctuat, donec omni viscositate digestâ, tota deflagraverit. Hæ causæ etiam accommodari possunt: Castoribus, Helenis, & id genus alijs.

Caussa

Causa saltus fatui, sunt rores nocte in eum recidentes, & deprimentes, contra quos levitate suâ resurgit. Fluus etiam & inconstans aëris. Denique, prout densatur frigore, aut calore rarescit materia, desidit, aut in altum refilit.

Locus ubi frequentius apparet, paludes, cloacæ, cœmeteria, patibula sunt: quia ibi est copia halituum pinguium, quos loca uliginosa, & mortuorum cadavera exspirant. Tempus, æstas maximè, quando Solis efficacior ad solvendas exhalationes potentia; vel autumnus, quando terra incendio æstatis adhuc fumat, & Sol satis validus ad eliciendos, non absumentos halitus. Hæc enim unica videtur ratio, cur omnia meteora ignita magis autumno, quam aliâ anni tempestate frequententur. Durant autem fatui ignes aliquot etiam horis: quia licet perpetuò partes exhalationis subtiliores exspirentur, aliæ tamen adversus flammam antea contumaciores, paullatim accenduntur, & (ut sit in candela) decedentibus succedunt.

Flammulæ istæ in Germaniâ & Belgio rariores, quam in Hispaniâ, Africâ, & circa torridam, sunt. In montibus Hispaniæ viatores sæpè plurimas simul vident; in Æthiopiam campi toti nocte ipsis, ceu stellis colludent.

Quia verò in materiâ lentâ & tenaci ardenti, aliquando signa militaria, aut viatorum hastas apprehendunt. Vidi inquit Plinius, nocturnis militum vigilijs, inherere pilis pro vallo. Et Gylippo Syracusas potenti, visa est stella super ipsam lanceam constitisse, ait Seneca. Nuper etiam ante decretoriam illam Prægensem pugnam, an. 1620. narratur Illustr. & Invictissimi Tribuni Legionis Walonicae, D. Guilielmi Verdugi vexillo ignis talis insedisse: idque augurium aliquod infecutæ mox ingentis illius victoriae fuit.

Solet sequi fugientes, aut fugit insectantes, quia aëris ei pro vehiculo est. Aëris autem versus tergum inambulantis, metu vacui, affluit, ducitque secum suspensam in eo flammulam; unde videtur sequi. Fugit verò, & quidem celerius quam sequatur, quia aëris fluctus & undatio quam ambulans facit,

Lib. 2.  
cap. 37.

Lib. 1.  
Nat. c. 1.

facit, eam propulsat & abigit. Vnde magis equitem quam peditem fugit: ille enim majorem aëris fluctum ante se agit. Ad flumina autem curiosos, aut mente turbatos, sequentes dicit, quia aqua aërem contiguum secundo alveo deducit, in cuius locum aliis aëris, ignis fatui forte vector, defluit. Ad concavitates etiam & alia præcipitia descendit, & eò homines invitati, quia fortasse ventus ab eminentioribus repulsi in ea se loca gyrat & devoluit. Adde, certum & expertum esse, malos Genios in perniciem mortalium aliquando hunc ignem gubernare. Ostendo id manifesto exemplo cuiusdam mei affinis, qui mihi sàpè denarravit. Redibat is nocte oppido Viseto Haccuriam, natalem meum locum, æquali inter Leodium & Mosæ-Trajectum intervallo. Et ecce medio campo circumvolant eum subito tres quatuorve fatuæ istæ faces. Perterritus abijcit se illico in terram. Permanent tamen illæ, & uno aut altero passu ab eo distantes, fixæ & immobiles circumlucent. Cum diutius terræ inhæreret, & invocaret Dei opem, absiliunt subito inde dimidio amplius Belgico milliari. Exsurgit tum quasi liber, videtque transuolasse Mosam. Sed ecce vix duos aut tres passus confecerat, revolant derepentè, & cingunt ut priùs. Ibi ipse majori terrore in terram recidere, & pertinaci procubitu tam diu fatigare, donec rursum sine reditu diffugerent. Nihil certius, quam tales motum non casu, sed ab Intelligentiâ aliquâ directum fuisse. Bodinus quoque *Eos ignes qui à nostris fatui vocantur, inquit, ludibriæ dæmonum esse vel hoc argumento ostendi potest, quod sibilo procul etiam evocati, celerrimè advolant, & vocantem necant, aut crudelissimè torquent, nisi fenestram qua venientes viderit, repente concludat. Viatores etiam in flumina, aut periculosa præcipitia sequentes deducunt; quos arcere si voles, clara voce Deum appellare, aut primum facie terram contingente adorare oportet. Hoc amuletum majoribus nostris acceptum ferre debemus.*

Quod tamen Bodinus existimat, motum ignis fatui semper à dæmone aliquo regi, non placet. Caussas enim alias merè naturales, quas antè tetigimus, habere nihil vetat.

Et procubitus viatoris in terram ad hoc naturaliter valet, ut aëre, qui ab ambulante propulsus undabat, quiescente, ignis quoque conquiescat, nisi ventus aut alia caussa eum exagitat.

Vulgus autem fingit animas Purgatorij esse, quæ vagentur circumdatæ, & alligatae hoc expiatorio igne. Et auger suspicionem, quod aliquando videantur voces quasdam edere: quia forsitan pars materiae densior, concepto intus & intento spiritu rumpitur, & cum crepitu dissilit: vel quia ros nocturnus cum stridore flammulam incidit; vel quia ipsa flamma secundo aëra sibilum facit. Ipse etiam Genius aliquando rector, fingere voces ad terrorem aut dolum potest.

Id verò quod Robertus ille Fluth in manus nactus, ut in fine cap. præcedentis narravimus, non ignis fatuus, sed glutten forte aliquod in aëre concretum fuit. Delapsum enim in terram ante se affirmat, quod ignis ille fermè non solet. Vel fortassis reliquiæ alicujus stellæ cadentis fuerunt, quas ignis in talem substantiam decoxerit. Sidus enim aliquando cælo lapsum vidisse se Clariſſ. Vir D. Petrus Castellanus, Medicinæ & litterarum Græcarum Professor, Vir tam fide dignus, quām Medicinā, & omni politiori litteraturā inter Academiæ nostræ eruditissimos conspicuus, mihi narravit, materiamq; ejus non longè ablusisse ab eā quam Fluth in fatuo suo igne deprehendit.

## ARTICVLVS II.

### *De Castore, Polluce, Helena.*

**T**Res istos ignes, quæ etiam sidera à nautis appellantur, solus loci situs à fatuis distinguit. Hi enim terræ, illi mari impendent. Vnde aliquis è fatuo & ambulone, Helena fiet & sexum mutabit, si ventus è terrâ in mare cum exsibilet. Si duo simul à nautis conspiciantur, Διόσκοροι sive Castor & Pollux; si unicus, Helena vocatur. Hispani & Galli circa mare Mediterraneum, S. Hermi, S. Telmi ignes;

ignes; Itali, S. Petri & Nicolai, alij S. Germani nominant.  
Duo olim felices & tranquillitatis indices reputantur; unicus mali ominis, & tempestates concitare. Vnde naufragium describens Poëta celsus, Castorem & Pollucem fugisse dicit navem, damnatam Helenæ sororis igne.

*Stat peritura ratis, cum iam damnata sororis  
Igne, Terapnæ fugerunt carba fratres.*

*Antennis navigantium alijsque navium partibus, ait Plinius, cœn vocali quodam sono insistunt, ut volucres sedem ex sede mutantes. Graves cum stellæ istæ solitariae venere, mergentesq; navigia. Et si in carina ima deciderint, exurentes. Geminæ autem salutares & prosperei cursus prænuntiæ, quarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatamq; Helenam. Et ob id Polluci & Castori id numen assignant, eosq; in mari deos invocant. Bodinus quoque mirâ subtilitate versum istum Psal. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, eodem trahit, putatq; flamnam istâ ignis Helenam designari; cuius ignem Dei minister Angelus subit, eumque agitat & regit, ut universim de ignibus fatuis, imò fulminibus, & id genus ignitis existimat. Et profecto, sicut Genij boni aut mali ignes fatuos sæpe movent & gubernant in terra; ita dubio procul Castores, Polluces, Helenas jussu, aut permissione divinâ, interdum in mari circa naves agitant.*

Quod tamen duo ignes boni, unicus mali ominis sit, credo temerè vulgatum. Nam nautæ Mediterranei maris hodie aliter, & unicum felicem, duos tempestatis præfigurum esse credunt, ut in Peregrinat. sua Radzivilus narrat. Veterum autem supersticio contrà; ideo solum, ut opinor, quia Castor & Pollux benefici olim navigantibus, profligatis toto mari piratis, Helena verò eorum soror, à Paride rapta, calamitosa, & occasio longæ illius & famosæ Troianæ obsidionis fuit. Cardanus tamen nititur naturalem caussam reddere. Quia, inquit, cum duo, parvi sunt, & minimè lenti; alias subtil. enim in unum coissent. Sed frustra. Duo enim parvi possunt æquiparati uni majori: & licet forent lentæ ac tenacis materiae, non ideo statim in unum ignem confluarent, quia

forte vento aut fluctu aeris non permittuntur jungi. Melius  
 Lib. 1. c. 1. ergo Seneca vim nullam in numero ponit, sed in quiete so-  
 Nat. lumen & motu. In magna tempestate, inquit, apparent quasi stelle  
 velo insidentes. Adiuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis  
 & Castoris numine. Causa autem melioris spei est, quod iam ap-  
 pareat frangi tempestatem, & definire ventos. Quies ergo illa in  
 antennis & velis significat flatus sopiri, & malaciam redire,  
 sive unus, sive duo, plurisve ignes fuerint. Cum vero ja-  
 ctari & discerpi incipiunt, ventos sentiunt prodromos  
 tempestatis. Multitudo tamen etiam materiae hoc refert ali-  
 quid. Nam exhalationes plurimas, in flatus mox forte recas-  
 das, ascendisse indicium est. Quo etiam magis urit, & in ma-  
 teria densiore ardet hic ignis, eo majorem & praesentiorem  
 perniciem significat. Ut verum illud Cardani esse possit:  
*Helene fidus circa malum navis, quod cadens etiam anea vas a collig-  
 nat, certus submersionis nuntius.*

Ceterum, quia Castor & Pollux nautis salutares, ali-  
 quando effigies eorum pro παρασημο, seu insigni, figeban-  
 tur in prora navis. Veteres enim, ut notat Ios. Scaliger,  
 præter Tutelam, quæ Deus aut Dea in puppi erat, παρασημον  
 ( à quo nomen navis accipiebat ) ut Centaurum, Arietem,  
 AG. 28. Anguem, Castorem & Pollucem, in prora statuebant. Hinc  
 S. Lucas scribit, navem Alexandrinam, quæ S. Paulus Sy-  
 racusas navigabat, habuisse pro παρασημο, Διοσκόρους, Caſto-  
 rem & Pollucem.

## ARTICVLVS III.

## De Igne lambente.

**H**ic est exhalatio tenuis & uncta, ex spiritibus anima-  
 lium concinnata, & circa crines eorum relucens. Id  
 autem Veteres habebant pro rei cuiusdam fortunæ ingen-  
 tis præsigio. Vnde ingeniosè capiti Iuli, filij Æneæ, talem  
 circumfixxit Poëta.

Ecce

*Ecce levis summo de vertice visus Iuli*

*Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli*

*Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.*

*Aeneid. 2.*

*Et Aeneas pater:*

*Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem*

*Excitare, & sanctos restinguere fontibus ignes*

Sed non erat necesse restinguere, ne ambureret. Flamma enim illa, innoxia lambere comas solet, ut Poëta autè dixit. Adverto etiam, totam pænè ignis istius naturam tribus versibus ab eo signatam fuisse. In primis *apicem* vocat, quia flamma hæc in conum fastigiari solet: subtilissimâ scilicet ejus parte citilis in altum effugiente, seque in apicem densante, ut sic facilis terebret, & vincat aëris ambientis resistentiam. Deinde *levem* dicit, quia flammula est, texta è tenuissimo spiritu. Tertiè, *tactum* ejus esse *mollem & innoxium*, & hoc ob materiæ tenuitatem. Similis enim est flammeæ vini ardenter, in quâ fluxa raritas vim amburendi sic discinxit, ut linteum eo madefactum nihil ustulet, contenta solum humorem exsugere. Quarto, *circum tempora pasci*. Pascitur enim ut flamma candelæ, nec eadem flammula diu perseverat, sed alia & alia, perpetuo agmine, à spiritibus ascendentibus, in supplementum pabuli ascendit. Denique, tempus quo tales ignes videri tantum solent, nempe nocturnum (nam die, majus Solis lumen eos habebat, aut prorsus offuscatur) egregie observavit. Factum id enim ipsâ eâ nocte, quâ equus ille durateus Troiam cepit. Aliquando tamen, ubi halitus densior & pinguisudore (qualem magnus & improbus labor exprimit) est permixtus, interdiu etiam se, à vicino saltem, videndum præbet. Sic Alexandro in ardore pugnæ caput scintillavit, sic Tiberij equus quondam flaminigeravit. Equorum enim sudantium jubar frequentius allambit hic ignis, quia spiritus pingues, quos cum sudore exhalant, simili flammæ magis idonei. Et inde fortè olim vulgatum, Amazonum equos spirasse naribus ignem; quia cursu & militiâ exercitatissimis facile ardebat quod naribus, ore, auribus, aut jubis expirabant. De L. Martio Scipionum in Hispaniâ ultore, Livius

ex Antiate, Flammam concionanti fusam è capite sine ipsius sensu, cum magno pavore circumstantium militum, scribit. Servio Tullo etiam Rom. Regi, puerò in regia cubanti caput arsissè visum, creditumque Laris familiaris filium; & ob id Compitalia, & ludos Latibus primum instituisse, affirmat Plinius. Sed verisimile id puerò in tenebris evenisse: nisi etiam Magicum aliquid intervenerit. Sic & Salvidieno illi, quem novo exemplō Augustus Cæsar ad Consulatum nondum Senatorem evexit, obscurissimo genere nato, pascenti gregem flamma è capite emicuit. Porro irà aut vino æstuantia capita facilius hic ignis circumfulget; quia illis pori aperti & hiantes sunt pluresq; spiritus magis ignibus idoneos suppeditant inflammam. Hinc Alexander, quia vinofus & igneæ complexionis ( licet quidam apud Athenæum melancholicum, & ideo sanguinatum & crudelem fuisse dicat ) aptus & propclivis hisce inflammationibus fuit. Existimo etiam, non raro spiritum sine verâ flammâ & igne lucere. Patet id in equis & felibus, quos si adverso pilo vehementer frices, scintillas ( nec puto ardentes ) excuties. Pari ratione, si saccaro ( quod non semel sum expertus ) in densis tenebris cultrum affrices, flamas perpetuas, vix irrito ullo iactu, emicantes videbis. Habeo tamen, cur dubitem, igneæne flamulæ, an lux tantum & albedo spiritibus saccareis nativæ sint. Certum enim est, multos esse spiritus qui lucem sine igne habent. Putasne Poëtam, cùm Turnum iratum describit,

Aeneid. 12. *His agitur furijs, totoque ardantis ab ore  
Scintillæ absunt, oculis micat acribus ignis,  
intellexisse ignem, qualis qui focum nostrum accendit? Plus  
ingenij habuit. Scintillæ istæ nitent tantum, ut nitedulæ &  
lampyrides, non urunt. Sunt enim animales, aut alij in cor-  
pore spiritus, quos ira, pudor, & similis alia perturbatio per-  
nervos opticos in tunicas oculorum expellit. Hinc flagran-  
tes illi Tiberij oculi, qui cum primū à somno patuissent,  
omnia in tenebris, ceu mediâ luce cernebant. Tales etiam  
ferè Dictatori Syllæ. Qui etiam rutilâ comâ, & rubeâ fa-  
cie iustar ochræ fuit: quales, fallor, aut citius phantasticus*

Sueton in  
Tiber.

Dion in  
Orau.

Lib. 22.

iste ignis allambit. Fulvus enim crinis fuligines aliquas con-  
colores habet, spiritusque ruforum magis splendent. Vnde  
& sudor eorum proprius quam ceterorum ad croceum ac-  
cedit. Tales denique oculi flammingantes C. Mario, quibus,  
ceu geminis facibus, Cimbrum exterruit, quem ad eum in  
obscuro carcere trucidandum submiserant Minturnienses,  
ut in Mario Plutarchus scribit. Vbi advertere licet, tres  
Principes insigniter crudeles & sanguinantes, C. Marium,  
Cor. Syllam, & Tiberium Cæsarem, pari oculorum habi-  
tu fuisse. Similes etiam canum rabientium in tenebris oculi.  
Scio deinde, cui à largiori paullò vini Hispanici potu, ex-  
perreto, nox visa collucere. Et de quadam Comitissa narrat  
Schenckius, in morbo oculorum nihil inter diem ac no-  
ctem distinxisse, sed omnia per tenebras, ut claro meridie,  
solitam cernere. Cuidam etiam adolescenti pestifero nuper  
Collegium nostrum visum ardere. Sed incendium in oculis  
ejus tantum erat. Asclepiodotus Philosophus in nocte, lu-  
cernâ nihil adjutus, libros legebat. Imò, ut jam video, duo  
Scaligeri, & Casaubonus tandem, si Deo placet, affectant  
Tiberianos oculos. Spiritus autem tales clari & luminantes,  
oculis, & poris capitis confertim erumpentes, ignis lamben-  
tis speciem facere possunt. Nam Brasiliatum nuper hic vi-  
dimus, cui peccanti caput ramenta, velut scintillæ ardentes,  
in tenebris excidere videbantur. Erat autem cerebri, ut  
apparebat, siccissimi. Talis etiam fortasse ille Carmelita,  
cui teste Cardano, per annos tredecim, quoties cucullum  
in occiput reduceret, flamme erumpabant. Magiam enim  
fuisse non existimo; quia Religiosus: neque etiam magnam  
sanctitatem; quia sæpè ad prandia à miraculi curiosis invi-  
tabatur, & ibat. Magni autem sancti non tam facile vadunt  
pransum foras. Aliquando tamen Deus luminosae ejusmo-  
di irides capitibus amicorum suorum circumfundit, si que  
vulgø eos pingimus. Et S. Ioannes vidit Angelum amictum  
nube: & iris in capite eius, & facies eius erat ut Sol. Facies quoq[ue] e  
Christi Domini in monte Thabor, resplenduit juxta aut su-  
pra fulgorem Solis. Hæc autem coruscatio lucem & purita-  
tem mentis significat.

Lib. obser-  
væ.Lib. 8. c. 47.  
Varier.

Apoc. 10.

CAPVT

## C A P V T III.

*De meteoris ignitis mediæ regionis.*

## A R T I C V L V S I.

*De Dracone, & Stella cadente.*

ARACELSVS ridiculè censet Draconem hunc esse animal igneum, natum in elemento ignis ; ut muscas in aëre, pisces in aquâ , vermes in terrâ . Dicitque esse brevis vitæ, ut Salamandras ; genitas , inquit , sine semine , ex putrefactione sulphuris adurentis . Sed cineres , & reliquiæ Draconis in terram decidentis , satis indicant ignem , non animal fuisse . Repellitur autem , ut quidam existimant, hæc exhalatio à nubibus , in quas magno impetu incurrit . Verùm durities nubium non est tanta , ut retorquere deorsum tam validè exhalationem possit , ut Lib. iv. circa caussam efficientem ventorum dicemus . Itaque refrigeratio , quâ exhalatio in mediâ regione condensatur , & gravior aëre redditur in quo pependit ; vel certè explosio è nubibus more fulminis , est caussa volatûs & obliqui delapsûs Draconis . Hanc secundam caussam esse frequentiorem , probat color ille Draconum cæruleus ; qui haud dubiè nasci videtur ex mixturâ lucis exhalationis incensæ cum opacâ parte nubis , quam erumpendo sibi implicat & unâ detrahit . Vnde etiam exhalatio valdè refrigerata , & tantum non extincta apparet . Ut non sit jam mirum , tonitru nullum ab eâ edi , cùm languido , frigido , & fracto verbere nubem cædat . Sic etiam pulvis madens , aut flammæ densioris , frangorem in bombardâ surdum facit , glandemque tardè & cunctanter expellit . Sinuoso autem corpore sunt Dracones , eâ ratione quâ turbines , itidem è nubibus explosi . Quia scilicet posterior pars exhalationis grandiorem impecatum , quam prior , accipit , & eam premendo , arcu quodam aut gibbo

aut gibbo in latus detorquet. Partes etiam nubis aut exhalationis utrumque apposita, alarum imaginem, uti scintillæ quædam igneæ circa caput, similitudinem flamas ore vomentis, facere possunt. Censeo tamen esse fabulosum, veros Dracones ignem ( nisi forte in irâ, quod & equi possunt ) solitos spirare.

Ex his potest Draco volans sic definiri: *Exhalatio pinguis & copiosa accensa, quæ deorsum obliquè cadit è nubibus, similitudinem habens veri Draconis volantis.* Forma autem veri Draconis, oblonga est, tumente alvo, capite & caudâ gracili. Scaliger de Atlanticis: *Solo contactu, inquit, Dracones Atlantis mon-* Exercit.  
*tis interficiunt. Capite sunt & caudâ gracillimi: alvi tanta vastitas, vix ut reptioni sint habiles.* Alati tamen quidam sunt, & volant. Quamquam Cardanus scribat se Lutetiae quinque Lib. 7. c. 27.  
*vidisse bipedes, alis exiguis, ut vix, inquit, volare crediderim.* Variet.  
*Caput parvum, & serpentum capiti simile, color lucidus, pluma nulla, nec pili. Magnitudo eius qui alios præcellebat, cuniculi.* Sed hi Draconculi tantum erant. Plinius enim etiam vicenûm pedum in Indiâ nasci affirmat. Miratur tamen idem, unde Iuba, Rex ille & Scriptor egregius, cristatos crediderit. Nam *Draconum cristas*, ait, *qui viderit, non reperitur.*

Dracones signa sunt pestilentia & morborum: quia aërem multis exhalationibus gravem & infestum esse oportet, ut tantæ molis meteora generentur. Qui devolantem asperxerit, vulgus credit brevi moriturum. Sed vanè: scio enim qui dudum vidit, adhuc superstitem. Et nuper in Belgio multis spectantibus, Draco ingens in agrum metis & manipulis resectorum segetum plenum deciduus, longissimâ caudâ spirâ omnia converrit, in sublime abstulit, & in auras dispersit.

Stella cadens, inquit Aristoteles, è nubibus, ut nucleus è digitis compressis, excernitur. Generatur ergo ut Draco, & fulmen; sed sine crepitu, qui saltem exaudiatur à nobis: habetque se ad fulmen, ut glans sclopeti minoris ad majoris tormenti sphæram. Ac veluti ex distantia dimidiij milliaris, sclopeti flammulam vides, surdo sonitu, cum flammâ vero

I tormenti

tormenti, audis & fragorem; ita lumen fulminis cernis, & audis simul bombum, non autem stellæ exslientis strepitum; quia exhalatio minor est, nec latâ & sonanti plagâ rumpit nubem. Ut etiam fulmina & Dracones vero motu ad terram usque quandoque decidunt, ita de stellis cadentibus asserit Aristoteles. Et Poëta Latinus,

Virgil.

*Sepè etiam stellæ vento impendente videbis  
Principites cælo labi, noctisque per umbras  
Flamarum longos à tergo albescere tractus.*

Et deinde:

— De cælo lapsa per umbras —  
*Stella facem ducens multâ cum luce cucurrit.  
Illam summa super labentem culmina tecti,  
Cernimus Idaâ claram se condere silvâ,  
Signantémque vias. Tum longo limite sulcus  
Dat lucem, & latè circum loca sulphure fumant.*

Vbi in fine, ad materiam fulminis sulphuream alludit; ex quâ etiam stella cadens. Tales etiam erunt, quæ inter Antichristi tempestates de cælo aëreo casuræ aliquando in sacris litteris narrantur. *Stelle de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno movetur.* Et iterum: *Cecidit de cælo stella magna, ardens tanquam facula.* Et Christus ipse: *Stella cadent de cælo.*

Apoc. 6.8

Matt. 24.

Magnam porro hoc meteorum cum pyrobolis nostris, & id genus ignibus artificialibus habet cognitionem; nisi quod hos flamma levet in altum, stellæ verò cadentes contra naturam ignis explodantur deorsum. Alias sàpè in his, ut illis, materia paullatim in ipsâ træjectione incenditur. Sed non cum tanto crepitu stellæ in fine dissiliunt; quia exhalatio loculamentum & claustra rumpenda non habet, ut pulvis chartâ toties replicata pressus & constrictus in pyrobole. Hoc etiam discriminis est, quod quod magis pyrobolusflammam rapit, hoc magis festinat in cælum: ubi stella contrâ, incremento ignis tardatur; quia levitas resistit motui deorsum.

*Sed cur cælo sereno plures, quam nubilo faces cadunr,*  
cùm

cum fulmen in magnâ solū nubium densitate generetur? Negare illud possum. Quia fortè stellæ, quas in serenitate putamus cadere, discurrentes potius sunt, quarum genera-  
ratio longè diversa est; cum è nubibus non excutiantur, sed aliam & aliam materiam inflammando, imaginem tantum discurrentis ostendant, cum reverà locum non mutant. Deinde plures etiam sereno cadunt; quia textura nubium tunc tenuior, & proinde facilius ab imbecillâ stellulæ exhalatione dirumpitur. Fulmen verò nubem densam & atram postulat, ut plures exhalationis partes in easdem angustias cogantur, & simul accendantur, majorique impetu ac tonante perfringant nubem. Interdiu etiam conspicuæ non sunt stellæ, sicut fulmina; quia lumen stellarum facilius Sole offuscatur, & nubes deinde illa tenebricosa fulmini umbram facit, ut videatur. Aliquando tamen stellæ etiam vincunt diem. Nostra certè atas, inquit Seneca, non semel vidi diurnas faces, alias ab Oriente in Occidentem versus, alias ab Occasu in Orsum. Ita sidera dies supprimit. Nuper tamen in fine mensis Augusti anni 1625. Venerem solari & purissimo meridie multis diebus aspeximus. Matutina erat, & uno non amplius ferè Signo antecedebat Solem. Circa Perigæum etiam & satis admota terris, ut species amplior se oculis ingereret.

*Argumentum tempestatis nautæ putant, ait Seneca, cum multæ transvolant stellæ. Quia scilicet cælum plurimis exhalationibus mox reflaturis scatere oportet, in tantâ ignium multitudine. Sideribus etiam deciduis, totidem viros illustres simul extingui Antiquitas censuit. Et hujus vanitatis adhuc memoria aliqua tenuis manet apud nostrum vulgus. Simile vero est, Phaëthonem illum, quem circa diluvium Deucalionis, tempore illo 40. annorum quo Moyses ficeri sui oves pascebat in deserto, in flumen Eridanum cecidisse ferunt, non aurigam Solis, sed ingentem stellam aut cometam cadentem fuisse: ideoque Poëta ingeniosus casum ejus describens,*

*At Phaëthon rutilos flamma populante capillos,  
Voluitur in præceps, longoq[ue] per aëra tractu*

Ovid.

I 2

Fertur

*Fertur; ut interdum de cælo stella sereno,  
Et si non cecidit, potuit cecidisse videri.*

Italiam verò tunc & regiones maxime circumpadanas, quas  
lavat Eridanus, insolito æstu flagrassè oportet. Et inde  
Lib. 5. e. 18.  
Genial. occasio fabulæ Phæthonis. Quæ adeò olim impressa  
Italorum animis, ut populi circumpadani, ait Alexander ab  
Alexandro, lugubres uestes longo tempore induerint, intestina  
mærore affecti propter Phæthonis casum, quod de cælo præcipi-  
tatus, fulmine ictus, & in Eridanum deiectus foret.

Ex his verò quæ differuimus, stella cadens definiri po-  
test, Exhalatio incensa, è nube deorsum explosa, que imaginem habet  
vera stelle cadentis.

## ARTICVLVS II.

*Quis modus generationis fulminis.*

Parac.  
cap. 8.  
Meteor.

**A**vdite quæso Paracelsum : *In stellis fulminibus est sul-*  
*phur in summo gradu, salpetra in summâ pinguedine,*  
*Mercurius in summâ contrarietate. Ex his tribus tonitru, ful-*  
*men, & tempestates fiant; que maxime totius Firmamenti actio-*  
*nes meteoricas sunt.*

Putat ergo ipse in stellis quibusdam Firmamenti, instar  
mortariorum cavis, sulphur, salpetram, argentum vi-  
vum permisceri, & inde fulmen accendi, excussumque  
ad terram pervenire.

Illiad. I.

Sed ridiculè. Sic enim multis annorum centenis fulmen  
ad terram non pertingeret ; cum lapis etiam molaris è con-  
cavo Firmamenti demissus, vix ( si vulgarem Astrono-  
morum opinionem & mensuram retinemus ) 90. annis  
ad nos usque decideret. Vnde Vulcanus apud Homerum  
malus Geometer, aut certè, excussâ ei in lapsu tam longo  
mente, non satis meminit temporis ; cum die unico artifi-  
ciali, ab oriente Sole ad occasum, se è cælo Empyreo de-  
cidisse in Lemnum concionatur.

Sed exhalatio è terrâ in nubes sublata, sine dubio est  
materia

materia fulminum. Ostendo unicā ratione. Quia noctes quas dies fervens & plurimum in altum exhalans præcessit, maximè fulminales esse solent. Deinde circa montes ignivomos frequentissima sunt fulmina & tonitrua : non alià caussâ , quām quia halitus multos & sulphureos exspirant in fulminum materiam.

De caussâ verò effidente , est quod dubitem amplius. Ea verò duplex est , proxima, & remota. Hæc est, quæ exhalationem accedit; illa , quæ accensam deorsum torquet. Ista enim caussa dat ultimam formam fulmini, qui est motus deorsum obliquus & transuersalis. Et quidem de caussâ hælitum inflammante , Empedocles , & post illum Seneca non existimant ignem in nube generari, sed genitum antè , nubium conflictu deorsum elidi. Vnde secundūm eos, Sol aut ignis hīc in terrā flamas illas , antequam ascenderent , accedit. Nec magis mirum, inquit, ignem in humore nubium tenui & roscido contineri, quām sub ipso mari , cuius aqua tantò crassior longè facilius ignem obruit. Ignem verò subesse mari , probat ex Posidonio Seneca, quia memoriam Majorum mare Ægæum in fumum & flammarum ebullijt, quæ tandem etiam Insulam totam congestis pumicibus rupibusque semiustis in altum expulit. Sed ridet hoc Aristoteles , & perinde est, inquit, ac si dicas, aquam, & nivem, & grandinem fuisse antè in nube, non ibi generari cùm incipiunt delabi. Deinde sine ullâ arietatione & conflictu nubium sæpè fulminat. Denique ex tonitru & subità rupturā nubis, satis intelligitur, ignem ibi repente generari, ac in flamas locumque spatiorem rarefcere.

Plinius docet fulmina esse deciduos trium Planetarum superiorum ignes, & ab ijs expui cum crepitū, sicut è ligno flagrante carbo. Iovem tamen, qui inter Martem & Saturnum medius, dici præcipue fulminatorem, quia à Saturno ( ut interpretor ) frigido , plurimum excrementitij humoris in eum decidit, recipitque à subiecto Marte ardorem quo digerat, & fulmina conflet. Sed sidera vaporibus pasci, antiquum nimis & jam antiquatum est: & cælestium lucer-

Lib. 2. c. 26.  
N. 6.

narum deciduae istæ Plinij emunctiones eodem argumento contemni possunt, quo lebetes Paracelsi, quibus salpetram in Firmamento pro fulmine nobis coquit.

Itaque ignis iste fulmineus intra nubem nascitur, non aliunde supernè aut infernè venit. Lucretius à ventis putat accendi, qui ibi tumultuantes,

*Querentesq; viam circumversantur, & ignis  
Semina convoluunt è nubibus. atque ita cogunt  
Multæ, rotantq; cavis flammam fornacibus intus,  
Donec divolsâ fulserunt nube corusci.*

Sed ventus generare ignem, aut resuscitare mortuum non potest; et si viventem, depulsâ fuligine suffocante, pascere possit.

Dico ergo Primo: Antiperistasis frigidæ nubis exhalationem fervidam, nondum ignitam, ignire per accidens potest. Ratio est, quia nubes se constringens, multas & dispersas halitus particulas in unum locum exprimit, quæ mutuo affrictu & discursu se extenuant, & in tantum incalentunt, ut tandem recipient formam ignis. A quâ caussâ propriè efficiente? inquies. Dic tu mihi antè, quænam causa scintillas, quas attritu chalybis elicis, producat. Si das cælum, si caussam primam in defectu secundæ, eamdem hîc reddam tibi.

Secundo: Sæpè ignea aliqua scintilla in tam spatiösâ nube, & tam latè disseminatâ exhalatione, inveniri potest, quæ reliquarum acervum incidens, incendium faciat. Ardentibus enim illis diebus, quos sequi fulmen solet, exhalatio non rarò tota ignea ( et si ob raritatem, flamمام nullam videoas ) in nubes scandit, ibique magnâ sui parte extinguitur, superstite tamen aliquâ scintillâ in spem resurrectionis.

Tertiò: Stellæ etiam discurrentes, & cetera ignita supremæ regionis, in stationem nubium dejecta, exhalationem fortè ibi acervatam incendere quandoque in fulmen possunt.

Quartò: Causa efficiens proxima fulminis, seu exhalationem

tionem accensam deorsum torquens, est implusus, quem flamma rarescendo, & intra angustias compressa, ad evadendum arripit. Itaque hic est modus generationis fulminis. Exhalationes multæ sulphureæ & nitrosæ, nubibus antè confusæ, frigore tandem & condensatione vaporis in unum cœtum congregatæ, flammatum rapiunt, & collecto impetu extra nubis angustias se effractis claustris ejiciunt: sicut propemodum pyrius pulvis rarescens bombardâ erupit, & excutit glandem. Sed non credet Bodinus. Nec sane habet contemnendam rationem.

## ARTICVLVS III.

*Dæmones non esse, ut plurimum, caussas fulminum.*

*Adversus Io. Bodinum.*

**F**acile intellexit Bodinus, quomodo ē bombardâ ferreā aut æneā, flamma pulveris tantâ vi exiliret, non quomodo fulmen ē nube rara & fragili. Cūm nihil sit, inquit, va-  
pore mollius, nihil exhalatione levius: cūm nulla sint angustiae, quibus  
aer quasi carceribus quibusdam concludatur, sed patentissimis regio-  
nibus excurrat, quis tam hebes, tam cacus, qui rationes istas sine risu  
audire possit? Itaque putat ipse à Genijs aëris & dæmonibus  
semper fulmina jaci, & tumultum illum cæli cieri. Nec Con-  
cilio 1. Bracarenis auctoritate solidè refelli potest, quo ana-  
themà dicitur ijs qui credunt, quod tonitrua & fulgura, & tem-  
pestates, & siccitates diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscilla-  
nus dixit. Non enim diaboli auctoritate & supremo arbitrio  
fieri ista censet Bodinus, sed quatenus superior Dei  
potestas, quæ multa Genios illos in aere hoc caliginoso  
operari & machinari permittit, habenas relaxat.

Hoc etiam Bodino damus: Quosdam homines perperam  
sibi imaginari faxea veluti quædam antra, & duros ac longissimi  
tractus cavernarum fornices in nubibus pendulos esse,  
quibus illata & fracta exhalatio sic mugiat. Tales enim pro-  
fecto ibi suspendi ne momento possunt. Imò nubes & totus  
aer

Lib. 2.  
Theat.

Conc. I.  
Bracar.  
can. 8.

aër mediæ regionis levior est aëre infimo in quo spiramus, ut Lib. v. docturi sumus. Parietes tamen quidam, & veluti claustra in nubibus sunt, et si non tam dura quam è metallo. Partes enim circumfusæ nubis cingunt stringuntque exhalationis globum, retinentque, ne liberè sursum evolet. Quâ ratione, inquis, nubes tam fluxæ raritatis hoc potest? Cogor hîc fateri profecto, exhalationem fulminatricem antequam incendatur, nihil aut vix leviorem esse superiori fornice nubis. Alias enim ut ignis noster scandens aërem inferiorem, sic illa exhalatio partem superiorem nubis per rumperet. Si autem paullò levior nube fuerit, longiori tamen morâ per nubem superiorem transiens, aliquantum refrigerescit & densatur, gravataque in inferiorem nubem recidit. Hinc enim sit, ut ista pars inferior & fundus nubis maximè & pænè solus fulminet. Nam rarissimè excelsos illos vapores jacere ignem videmus; quod nigri isti tamen & vicinissimi nobis sæpiissime faciunt. Halitum enim ex superioribus nubium ordinibus deorsum expressum, aut pondere relabentem excipiunt; comprimunt deinde eum, densando se eosque, ut etiam aquescant plerumque & constringantur in pluviam. Vnde ferè solemne & perpetuum est, ut in omni fulmine, præsertim validiusculo, pluat simul & nubes se exonerent. Imò si attendas, post singulos majores crepitus, novam habebis & insigniorem aquæ effusionem. Quæ post sonitum quidem venit, sed ante tamen, aut simul incepit delabi. Simul enim vapor in aquam se stringit, & exhalatio inter eum deprehensa, & premi indignata, erumpit. Pluvia tamen tardius ad terram venit, quia tonitru celerius totam profunditatem infimæ regionis vibrat & speciem sui ad auditum effundit, quam cœlestis gutta eam traijcere possit. Quomodo autem tam tenuem textum nubium lacerando, tantum fragorem edat, posteà dicemus. Alias si dæmones soli fulminatores sint, cur nubilo tantùm fulminat? Cur non etiam hieme? Certè enim exhalationes dæmonibus deesse non possunt, cum omni tempore, aliunde saltem, ubi soles magis servidi sunt, colligere valeant.

Sed

Sed in Catilinianis prodigijs, Pompeiano ex municipio M. Herennius Decurio sereno die fulmine ictus est, ait ex Plinio Bodinus. Certè, sed ideo insolens, & inter prodigia numerari méruit. Ac fortasse re vera tunc genialis manus fulmen istud misit. Quandoque enim fulminat bonus aut malus Genius, ut cum oves custodesque Iobi Satan cælesti igne percussit. Nego verò semper, aut passim. Deus tamen, quocumque ministro in jactu fulminis utatur, providentia suā ictum & motum gubernat; & quemadmodum eclipsibus, Cometis, terræ motibus homines frequenter futurorum admonet, ita fulminibus. An enim extra Numinis fortè providentiam cecidisse illud fulmen quod Iovius narrat, existimabimus? Obijt Phil. Beroaldus, inquit, non planè senex, paulò post id tempus, quo Bononia terra motu concussa est, & tyranni Bentivoli domum, mirabiliter subsecuta calamitatis præsagio, dira fulmina percusserunt. Hinc est, ut in coruscatione signemus nos signo Crucis, ut Dei providentia ictum à capite nostro avertat. Numinis quoque Majestatem & potentiam isto signo adoramus. Fragor enim ille nubium res profecto est admirabilis & tremenda potestatis: meritoque Deus de specta Iobi infirmitate, eum interrogat, *Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas?*

Nec adhuc sane satis intelligitur, quo pacto exhalatio non firmius quàm nube levi clausa, cum tantâ indignatione & impetu, ad terram usque, contra renisum igneæ levitatis, se deieciat. Fracastorius credit, calorem fulminis à frigore nubis repellit actione intentionalí, ut loquimur, percutiendo nempe eum specie tangibili frigorificá. Sed nimis hoc est imbecille. Species enim frigoris non est immediate efficiens impetus calorem repellentis. Nam aliás manus v. g. frigida vicinam candelæ flamمام à se palam averteret.

Itaque cùm omnia circumspicio, non video quà manus Bodini evadat, nisi per fugam penetrationis. Igitur ut in tormentis nostris evenit, flamma exhalationis in milliculum & ultra, momento quasi, rarescens, ne magnitudo ejus magnitudinem nubis penetret, eam quà promptissimè

valet, dirumpit. Quare non leviter tantum summovet, inquies, cum tam flaccide nubes renitatur, sitque tam mollis? Quid opus tanto impetu, ubi minimum impulsu, flammæ se dilatanti sese aperit? Hic nodus, non dissimulo, me stringit. Sic tamen dissolvo. Exhalatio in angustum à nube se undique stipante contracta, & deinde tota simul inflammata, tam celeri motu rarescit, ut vicinæ & contiguæ partes nubis, tanta festinatione decadere ei & diffugere non valeant, quin flamma momentaneo ferè temporis puncto tam latam expansionem postulans, non sentiat se vehementer premi. Hoc enim pensiculatè cogito. Non solæ partes vaporis proximè ambientes, sed etiam longissimè diffitæ usque ad finem nubis, supernè, infernè, flammæ resistunt. Nam proximæ a fulmine impulsæ, sequentes alias etiam trudunt. Quia verò unaquæque non sine pugnâ, et si levi, loco suo cedit, multiplicatæ tamen tot intra velocissimum tempus per eamdem lineam resistentiæ, tantum flammæ se diffundenti obstant, quantum pauciores in corpore duro aut densiori, ut v. g. in tubo ænei tormenti. Et sic fermè S. Basilius. & Ambrosius exponunt illud Prophetæ Amos, ἔστερην θρονήν firmans tonitru, quomodo verterunt 70. ubi nos legimus, firmans montes. Dat enim Deus spiritui fulminis & nubibus, etiamsi levissimis & fluxis, quandam ἀρρεπότητα καὶ ἀγριωτίαν soliditatem & resistentiam, ut non sinant se comprimi aut dissumpi, nisi cum maxima vi & fragore, ut res solidissimæ solent. Et hinc ecce videor mihi reperisse veram & legitimam caussam, cur fulmina potissimum emicent in terram & per infimam nubis superficiem. Quia, inquam, in atris illis & humore multo gravidis terræque proximis nubibus ceduntur fulmina. Ut proinde à cavitate in quâ exhalationes flammam concipiunt, usque ad imam nubis superficiem minor longè sit distantia & vaporis crassitudo, quam ad convexam & summam quæ supremam aëris regionem tangit. Tres enim quatuorve sèpè ordines nubium sunt superpositi infimæ nubi, in quâ est officina Vulcani & fulminis. Quia ergo à parte superiori & lateribus (ubi

*Homil. 3.  
Hexam.*

*Amos 4.*

etiam)

etiam omnia plena nubibus ) longior & major resistentia est, flamma potius deorsum erumpit. Sed ecce hoc iterum ( dum cogito ) progressum opinionis meæ tardat. Aër namque infimæ regionis densior est nubibus, ut Libro v. probabimus: igitur magis fulmini, quām nubes supernè impendentes, obsistet: omniaque fulmina per partem superiorem nubis, nulla per inferiorem erumpent. Hoc ergo, quod præcipuum est, præcedentibus adiiciendum restat. Et signanter considero, fulmen numquam deiici, nisi pluentibus, aut rorantibus saltem nubibus. Hinc enim in Belgio soli pænè Australes aut Occidentales venti fulminant, quia non aridas, sed imbrum fœcundas nubes ad nos vehunt. Ceteri ferè ventorum, & præsertim *Aquilo*, *arida differt* Virg.  
*Nubila*, ut Poëta canit.

Itaque infinitæ pluviales aut roscidæ guttæ, ex superiores nubibus densissimo & continuo agmine ( nec enim postquam in aquam reversæ, vel momento temporis, inter corpora leviora ibi consistere possunt ) defluentes, & toto aëre inferiori densiores, flammæ in superiora conanti obstant, & motu etiam suo in terram deducunt. Muginatio mea nihil aliud in quo utcumque quiesceret, valuit ex cogitare.

Hinc sequetur, vix umquam, nisi depluentibus aut molli gravitate desidentibus supernis nubibus, fulmen in terram jaci; sed vel sursum in cælum, aut latera nubis pertundere. Quod verissimum existimo, cùm nubes non valdè atræ & pluviales tonant. Sed etiam me retinebis, inje<sup>c</sup>to hoc unco. Cur aëre infimæ regionis pluente, aut nebulâ gravato, exhalatio etiam in eo, hîc apud nos non tonat & fulminat, cùm densitas ejus satis magna sit, ut faciat resistentiam flammæ? Breviter me expedio. Quia exhalatio in infimo aëre non tam diu hæret, ut multa & conferta possit in in unum conglomerari; quod tamen facit in nube. Quò etiam ex varijs & dissitis terræ regionibus, tamquam in locum communem, plurimæ ascendunt. Maximâ enim affluentia exhalationum opus est ad generandum fulmen. De-

inde nubes guttatum nec tam densè , sed intervallo aliquo  
aëris, stillicidia dividente , per insimani regionem depluit;  
tota verò simul & continua ( æstate præsertim , & in  
nimbis illis fulminantibus ) in mediâ regione , ubi fulmi-  
nis materiam utero gestat , in aquam undique fulmen  
amplectentem se resolvit.

*Aristoph.* Ex his liquet , non pessimè Socratem , apud Comicum,  
*in Nubibus* Strepsiadem suum docere , fulmen in nubibus nasci,

O' ταν ἐτάς ἀνέμος ξυρός μετεωριστέος κατακλεψεῖ,  
Ε' γδοεν δυτάς ωσπερ κύστιν φυσάται κάτεθος ὑπ' ανάγκης  
Περίξας δυτάς ἔξω φέρεται σοβαρός.

*Cum in eas ventus siccus subvectus, inclusus fuerit;*

*Intus eas , tamquam vesicam , inflat : & deinde vi-*

*Frangens erumpit violentus;*

quidquid nugator Aristophanes irrideat. Ventum autem sic-  
cum licentia Poëticâ pro spiritu exhalationis siccō posuit.  
Poëta etiam Latinus scitè,

*Virgil. 9.  
Æneid.*

*Cum Iupiter horridus Austris*

*Torquet aquosam hiemem , & calo cava nubila rumpit.*

Cava enim nubila sunt , quia exhalatio in globum con-  
fluens , cavitatem aliquam & aluum officinamque in nube  
concinnat , ubi fulmen cudit.

## ARTICVLVS IV,

### De fulgure & coruscatione.

**F**Vlgura Antiqui fulgetra dicebant, teste Senecâ , & ful-  
gere, pænultimâ brevi , pro fulgurare. Fulgor autem  
accidente tantum à fulmine differt. Pulchré Seneca : *Eo-  
dem modo fit fulgor quod tantum splendet , & fulmen quod mitti-  
tur. Sed illi levior vis , alimentique est minus : & ut breviter di-  
cam quod sentio , fulmen est fulgor intentum , id est , impetu  
majori vibratum. Vnde fulmina perrumpunt nubem , ful-  
gura diducunt & aperiunt imbecilliori iteu. Iterum , Ful-  
guratio ( id est , fulgor ; sumit enim concretim ) est fulmen ,  
non in terras usque perlatum . Alias verò sic finit: Fulguratio  
est*

est aëris diducentis se, corruentisq; ue iactatio, languidum ignem nec exiturum aperiens. Vnde intelligitur duplex esse genus fulgoris: unum, quod more fulminis nubem terebrat, & erumpit, sed ad terram non venit; vel quia impetu non sat is valido, quia ignis in iactu diffilit, aut in obliquum nimis se detorsit. Tale verò fulgur etiam tonat, ut fulmen etiam si sonitu sàepe invalido, quique ad aures nostras non perveniat. Nubis quippe violenta fractio, insona esse non potest. Vnde Aristoles sequelam istam inter legitimas habet, *τὸ τραχὺς, καὶ ἐβόλησε, σί fulguravit, ergo tonuit.* Alterum fulgur ignem tantùm in nube rarà ostendit, non emittit. Sic ergo adæquatè definire fulmen potes: *Fulmen est exhalatio multa & subtilis in nube accensa, deorsum ad terram usque vi erumpens.* Excluditur stella è nube cadens, quia moles exhalationis ejus non est tanta. Draco verò, non est exhalatio subtilis, sed densa, turbida, & partem nubi defractam secum devoluens: ideoque color impurus, & subviridis, non argenteus aut auratus, qualis solet esse fulminum. *Fulgur est exhalatio in nube accensa, repentinus tantum luminis radios evibrans, aut si ipsa è nube erumpat, non perveniens usque ad terram.*

Lib. 2. c. 19.  
Rhet.

Coruscatio, Græcè *ἀσπασία*, concretim valet quod fulgur. Abstractim verò significat jactum tremuli luminis ab exhalatione in nube accensâ. Hic autem jactus, non est localis motus proprius, sed metaphoricus. Est enim reverà productio tremuli in speciem luminis. Coruscus enim Latinè tremulum significat. Vnde Virgilius *silvas coruscas;* & quidam apud Plautum, *se frigore coruscum* dixit. Tremere autem lumen coruscatione jaculatum videtur; quia momento jacitur & extinguitur, unde radius in nubem retrahiri appetet. Si verò nova flamma accensa fulgurationem, ut solet, iteret, idem radius videtur rursum exfilire qui extinctus fuit. Vibrari ergo videtur, ceu hasta, quam miles nunc intentat, nunc reducit. Vnde ab Habacuc fulmen, <sup>cap. 3.</sup> fulgurans Dei hasta appellatur: *In luce sagittarum tuarum èbunt, in splendore fulgurantis hastæ tuae.* Binam similem fulgurationem

gurationem inter prodigia anni 1564. refert Cor. Gemma.  
 Lib. 2. c. 2. Vnam 18. die Febr. mediâ nocte , alteram 7. Octob. Nube,  
 Colun. gr. inquit, *illustri qua Luna claritatem vinceret, intra limbum ob-*  
*scurum atque sublividum comprehensâ, alternis excusi radij, al-*  
*ternis flamme ad singulos ventorum impetus excurrebant. Qui*  
*subinde velut in hysta speciem dehiscente calo, cœn vastâ ingluvie*  
*sorpturi terras & maria videbantur.*

Ciliorum etiam & palpebrarum noctis, quas solemus  
 claudere ad ictum coruscationis, auget imaginationem  
 trémoris. Hinc fulgura etiam noctare dicuntur: elegan-  
 terque Lucretius de materiâ fulguris,

*Semina quæ faciunt noctantia fulgura flammæ.*

## ARTICVLVS V.

### Fulminum divisio.

**L**ongam illam, ex disciplinâ & superstitione Hetrus-  
 corum, fulminum divisionem, in monitoria, pestife-  
 Lib. 2. c. 49. ra, fallacia, deprecanda, &c non attingo: & vide apud  
 Nat. Senecam. Aristoteles magis pro Philosopho, duo tantum  
 fulminum genera, ἀργύτα καὶ φολόεντα, clarum & fumosum, facit.  
 Lib. 2. c. 51. Primum tenuiore spiritu, alterum crassiore constat. Pli-  
 nius tamen paullò distinctius, tria constituit: siccum, hu-  
 midum, clarum. Duo priora non adurunt: sed siccum te-  
 nuitate suâ durâ dissipat, humidum tantum infuscat, cla-  
 rum mira operatur. Nam flammâ lucente & digestæ sub-  
 tilitatis omnia penetrat, seque per omnes venas insinuat,  
 & acerrimè urit. Teneris tamen & rarioribus corporibus  
 parcit; quia non inhæret, ideoque citius quam ut possit  
 amburere, se per poros transfundit. Mora enim aliqua ad  
 urendum necessaria est. Ideo enim manus ducta & reducta  
 celeriter per flammarum, vix calorem sentit. Mollia etiam &  
 rara sine vulnere transvolat, confligitque solùm cum duris  
 & pressis; quia illa dant, hæc negant facilem transitum.

ARTI-

## ARTICVLVS VI.

## De admirandis effectis fulminum.

**P**RIMÒ, Loculis integris ac illæsis conflat argentum. Id enim Plutarchus narrat suo tempore accidisse militi Romæ excubias agenti. Simile est, quod incolumi vaginâ gladium fundat. Vetera jam non moror, audite quid M. Antonio Mureto Romę contigerit. *Fulmen, inquit, in palatum Hippolyti Card. Ferrariensis decidens ad mea usq; cubicula pervenit.* Ibi glady qui ad lectum unius è famulis meis pendebat, mucronem ita colligefecit, ut in globulum converterit, vaginâ prorsus illasā. Inviolato etiam ligno, circa pila ferrum omne fulmine destillat, ait Seneca. Quorum omnium una caussa est in raritate fulminis, quæ per corpora laxa & fungosa sine injuriâ momento fere se transcribat; in densis, ubi compressæ venæ, hæret, vique se insinuat, & spiritu conferto se per omnes meatuum angustias cuneante,

*Dissolvit nodos omnes, & vincla relaxat.*

Lib. 4 q. 2  
Sympol.

Ex hoc effectu recte probat Aristoteles, fulmen non esse (quod vulgus hodie & olim putat) lapidem, sed spiritum & tenuissimam exhalationem.

Secundò, dolia fulmine exhauiuntur, ut Plinius scribit, in tactis experimentis, nulloq; alio vestigio reliq;. Et Carus.

*Curat item ut vasis integris, vina repente*

*Diffugiant: quia nimirum facile omnia circum*

*Conlaxat, rareq; facit lateramina vasis,*

*Adveniens calor eius, ut insinuatur in ipsum, &*

*Mobiliter solvens, differt primordia vini.*

In Notis  
ad lib. 6.  
Seneca.

Per venas ergo ligni, vasi facili & lubrico transitu illabitur, & immodico ardore vinum statim in tenuissimos vapores dissolvit, qui per poros vasis, trajectū illo flammæ laxatos, exspirant in auras. Simili fulminis potentia Wolfgangus Meurerus in Meteorol. narrat, quemdam Ministrum, in via quā Lipsiā itur Torgam, ita subito eruptum ex horum

Lucret. l. 6.

Lucret. l. 6.

minum oculis, ut postea nusquam apparuerit. Putat enim carnes ejus & ossa in cineres & ventos abijisse. Et nescio an longè dispar Romuli exitus, magna ac immortalis illius Romæ Conditoris. Cūm enim ad exercitum recensem, ait Livius, concionem in campo ad Capra paludem haberet, subito coorta tempestas cum magnofragore tonitribusq; tam denso Regem operuit nimbo, ut conspectum eius concioni abstulerit: nec deinde in terris Romulus fuit. Fulmine igitur dissipatum, aut procella & turbine sublimem raptum oportuit: quod Partes, qui proximi adstiterant, retulerunt ad plebem.

Fulmini fortasse etiam & casui fortuito dabunt Athei nostri, decinerationem illam admirandam anno 1599. perjurū illius Publicani Gerardimontensis in Flandriā, cuius miserum cadaver oculis etiam usurpavit Clarissimus Vir, Medicinæ & omnis Litteraturæ eruditione exultissimus, Petrus Castellanus; descriptique carmine Eruditiss. Vir Henricus Culens S. Th. L. Pastor etiamnum Gerardi-montensis, qui infelicem illum sepelivit.

*Puluereum humandū vidi sub mole cadaver,*

*In tanto nusquam corpore corpus erat.*

*Omnia pulvis erant, iterum dico, omnia pulvis,*

*Et versa in cineres machina tanta fuit.*

*Omnia pulvis erant, cervix, caput, ilia, nervi,*

*Gssaq; cum pleno ventre, sanguis, nates.*

*Pulvis erant crurum tenuis omnia: qua velut ictu*

*Indeclinato cæsa fuisse putes.*

Sed nocte S. Andreæ, & tempore frigido ac minimè fulminali, id monstri accidit. Eadem vesperā negotium ei fuerat cum quodam alio tricone, adjuraueratque se nil recusare, verti corpus in cinerem, nisi res quæpiam aut factum, quod in rixam venerat, ita haberet. Audite igitur hæc Athei, & agnoscite vindicem Numinis manum.

Tertium miraculum, plane oppositum est secundo. Stat, inquit Seneca, fracto dolio vinum: nec ultra triduum rigor ille durat. Oportet autem materiam hujus fulminis densiorē esse præcedenti. Quia ergo crassitiem suam per venas ligni

Henricus  
Culens in  
luis Stre-  
nis.

ligni extrahere non valet, diffringit. Sed cur etiam vinum non dispergit? Resp. Sæpius, sine dubio, id facit. Aliquando tamen, magno miraculo factum, ut membrana quedam ex viscido humore & exhalatione, aut partim ex vino ipso, subito percocta, vinum, ceu uter quidam, involueret ac retineret. Nec dissipat, quia omnem ejus impetum retudit & fregit resistentia vasis. Fit autem illud versimile ex eo, quod tradat Albertus, psyllium frigidæ & viscosæ temperie, vi-  
no injectum, calore ejus reiici in circumferentiam, ibique durari in membranam, quæ sine alio vase contineat vinum. Aliquando etiam non tantum corticem vino obducit, sed ad centrum usque perpetuo rigore conglaciatur. *Vinum autem sic gelatum, ait Seneca, cum ad priorem habitum redit, potum aut exanimat, aut dementes facit.* Inest enim fulmini pestiferum quoddam sulphur, aut aliorum spirituum noxiorum misella, ut ex pluribus alijs effectis probari potest. Sulphur autem in eo, est id quod præcipue ardet & comburit. Nam etiam, si sulphur inflammatum ferro apprimas, ferrum in guttas friabiles statim destillare videbis. Omni verò fulmini permixtum sulphur, ex puluere nostro sulphureo, qui fulmini planè cognatus, satis ostendi potest. Deinde omnibus fulguritis inest odor quidam sulphureus, ut Seneca, Plinius, & ipsa experientia dicit. Fulmine aliquo simili gelata, sic obriguisse videntur octo messorum illorum corpora, qui in Lemno insulâ sub queru cœnantes, & fulmine ibi percussi, eadem imagine quâ discubuerant, exanimati inventi sunt; ut unus comedere videretur, alter ori poculum admovere, tertius bibere. *Cumq[ue] omnes nigrâ essent, imagines totidem statuarum representabant,* inquit Cardanus. Ab halitu etiam pestilente & sulphureo forsitan fuit, quod miratur Plinius: *Martiam principem Romanarum, iectam gravidam, partu exanimato, citra ullum aliud incommodum vixisse.* Spiritus enim sulphureus intactis, admirabili eventu, ossibus, vitatis etiam partibus matris nobilioribus, per uteri tantum mollitiem, & corculum ac vitalia partus in illo jacentis transvolavit; ideoque hunc innoxiam matre interemit.

Lib. 2.

cap. 57.

Lib. 8. c. 43.  
Variet.

Lib. 7<sup>3</sup>.

Quartò : Fulmineus ignis nullâ aquâ quandoque extingui valet. Sic Dion sub Imp. Macrino tactum de cælo, ipso Vulcanalium die, Theatrum narrat, nec aquâ fluminali, aut cælesti profusissimâ, incendium comprimi potuisse. Forte bituminosus spiritus sulphuri immixtus fuit. Bitumen enim flagrare sub aquis, Lib. v. ubi de Thermis, dicemus. Tale fulmen cum pluviâ, cælo evocatum fuit à Legione Melitensi Christianâ ( quæ ideo fulminatrix appellata ) M. Aurelio Imp. in Quados ( qui nunc Bohemi putantur, aut circâ ) pugnante, & exercitu toto extremâ siti laborante. Vapore enim fulminis torrebantur Quadi, nec ullum in aquâ cælesti remedium erat : alebat enim potius eorum flamas, levabatque tantum Romanorum fitim.

Lib. 4 q. 2.

Sympol.

Quintò : Plutarchus negat dormientes facile ici fulmine: narratque ibi Dorotheus, cuidam domi suæ stertenti pecuniam in crumenâ conflatam, ipso innoxio, fuisse, Philosophumque Pythagoricum fortè obvium, consultum de causâ, respondisse : consuleret deos, se verò nescire. In pharetra etiam Regis Mithridatis appensâ lecto & icta arserunt sagittæ, nescio ipso & dormiente: & aliquamdiu antè, pueriles ejus cunæ fulminatæ, perstrictâ solùm infantis fronte, ideoque Dionysius appellatus, sive Bacchus, quia hic etiam fulmine semiustulatus, ut fabulæ narrant, in matre Semele. Caussam dicit Plutarchus, quia in dormientibus pori aperi & hiantes transitum facilem præbent fulmini. Sed profectò contrà est. Extremæ enim partes corporis in somno potius rigent & condensantur, calore in centrum & interiora retracto. Deinde dormientium ossa saltem non se aperiunt, & laxantur. Altera igitur ratio ejus melior est: quia vigilantes sæpè putantur fulmine icti, qui tamen solùm afflati, corrunt metu vicini fulminis & exanimantur. Timor verò iste dormientes non tangit. Hinc pastores, ut tonitruī terrorem pecori depellant aut minuant, gregem sparsum colligunt, & immisso cane compellunt in unum. Societas enim ista levat metum, qui non rarò trepidum à naturâ & imbellè pecus pœnè exanimat. Dormientes etiam somno ster-

no sternuntur, fulmen autem obliquo & transversali iactu  
facilius erectos in pedes ferit.

## ARTICVLVS VII.

*De lapide fulmineo.*

**L**Apis aliquando ē nubibus cum fulmine cadit , qui dicitur etiam telum, aut cuneus fulminis : numerarique inter effectus ejus potest. Generatur autem ex exhalatione terrestri viscosā , & humore nubis , quos ardor fulminis celerrimā transmutatione, in ipso etiam casu ( nam grave ibi suspendi aut hærere non potest ) permiscet , & in latrem coquit. Talem Cordubę delapsum, & à se visum, testatus olim Avicenna, ut Averroës scribit. Odoris erat sulphurei, inquit, & naturae ammoniaci. Leves etiam plerique sunt, & Lib. 2. c. 2.  
Meteor. simillimi pumicibus illis adustis, quos interdum , eructant flammivomi montes. Aliquando non lapis, sed ferrum aut aliud metallum, cum fulmine cadit. Id autem sit, cùm sulphurea exhalationi argentum vivum contemperatum fuerit, ut credunt Chymici. Sic in Persiā cælo coruscante ærea corpora hamatis sagittis similia cecidisse narrat Avicenna; & prope Lurgeam, ferri massam 50. librarum Georg. Agricola : tentatumque ut inde cuderentur enes, sed materiam fuisse inobedientem , nec igne molliri, aut malleis duci potuisse. De lapide isto fulmineo silentium apud Aristotem est ; quia , ut Vicomercatus credit , de re hac, postea compertā, nondum ei liquebat satis.

## ARTICVLVS VIII.

*Quæ res fulmini obnoxiae , aut ab eo tulæ.*

**N**ihil celebratius est , quām alta & eminentia frequenter fulminari.

*Aut Athon , aut Rhodopen , aut alta Ceraunia telo  
Dejcit. —*

Georg. I.

canit de Iove Poëta. Hinc quia in urbibus nil excelsius templorum turribus, sœpissimè feriuntur. Altissimæ etiam arborum, quæque in montanis, ut ilex, ælculus, quercus, ornus, fulminibus olim infames.

Claud.

*Incubuit numquam cœlestis flamma salictis,  
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis:  
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.*

Vnde cœlo fulminante pulsantur in turribus Ecclesiarum campanæ, ut ventilando aërem, abigant atras illas & submissas nubes, quæ sunt officinæ fulminum. Certè Monachi Stabulenses in Arduenna mihi aliquando narraverunt, se manifestè cernere diffugientes nubes antea quietas, ubi sonitus campanarum suarum majuscules increpuit. Altissima quippe totius Belgij & nubibus vicinissima est Arduennæ Provincia. Benedictio quoque campanarum, seu Ecclesiæ preces dæmones coercent, ne fulminum ictus in templo & loca Deo devota convertant.

Non enim arbitrio suo quidlibet fulminare possunt. Vn-  
Conc. Brac.  
1. c. 8. de Conc. Bracarense anathema dicit ijs qui credant quod aliquantas in Mundo creaturas diabolus fecerit, & tonitrua & fulgura & tempestates & siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit.

Senec.

Epist. 19.

Cur verò montes, turre, & summa attonet Deus, ut Mecænas loquebatur, sœpius quam humilia, in caussa est, obliquitas fulminis. Nec enim linea perpendiculari, sed transversariâ ad terram venit. Hinc facile incurrit quidquid in superficie terræ eminet, antequam terram tangat. Motum autem istum obliquum Aristoteles, per diametrum vocat: quia similis est motui quo aliquid per diametrū quadrati in superficie horizontis erecti movetur. Vnde etiam alibi quadrupedes per diametrum incedere docet. Pes enim prior dexter & posterior sinistri quadrupedis animalis est in eadem diametro quadrangularis figuræ, descriptæ in superficie terræ sub ventre inter quatuor pedes animalis; sicuti etiam pes prior sinistri cum posteriore dextro.

Obliquitatis verò fulminis hæc ab Aristotele assertur  
ratio:

ratio: quod levitas flammæ, per vim deorsum explosæ, in cælum resurgat, quantum valet; ideoque in transversum deflectat, motu quasi composito ex descensu & ascensu reto. Sive, ut eleganter Seneca, quia natura ignis sursum vocat, iniuria deorsum premit, incipit obliquus esse.

Hoc etiam addendum: Aërem, quod proprius fulmen ad terram accedit, densiorem inveniri; & hinc difficulter scari, ac fulmen in latus magis detorquere. Superior enim aëris rarer est, quia elevatior à terrâ, nec tam contumaciter transitui resistit, quam alter inferior.

Tertiò, & principaliter: Quia unica linea est, quæ à centro nubis, unde exploditur fulmen, recta & perpendiculariter in terram decurrit, infinitæ vero, quæ circumcirca illam, ad angulos obliquos descendunt. Ideo longè prolixius est, fulmen angulo obliquo, quam recto, nubem pertundere, ac lineam aliquam transversali, quam unicam illa perpendiculari, deiici. Trisulcum hinc etiam dicitur, quod pluribus simul foraminibus, & in sulcos divisa flamma erumpat. Quia vero innoxij saepe & immerentes, imò montes, silvae, & maria, quæ peccare nihil possunt, fulminibus tanguntur, colligit Latinorum Epicureorum Princeps Lucretius, res Mundi casu, nullà certà providentiâ gubernari.

*Cur potius nulle sibi turpis conscius rey*

Lib. 6.

*Volutur in flammis innoxius, ingé peditur,*

*Turbine caelesti subito conreptus & igni?*

*Cur etiam (Jupiter) loca sola petit, frustraq; laborat?*

*In mare quam porro mittit ratione? quid undas*

*Arguit, & liquidam molens, camposque natantes?*

Sed respondebit ei S. Augustinus, fulminea percutiunt mon- Psal. 148.  
tem, & non percutiunt latronem, quia forte adhuc latronis conver-  
sionem quarit, & ideo percutitur mons qui non timet, ut mutetur  
homo qui timet. Ac deinde. Sed dicas mihi: Ecce cadit innocen-  
tiorem, & dimittit sceleratiorem. Noli mirari. Unde cunque mors  
pro bona est. Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram,  
noveris non accidere, nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius;  
de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius. Sic omnia que va-

*nis videntur in rerum natura temerè fieri, non faciunt nisi verbum eius, quia non sunt, nisi iussu eius.*

Hoc saepe cogitemus, & quotiescumque infortunio aliquo cædimur, non flagellum & creaturam interpositam, sed paternam Dei manum quæ regit ictum, blandè & traquillè respiciamus.

Veteres magno consensu, inter arbores laurum fulmine tangi negant. Quod mirum, quia non tantum plana, sed etiam montes amat. Plurima enim olim laurus in Helicone & Parnasso; indeque Apollini sacra & Musis. Fracastorius putat truncum solum lauri non percuti, quia rotundus admodum & laevis densique corticis; ut proinde exhalatio ei non facilè & tenaciter inhærere valeat. Eadem enim ratione fulmen vix columnas lædere solet: quia, inquam, rotunditas declinat & eludit ictum. Sic etiam carbonarij Leodienses ignem suum Græcum, fulminibus plane cognatissimum, innoxij sæpè evadunt, telâ benè firmâ & à textore recenti, undique tecti. Hæc enim quia lubrica & veluti cerata & minimè laxa est,flammam illam Græcam circumvolantem ægrè admittit.

Sed amplius putavit antiquitas. Nam Columella folia lauri gallinæ incubanti, contra fulmen & tonitrua subiici imperat; & Tiberium Cæsarem, tonante cælo ac in fulminum metu, lauro solitum coronari, tradit Plinius. Existimabant ergo etiam folia lauri tuta esse à periculo. Mihi opinio hæc invaluisse videtur, quia spiritus quem folia lauri exhalant, contagioni aëris resistit. Vnde Commodus Imp. teste Herodiano, consilio Medicorum, tempore pestis in laureas silvas olim secessit. Et in tali periculo pestis, etiam lauri ramos affigebant foribus. Cubili ergo etiam gallinæ in tonitru supponi possunt, ne sulphurei halitus, qui tunc per aëra disperguntur, ova inficiant. Et hinc quoque dolis quidam imponebant, ne tonitru liquorem perverteret.

Alias quæ illa tanta vis lauri, quæ fulmen tam validi impetus avertat? Nulla profecto. Et ut absolvam verbo: Vi-comercatus, qui initio seculi lapsi scripsit, à paucis annis laurum

Lib. de  
Antipath.

Lib. 15.  
cap. 30.

laurum in Italâ fulminatam narrat. Eadem , credo, vanitas  
ficum à periculo immunem fecit. *Contradicunt enim, inquit*  
*Io. Brodæus, qui in agro Massiliensi, his arboribus fœcundissimo,*  
*eas vi fulguris quat i comburiq; nobis referunt. Qui & addit, paucis* Lib. 3. c. 2.  
*ab hinc annis Rome de calo tactam esse laurum.* Miscell.

Inter lapides, hyacinthum non sentire fulmina , nec ho-  
minem qui eum gestet , afferit Cardanus; sed Scaliger &  
ego ridemus. Vitulum etiam marinum non percuti inter  
pisces , referunt multi antiqui. Et explicant quidam , quòd  
raritate suâ pellis ejus fulmen transmittat, ideoque lædi  
non possit. Verùm, si nil aliud sit , frustrà tabernacula ex  
pellibus ejus facta contra fulmen , ut narrat Plinius. Valde  
etiam frustrà Imp. Augustus fuit, qui , ut refert Tranquill-  
lus, tonitrua & fulgura paullò infirmius expavescerat, ut semper &  
ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio ; atque ad om-  
nem maioris tempestatis suspicionem, in abditum & concameratum  
locum se reciperet. Hunc postea imitatus Imp. Severus , le-  
ticam etiam suam tali corio integi præcepit. Aquila  
etiam non icitur , ait Plinius , & ideo Iovis armiger , &  
ejus fulmen ungue gerit. Sed omnes Auctores ab alijs ac-  
cepisse se referunt , nec ullus sibi satis fudit.

Vt si alicubi , hic certè maximè verum appareat elogium  
quod Seneca dat Philosophis , dum credulam nationem eos  
appellat. Rapiunt enim illicè ejusmodi historiolas temerè  
vulgatas , ut in inquisitione verisimilium caussarum inge-  
niū exerceant, & delassent ex supervacuo.

## ARTICVLVS IX.

*Caussæ tonitrui Anaxagoræ, Senecæ, Paracelsi, Bodini rejectæ.*

**I**nter effectus fulminis Aristoteles tonitru numerat. An-  
axagoras fieri illum sonum putat extinctione flammæ in  
humore nubis, ut ferrum candens in aquâ ferrariorum stri-  
det. Sed solum etiam judicium aurium , quæ bombo illo  
satis advertunt nubem rumpi potius & crepare , quam ex-  
tingui

In Octau.  
cap. 90.

Lib. 1.c. 27.  
Nat. tingui in humido ignem , satis eum refellit. Aliter Seneca  
*Nonne quemadmodum, ait, illis & manus inter se plausum edunt, sic  
 illisarum inter se nubium sonus potest esse magnus , quia magna con-  
 currunt ? Oportet etiam concavitatem concavitati obverti  
 inquit , quia averse inter se manus non plaudunt , sed palma cum  
 palmâ collata plausum facit. Sed frustrâ. Nubes enim corpora  
 mollia sunt, quæ omni impetu facilimè cedunt , & statim  
 confundunt figuram. Secus est in manibus. Si enim cavi-  
 tates earum complodantur , aër deprehensus & soliditate  
 manuum offensus , necessariò rumpi , & sonitum edere de-  
 bet. Quis etiam in omni tonitru nubes inter se adversis  
 frontibus arietare & concurrere unquam aspicit ?*

Paracelsus verò hîc, ut ubique, miram Philosophiam dat  
 suis Heluetijs. *Strepitus iste , inquit , resonat per totum Fir-  
 mamentum, non aliter ac si bombarda sub testudine laxaretur. Calum  
 enim est reflexionis testudo. Quod risu magis dignum , quam  
 refutatione. Si enim à fornice Firmamenti ad aures nostras  
 tonitru redire oporteret , multis sanè annis , in tanto cæli à  
 terra intervallo , post coruscationem fulminis , sonitum au-  
 diremus.*

Bodinus hîc iterum dæmonas suos tonantes facit, ratio-  
 ne dupli. *Quia sereno & innubi cælo quandoque tonat;*  
 ergo non ex crepitu ruptæ nubis existit ille sonus. Deinde  
 fulgurat sæpè , & exsiliunt è nubibus flammæ sine fragore.  
 Igitur dæmones & aërij Genij tumultus istos cident , quan-  
 doquidem nulla alia caussa sit in promptu.

Sed victus difficultate , aut odio Aristotelis ei solemnii  
 & inexplibili , huc confugit. Deinde nihil solidi afferre  
 potest, cur non tam per hiemem , quam per æstatem fre-  
 quententur tonitrua. Dæmones enim omni tempore fran-  
 gere aërem , aut exhalationes ad tonandum calefacere &  
 disponere ; item, si hîc desint , ex Zonâ torridâ adducere  
 valent. Cur etiam dies fervidos & sudore diffluentes sequi  
 sæpè solet nox tumultuosa & tonans ? Certè enim alijs  
 etiam noctibus Genij turbas istas turbare possunt.

Ad Primam rationem respondeo : Sereno cælo tonat,  
 sed

raro, & impetu plerumque invalido. Audimus enim tonitru, ut obscuros tormentorum i<sup>ct</sup>us ex longo intervallo deficientes. Ex altissimis igitur nubibus veniunt, quæ licet sint rariores & minùs opacæ. quām aliæ inferiores, frigus tamen & densitatem aliquam habent, quibus ardentem & leviorē exhalationē includant & nonnihil stringant, cogantque erumpere cum sonitu. Si verò pertinaciter affimes, sine ullo nubilo, tonitru quandoque exaudiri; ausim quidlibet deponere, alterutrum horum verum esse: Aut terrestria tonitrua esse, aut infra visibilem nostrum horizontem in nubibus excitata. Terrestria voco, quæ ab exhalatione per cavernas subterraneas se versante & tumultuante, vel etiam effringente sua claustra, efficiuntur. Taliæ plerumque audiuntur ante terræ motum. Possunt etiam, defæcatissimo apud nos cælo, atræ & fulminibus gravidæ nubes, quas non videmus, infra proximum horizontem esse, ibique cum tonitru fulminare. Quām s<sup>æ</sup>pè enim in vicinâ Hannoniâ, quām s<sup>æ</sup>pè Gandavi ( urbe in toto Belgio, ut audio, fulminibus maximè obnoxia ) nobis h<sup>ic</sup> tranquillis, cælum micat, mugit, & rumpitur? Tonitru igitur inde ad auditum nostrum pervenire, etiamsi non coruscatio fulminis, potest. Cūm enim nubes falminans, infra horizontis visibilis terminum & terræ curvaturam sit, lumen ejus, quod speciem lineis tantum rectis jaculatur, videre nequimus: sonus verò etiam per lineas incurvas audiri potest; nec distantia semidiametri horizontis visibilis est nimis magna. Nautæ enim Lusitani asserunt, ex intervallo 50. milliarium in mari audiri tonitrua excitata in nubibus, quæ toto anno coronant verticē montis Serræ Leonis in Africâ, qui à Scaligero & alijs putatur οἰωνὴ ὀχυρὰ Antiquorum esse. Semidiameter verò visibilis horizontis vix 6. leucas Belgicas, sive millaria Italica 18. continet, ut nautæ testantur. Deinde in famosâ illâ Ostendæ Flandriæ obsidione, tormentorū fragor ad 30. amplius leucas horatias, seu Belgicas, se diffundebat. Imò ( quod magis mireris ) strepitus tympani à 12. leucis in mari aliquando auditus fuit. Sed fulgurat etiam sine tonitru, in-

Exercit. 42.

tru, inquit Bodinus: ergo exhalatio exsiliens crepitum illum fulminis non facit. Sed nego sequelam. *Quia ( dic tu Seneca ) tenuior & infirmior spiritus, quo in flammam valuit, non valuit in sonum.* Aut certe, si cum strepitu ( quod credo ) exivit, imbecillior fuit, quam ut aures nostras impellere potuerit.

## ARTICVLVS X.

*Peripatetica & Vera causa efficiens tonitru.*

**A**RISTOTELES tonitru cum Vulcani, aut, ut alij vocabant, Vestae risu comparat; id est, cum crepitu quem ligna in igne, spiritu intus rarefacto & cutem dirumpente, edunt. Hic autem risus in viridi corylo, & folijs juniperi & lauri est maximè insignis. Lucretius:

*Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus,  
Terribili sonitu, flammâ crepitante crematur.*

Sed si Aristoteles fulminalium nostrarum bombardarum tonitrua audisset, exilem & puerilem Vulcani risum irrisisset. Summa enim affinitas est inter nubium, & tormentorum tonitrua, ut posteò ostendemus.

Itaque verissimum est, nasci tonitru ictu illo quo exhalatio aërem & nubem frangit. Sed antè dividendum est tonitru in *crepans*, *stridens*, & *tumultuans*, sive *murmurans*. Non enim omnium eadem omnino sunt causæ.

Dico Primò: Tonitru *crepans* fit, quando spiritus intra nubem accensus, & subito latissimè & celerrimo impetu rarefactus, simul & semel nubem effringit & dissipat. Exemplum ejus rei tenue in castanea, quæ non inciso cortice, extra ignem cum bombo & crepitu exsilit. Majus exemplum in pulvere nostro pyrio, qui flammatus & rarefactus maximo fragore tormenti tubo erumpit. Sed non est similitudo, inquiunt. Nam flamma tormenti, duritiem metalli habet, quæ se allidat & frangat, fulmen vero mollissimam tantum nubem cædit. Sed Bodinum audia-

mus.

mus. Id quidem probabile esset in nubibus, inquit, si materia nubium  
ænea aut ferrea esset & fugâ vacui pulueres sulphurei & nitroſi  
concluderentur. Sed cum nihil sit vapore mollius, nihil exhalatione  
levius, cum nulla sint angustiae, quibus aër quasi carceribus qui-  
busdam concludatur, sed patentissimis regionibus excurrat, quis tam  
hebes, tam cæcus, qui rationes istas sine risu audire posset? Fateor,  
res non est extra difficultatem. Cùm tamen omnem lapi-  
dem tento & moveo, hoc mihi videtur. Sonum bom-  
bardarum & tormentorum non edi allisone flammæ pul-  
veris ad tubum metallicum ( aliàs enim ferreus & æreus  
tubus differentes & dissonos efficerent sonitus, contra ex-  
perientiam ) sed flammâ ex angustijs tubi in liberum aëra  
exsidente, eumque disjiciente ac discerpente effici. Omnis  
enim sonus videtur ex laceratione aëris, vel aliùs corporis  
fluidi proximè nasci. Itaque tonitru crepans, icta illo ex-  
citatur, quo & nubem & vicinum aërem exhalatio dissipat  
& displodit. Quòd ex sonitu ignis fodinarum carbonaria-  
rum, quem Leodienses appellant Græcum, firmari potest.  
Halitus enim ille carbonarius & bituminosus confertim  
cadelam forte incidens, valido & tormentario planè fra-  
gore discerpitur, sine allisone tamen ad aliud durum, quod  
tam insigniter sonare valeat. Simili prorsus modo narrant  
experti, spiritum qui ex corpore humano per inferiorem  
gutturam, ut loquitur Comicus, exit, si flammam conci-  
cipiat, velocissimè instar fulminis dissipare & stridere frago-  
re tonitru. Quæ verò sit illa vis propriè & physicè efficiens  
soni; an impetus, an virtus alia somniculosa, quæ impetu  
excitatur ad agendum, in lib. III. de Animâ, Deo dante,  
dicturi sumus. Allisio enim illa corporum, item fractio  
intercepti aëris, sine dubio, tantum possunt esse caussa  
sine-quâ-non talis effectus; etiamsi passim illas caussas soni  
efficientes appellemus. Patet ergo jam falli Bodinum, dum  
ad fragorem tonitru, ~~æneam aut ferream~~ nubium materiam  
flagitat. Nubes enim, aut aër mollissimus momentaneâ fer-  
me exhalationis inflammatione & rarefactione ruptus &  
disjectus, fragorem illum, extra æneam aut ferream ma-

chinam, edere potest. Et nonne etiam quotidie experimur, quām insignis & vocalis sonitus, spiritu asperæ arteriæ mollissimum aquæ humorem discerpente, excitetur, dum ore aquam gargarizamus? An fortè dæmonem in imo gutture nostro gargarizantem Bodinus statuer, sicut dæmonas fulminatores in nubibus disponit?

Secundò: Tonitru stridens fit, cùm nubes non unico iectu dispellitur, sed exhalatio successivè incensa, non universim, sed per partes & agmine quodam erumpit. Sic enim contingit longior sonus, & simillimus illi quo quis chartam, aut pannum novum, subito & vehementi impetu discerpit. Aér enim celerrimo motu, in hiatum laceratæ nubis, propter periculum Vacui se injiciens, sequentibus partibus exhalationis occurrit, discerpiturque in istà rixâ cum stridore.

Tertiò: Tonitru tumultuans nascitur, cùm exhalatio per nubem, forando eam, discurrit. Palam enim motum illum exhalationis, ex sonitu illo mobili & fugace intelligimus. Aliquando namque per totam nubium curvaturam ab Ortu ad Occasum transcurrit. Laborem etiam ejus, ubi in nubem densiorem incidit, & quomodo tardiori gressu obluctetur, & vix se expedit, facile sentimus. Fieri tamen quandoque potest, ut una exhalatio alteram inflammet, & sic videatur locum mutare, etiamsi revera non mutet. Hoc tonitru, ut plurimùm, sine coruscatione est; quia exhalatio aut non satis flammæ habet, aut flamma clauditur opacitate nubis.

Ex dictis colligitur, ceteris paribus, insignius esse hoc tonitrii murmur, si adversus, quām si secundūm nubium motum exhalatio nitatur & currat. Sic enim navis aut homo adverso flumine vadens, magis in aquâ strepit, quām secundo defluens. Vbi enim major conflictus, ibi etiam vocalior sonitus. Ex quibus omnibus sic finietur tonitru: *Sonitus vehemens ab exhalatione frangente nubem excitatus.* Sed reliqua quædam, quæ ad ipsum spectant etiam addamus.

## ARTICVLVS XI.

*Cur demum post coruscationem fulminis, tonitru audiamus.*

**F**ulminis lucem, nisi fractâ jam nube, videre non possumus. Vnde laceratio ista nubis, & fragor, seu tonitru laceratione excitatum, prius est, aut saltem simul cum coruscatione lucis: & tamen auditur semper seriûs. Causa est, quia species visibilis ex quacumque distantia ab objec-  
to in oculum momento emicat; species vero soni, tem-  
pore & per undationem successivam aëris, ad aurem venit.  
Primo igitur instanti quo nubes rimam agit, & ostendit flammam, videri potest fulmen, quia tam repente species ejus pervenit ad oculum: nondum sentiri potest sonus, quia per gyros quosdam & fluctus aëris, species ejus ad terram descendit. Ita enim explicò jam temporaneam illam & tardam trajectiōnē soni, ostendamque lib. IIII. de Animā latius, licet olim cum Conimbricensibus & alijs passim, con-  
tempserim vibrationem istam medij usque ad nostras aures.

Hinc enim est, quod in majore sonitu & impressiore ictu, quia celerius crispatur aër specie deferens, ocyus etiā species veniat ad auditum. Id egregio experimento, Vigiliā illā ful-  
minali sancti Laurentij anno 1625. comperi. Nubes enim immobilis, atrocissimè fulminans & tonans impendebat Lo-  
vanio & meo capiti, idoneaq; maximè erat ut distantiam in-  
ter coruscationē & tonitru dimetirer. Cum crepus maximū  
erant, subito, viso fulmine, cum tremore fenestrarum totiusq;  
aedificij vibratione, sequebatur tam propinquè sonitus, ut  
vix unicus arteriæ meæ pulsus intercederet. In minori au-  
tem fragore, duodecim etiam pulsus sàpè numerabam post  
coruscationē, antequam tonitru prodiret. Pulsus vero unus,  
est quater millesima, & quater centesima, quinquagesima  
pars horæ, cum arteria mea salubriter & moderatè micat.  
Micationes enim 4450. horæ spatio curiosè (parvæ quippe  
istæ temporū mensuræ usui sàpè veniunt) computavi. Hoc

etiam adnotavi. Vbi fulmen sine pluvia erat, tunc ictus languidiores, & tardius tonitru sequebatur coruscationem. Nempe hoc firmat, quod jam antè docui : arctissime tunc exhalationem aquescente nube stringi, insignioresque esse crepitus, quando nubes se exonerat in pluviam.

Hinc deinde etiam, rudi saltē Minervā, mensurare poteris distantiam terrae à nube fulminante, comparando coruscationem & tonitru, cum flammā & strepitu tormenti majoris, diffiti à te aliquanto intervallo. Ego certe anno 1624. die 6. Septembris, cū Serenissimus Princeps Poloniæ Ladillaus venit Lovanium, inter coruscationem & sonitum Moschetonum (quæ quadrante circiter Belgici milliaris obviām processerant) interstitium Salutationis Angelicæ, quæ facile 10. arteriæ pulsus implet, numerabam. Parvum ergo nubis tonitru, pari tarditate sequens suamflammam, indicabit intervallum nubis aequale (millarij scilicet quadrantis) à terrae superficie. Sed tonitrua vix solent tam tenuiter sonare : & majoribus potius tormentis comparanda sunt quam Moschetis. Vnde brevior est mora temporis inter coruscationem & tonitru nubis, quadrante milliaris à nobis distantis, quam inter fulgetrum & crepitum Moschetti.

Hoc etiam in considerationem adduci debet : Tonitru in aere rariore inter aut juxta nubes, sonitum vero tormenti in densiore, juxta terrae superficiem aere excitari. Hinc enim fit, ut quia medium densius tardius impellitur & agitur in gyros, posito etiam pari ictu & sono, frager tormenti transversalis paullò tardius (si Mathematicè rem examines) ad aurem post coruscationem veniat, quam frager tonitru, per circulos in aere leviori promptius se diffundentes, ad terram descendat, nisi tamen ascensus interea exhalationum & vaporum è terra, obvios aeris gyros sursum retundat, ac retardet.

*De effectibus tonitruis.*

**T**onitru, quia sonus quidam est, physicè solam sui spēciem efficit. Alij tamen quidam effectus ei tribuuntur: quia caussa eorum physica tonitru comitatur, sed quia est magis occulta & insensibilis, ideo vulgus, qui sensum libenter sequitur eiq̄ue favet, tonitruo potius adscribit.

Primo, Tubera terræ (quæ instar fungorum, hodie & olim in magnis delicijs) gignit. Ita enim Plinius dicit, & Iu-

Lib. 19.c.3.

*Et faciunt lautas optata tonitrua cœnas.*

Plutarchus & Scaliger putant terram impulsu & undatione illâ aëris quæ sit in tonitruo, terram concuti, & superficiem ejus ad proferenda tubera laxari. Sed id parum juvat. Præcipuum & pœnè unicum est, quod aqua nube tonante effusa, tēpens & spirituum plena ac turgida sit, quæ permixta & maritata terræ, facile & raptim concrescit in tubera.

Lib. 2. q. 2.  
Sympos.  
Exercit.  
18c.

Secundo, Tonitru vinum & cerevisiam musteam sive recentem acore inficit. Thimon censet id fieri motu aëris, qui in liquorem adactus, eum turbat, ac sursum deorsum pervertit. Sed frustrā. Venti enim validè spirantes magis aërem movent, quam tonitru; nec tamen ideo corrumpunt liquores. Thimoni tamen assentitur noster Lemnius: dicitque se ante tempestatem solere vasa sua præmunire, superpositâ ferri laminâ cum sale, aut silicibus. Quæ tamen videtur solum opponere fulminibus, non mero tonitruo: *Quia, inquit, fulmen cum duriſimiſ conflictatur, in eaque potiſimè vim ſuam exerit.* Thimon non paullò antiquior, narrat suo tempore fragmina vitrorum vasis solere injici, contra tonitru metus. Verissima nihilominus caussa hujus effectus videntur esse tenues quidam halitus sulphurei, & ceteræ fulguris diffilientis reliquiæ, quæ per aërem dispersæ, se in omnia foramina & rimas insinuant. Vnde optimum remedium est, spiracula cellarum quam diligentissime obstruere, & vasa operculare. Cerevisia verò recens

Lib. 2.q. 9.  
Metor.Lib. 2.c.48.  
de Occult.

recens & adhuc ab igne tepens, promptius acorem bibit; quia spiritus quibus tota turget, facile sulphur & noxam aëris rapiunt, eamque vulgant & infundunt toti liquori. Simili de caussa, recenti butyro nocet tonitru; nec feminæ in Belgio sapientes & œconomæ unquam ad servandum ement butyrum, quod cælo tonante concrevit.

Tertiò : Tonitru validum aliquando surdastros fecit. Tympanum enim auris, aëris impulsu rumpit aut laxat. Quod & crepitus tormentorum quandoque etiam facit. Hinc quoque molitores & tympanistæ, obtusi sunt auditus. Pari ratione coruscatio fulminum, aut tormentorum quoddam olim excæcavit. Narrat enim Schenckius, Præfectum quendam machinarum in obsidione Metensi, frequenti coruscatione, citra ullam pulveris offensionem, lumina amisisse.

Quartò : Terrore animalibus injecto, multa per acci-  
dens operatur tonitru. De conchis margaritarum parentibus Plinius : Tradunt, inquit, si tonuerit, pavidas ac repente compressas, que vocant physemata efficere, specie modò irani inflata sine corpore : hos esse concharum abortus. Dicitur etiam tonitru juvare & incitare cervarum partus, juxta illud, *Vox Domini ( id est tonitru ) præparantis cervos, vel ut in Hebræo, cervas :* & D. Hieronymus vertit, *Vox Domini obstetricans cervis.* Quia scilicet horrore tonitrii concussæ effundunt suos partus, aliàs ob magnitudinem & perfectionem, difficiles. Vnde Iob. Parturientes cervas observasti? Incurvantur ad fœtus, & pariunt, & mugitus emittunt. Separantur filij earum, & per-  
gunt ad pastum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.

Homines etiam valde fulmina & tonitrua expavescunt. Sic olim Parthi tympanis quibusdam & cymbalis æneis tonitrua mentiti, aciem Romanam exterruerunt, ut nar-  
rat Plutarchus in Crasso. Cæsar Caligula, deorum ille aliàs contemptor, ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvoluere; ad vero maiora, proripere se è strato, sub lectumque condere solebat. Quem tamen pavorem ut dissimularet, ma-  
chinam excogitavit, inquit Dio, quâ tonitribus obstreperet,  
& cælo,

Sueton in  
Caligula  
§. 51.

& cælo, tamquam terrestris quidam Iupiter, retonaret. Lapidès etiam contra fulmina retorquebat, Iovemque ad duellum evocabat, inclamans Homericum istud Alacis ad Vlyssèm : *H" μ' ἀράς, ή τύω σε Tolle me, aut ego te.* Quod etiam narrat & ridet (quis enim caput tam helleborosum etiam non decachinnet?) Seneca Homines etiam *ἀσπατῶν ἐκ πυλᾶς* Lib. i. de fulgur ex pelvi, ut vetus adagium habet, excitare possunt, & inanes in cælum minas mittere: à Domino autem *ibunt* <sup>Ira.</sup> *emissiones fulgurum, & ad locum certum insilient.* Nubes est arcus, Deus sagittarius, fulmen sagitta, scopus peccator, aut quidquid tangere destinaverit. *Nunquid elevabis in nebulas?* <sup>Iob. 38.</sup> *lā vocem tuam, inclamat Iobo, & impetus aquarum operiet te?* Numquid mites fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, Adsumus?

Meritò igitur veteres illi tenebriones, solum inter deos Iovem maximum fulmine armaverunt. Et nos quoties cælorum mugitus audimus, terrorem & reverentiam veri & magni Numinis concipiamus.

## ARTICVLVS XIII.

*Tempus, & signa fulminum ac toniterri.*

Fulmina fine veris, & initio autumni, aut æstatis exitu maximè hîc frequentantur. Majus enim (ut multis jam annis vidi) cùm arbores sunt in flore, & Augustus collectâ partim, sed non totâ messe, vix unquam evadunt sine fulgere & strepitu. Ratio est, quia tunc Sol multas, quæ saltem ad generationem fulminis sufficient, exhalationes educit, nec eas tamen digerit, ut mediâ & flagrantissimâ æstate solet. Hieme verò, vix quod satis ad tales effectum esse possit, extrahere valet, terrâ frigore adstrictâ, aut connivente. Hinc in Septentrionalibus regionibus rara admodum fulmina, ob eamdem rationem, ut narrat Olaus. In Angliâ etiam quoties fulminatum, inter illius anni prodigia recenseret Polyd. Virgilius, Rerum Anglicarum Scriptor:

ptor: licet cæli Anglicani temperies nostrâ longè sit tepidior, &c, ut quidam referunt, Italicae suppar. Nubes etiam plurimæ ibi coëunt, ob vapores vicini maris; ut inde fulminum non accidat defectus. Igitur ad inopiam, aut potius qualitatem exhalationum, recurrendum est. Terra enim Britannica, candida, ut audio, & cretacea est, nec sulphureas & nitrosas exhalationes exspirat, quales fulmen flagitat.

Vbi autem hiemes tepent, minusq; hiemant, etiam circa totum annum (modò terra sulphurea sit,) tonare & fulminare potest. Pulchrè Plinius: *Crebra fulmina in Italia, quia mobilior aër mitiore hieme & aestate nimbosâ, semper quodammodo vernal vel autumnat. Italia quoque partibus ijs qua à Septentrione descendunt ad temporem, qualis est Vrbis & Campaniae tractus, iuxta hieme & aestate fulgurat, quod non in alio situ.* In Belgio rarissimum est hibernum fulmen: habetque hoc Lemnius pro certo signo secuturæ mox ingentis tempestatis.

Signum vero fulgorum & tonitru instantis nullum colligo probilius, quàm si dies unus aut plures antecedentes valde fervidi, & cælum deinde prætexat se nubibus. Ut meritò intempestivas illas flamas & tonitru anni 1624. die 12. Novemb. Lovanij fuerimus demirati; cùm præfertim dies multi anteivissent gelidi & humentes. Sed ne sciebamus, quid Neptunus & Iupiter in Oceano nostro contra nothum illum Mansfeldium, è Hollandiâ in Britanniam velificantem, molirentur. Naufragium enim in illâ tempestate passus, suffocatus etiam diu creditus fuit: donec iterum tandem, divinâ providentiâ eum differente, ad desaltandam, quam male inchoavit, pro Principe Palatino adversus Cæsarem Dominum suum fabulam, emersit.

E fulminibus etiam olim de varijs eventis, lætis aut tristibus, augurum superstitionis natio conjectabat. Vanitates eorum non opus hic refellere; quibus nec ipsi Romani, qui aliquid amplius ingenij & Minervæ haberent, satis fidebant. Hoc solùm è Plinio addam: *Quod si ab Oriente jaçtum fulmen, eodem redijset, summam felicitatem existimabant portendi: taleque ostentum Syllæ Dictatori datum fuit,*

fuit, qui deinde Felicis nomen sibi adoptavit. Sed quare Felix? Quia scilicet tot millia civium proscribere, & trucidare impunè potuit. *O prava interpretatio*, clamat Plinius, & futuro tempore infelix! Non melioris fortis tunc fuere perententes, <sup>Lib. 7.</sup> cap. 46. quorum miseremur hodie, cum Syllam nemo non oderit? Adde jam luem pedicularem, quā infelix ejus corpus seipsum erosit, & æstima, quām felix & verax fulmen illud fuit.

## ARTICVL V S XIV.

*Tormentorum nostrorum, & fulminum comparatio.*

**B**ombardas & fulminalia nostra tormenta Germanus Monachus, Bertholdus Schunarsus, vel malus Genius, in perniciem generis humani reperit: nisi fortè ars ex Oriente allata. Nam in Iaponiâ & Regno Chinensi, bombardæ jam in usu veteri erant, cum eò appulerunt Lusitani. Quidam etiam nolunt rem hanc esse novitiae inventionis, sed veteribus cognitam, ex illis Poëtæ versibus:

*Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,*

*Dum flamas Iovis, & sonitus imitatur Olympi.*

Quomodo enim, inquiunt, fulmen Iovis & tonitru imitatus Salmoneus, nisi bombardâ & pulvere pyrio? Sed non existimo. Sequitur enim paullò post:

*Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen*

*Aere & cornipedum cursu simulabat equorum.*

Videtur enim Salmoneus ille quadrigis super pontem æreum, ut Fleurantius opinatur, vectus, strepitu rotarum & æratis equorum calcibus tonitru imitatus esse. *Habent enim tonitrua concussionem quandam similem vehiculis*, ait S. Augustinus; videoque similitudinem istam Psalmista alludens, *Vox Psal. 76.* *tonitru tui in rota*, dixit. Fortasse etiam Salmoneus æream machinam tonantem, ut Caligula (quem Dio machinam excogitasse dicit, qua Iovi tonanti obstreperet, & contra fulmina fulminaret) in curru habuit: quod videtur Suidas indicare. Quanquam S. Greg. Nazianzenus

Op. 4.

ix. *βόρων* è corio (quod ad tympani quoddam genus referendum videtur, tonuisse dicat, eique Julianum Cæsarem Apostamat, vano strepitu Persas a quibus devictus est, territante comparat. Ardentes etiam faces, ut par Iovi à suis habetur (Rex enim, aut tyrannus, in Thessaliâ fuit) instar fulminum in obvios quoque, è curru per medios volante, jaculabatur. Veneti tormenta aliquot ex Germaniâ natâ, anno 1380. primi ad Fossas Clodias, contra Genuenses usi sunt, ut narrant Guicciardinus & Platina in virâ Urbani VI. Sed usum aut famam paullò vetustiorem facile ex Petrarchâ colligo, qui in Dialogo quodam bombardarum mentione. Petrarcha verò 1374. vivere desijt.

Lib. 1.  
HistorLib. 2. sub  
til.

Pleraque machinæ majores, teste Cardano, per quinque millia passuum, 60. ferri libras excutiunt. Rothmannus etiam narrat, Principem suum Wilhelmum Lantgravium Hassiæ, periculum fecisse è maxima bombarda, quam duplice Cartoam vocant, & globum ferreum, ad obliquum (ad angulum semirectum, ut interpretor) emissum, intra duo minuta temporis vix motu fessum, ad terram pertigisse. Vnoquoque autem minuto aiunt, tria circiter millia passuum à talis tormenti globo confici. Igitur in sexto tantum milliari Italico, id est, post sesqui milliaris Belgici volatum, defecit. In milliari enim horario Belgici, verius est iv. Italica, quam 111. tantum contineri

Pro quo notandum, duodecim plerumque statui tormenti elevationes; sic ut ultima & summa sit, quâ os tubi directe respicit in cælum. Verè sex solùm primæ serviunt explosioni. Septem enim sunt species explosionis. Prima est horizontalis: in quâ scilicet tormentum non elevatur, sed statuitur parallelum horizonti. Secunda fit, ex primâ elevatione; & ita deinde usque ad sextam elevationem. Brevissimè exploditur globus istu horizontali, longissimè ex sextâ elevatione. Adèò ut Alex. Capobiancus elevationem sextam statuat in viribus duodecuplam ad horizontalem. Ut si pila 10. stadia istu horizontali pererret antequam in terram cadat, in sextâ elevatione 120. conficiet, si eodem tormento & pulvere utaris. Ludouicus tamen Colladus

dus ( cui Adrianus Romanus in suâ Polemicâ magis fidit ) experimento in Falconettâ pilæ trium librarum à se facto, aliam proportionem constituit.

Nicolaus Tartalea elevationes singulas in duas dissecat, & universim 24. ponit. Vnde duodecimam, quæ aliorum sexta est, validissimam facit. Expertum verò se affirmat, pilam quæ è duodecimo elevationis punto, ad pedes 1972. excussa fuerat, demisso ad decimum punctum tormento, 100. pedes longitudinis perdidisse. Tota hæc inter istos explorares differentia, à magnitudine vel longitudine tormenti, aut qualitate vel quantitate pulveris esse videtur. Infinitis enim exemplis constare ( contra quorundam, inquit, mendacium ) asserit Biringuccius, tormentum brevius, eodem pulvere & globo onustum, per amplius spatium pilam ejaculari, quam aliud longius ; modo totus puluis inflammetur, & universas vires colligat in tubo.

Pulvis autem fit ex tribus, halinitro, vel potius salpetrâ ( nam hanc à halinitro Veterum distare, probat Scaliger ) Exercit. 104. ex sulphure, & carbone. Non idem autem sumitur pro majoribus & minoribus tormentis. Si enim scopetum pulvere illo crassiere majorum machinarum oneraveris, vix ad decem orgyas glandem excuties, ait Biringuccius ; si verò minuto scopetorum pulvisculo machinas, franges. Immensa etenim flamma, momento ferè temporis, ex eo acceditur ; cùm unumquodque pulveris granum flammam ( Snellij experimento ) 125000. se majorem spargat. Pro majoribus tormentis accipiuntur tres partes halinitri, ut docet Biringuccius, duæ partes carbonis, & una sulphuris. Pro mediocribus, quinque partes halinitri, una sulphuris, una cum dimidiâ carbonis. Pro bombardis minoribus, decem partes halinitri, una sulphuris, & una carbonis ex virgis nucis avellanæ. Quidam, ut celeriorem pulverem faciant, & intendant iustum, singulæ cuique libræ sulphuris unciam unam Mercurij, seu argenti vivi admiscent ; alij libræ halinitri quartam unciae partem salis ammoniaci. Quidam etiam ex Colladi præcepto, pulvtem in tubo hastâ transfigunt ad accelerandam inflationem

tionem. Porrò vis præcipua pulveris est in halinitro, quod à sulphure promptè accensum, puncto ferè temporis universum deflagrat sine ullo cinere.

Cardanus pondus pulveris postulat ponderi sphæræ excutiendæ aequale, Biringuccius duas tertias partes dicit sufficere. Et hanc proportionem à fusoribus nostris Mechliniensibus servari jam audio, cùm de novitio aliquo tormento experimentum sumunt. Si enim sphæra 30. librarum fuerit, tubo 20. libras pulveris infundunt.

Sed quid hinc pro fulmine nostro accipimus? Inprimis, materiam sulphuream & nitrosam pulveri pyrio & fulminibus communem esse. Omnibus enim fulguritis odor sulphuris inest. Spiritus verò nitrosus ad celeritatem inflammationis facit, estque principalis caussa, cur exhalatio angustiarum impatiens tam impotente impetu nubem effringat. Quædam acida etiam vaporis qualitas incitare quandoque fortassis iustum potest; cùm acetum pulveri tormentario infusum, vires magnas & impetum addat, ut affirmat Libavius.

Præter similitudinem in materiâ, est alia in modo explosionis: quia utraque fit per subitam rarefactionem materiæ intra tormentum, aut intra cavum nubis. Sed in hoc discrimen: quod flamma fulminis (excepto rarissimo eventu, quo lapis fulmineus jacitur) sine alio telo fit; flamma verò pulveris, pilam excutiat. Vnde nunc mirari subit, quomodo sola fulminis flamma in terram usque, id est, per 500. amplius passus, quibus nubes quandoque abeat, cum tantâ strage deiici valeat. Flamma enim pulveris densa & conferata, quam interdiu videre possis, vix longius uno pede (curiosè animadverti) ex ore Moschetti profilit. Quâ ratione igitur illa flamma cœlestis huc usque venit? Si fulminaret deorsum, ut pulvis aureus aut calx Martis, facile intelligeremus; nunc verò quia exhalatio fulminis levissima est, sursum, aut in obliquum se effundit, ut flamma nitrosi pulveris.

Vt illud autem de pulvere aureo capias, hoc etiam à Chymicis

Epist. ad  
Ruland.

Chymicis accipe. Ex purissimi auri ramentis paratur pulvis, qui radijs solaribus, aut modico igne accensus non sursum, ut pulvis tormentarius, sed rectâ deorsum, cum majori etiam boatu & viribus decuplo potentioribus fulminat. Itaque si in mensâ accendatur, eam pertundet. Sed fulmen cælestè, tam pretiosâ exhalatione non constat.

Itaque præter hæc, nihil quod afferam, habeo. Materia fulminis sæpius viscosam & tenacem aliquam exhalationis partem permixtam habet, in quâ spiritus ille tenuior colligitur & coërcetur, ne motu dispergatur & diffuat. Sic etiam è tenaci quadam pulveris fuligine, circulos quosdam è Moschetis & majoribus tormentis, se per longissimum aëris tractum conspirare & gyrate videmus. Deinde tantus etiam esse impetus potest, ut purus & liquidus flammæ spiritus aërem ad terram usque conglobatus terebret. Res enim tota rara & fluxæ liquiditatis, maximo impetu, etiam contra levitatis renisum, jaci potest. Patet, ubi vapor levis in pilâ æneâ rarefactus vehementi flatu & impetu per angustum foramen se deorsum exspirat. Audietiam Libavium: *Dum as Cyprium in purum excoquitur, antequam perfetum sit, si inieceris aliquid aquæ, prorumpit ex catino motu violentissimo, prosternitque & verberat quidquid attingit.* Puerilem etiam historiolam, quæ nudius quartus, dum hæc commentor accidit, nisi puerile sit, allinam istis chartis. Tenuia enim quædam sæpè rebus maximis affundunt lucem. Philosophiæ in Collegio nostro Falconis studiosi quatuor aut quinque, atramentum in poculo satis grandi, & facile 32. unciarum capace, infuso largiter vino ardenti & aceto, apud ignem coquebant, operculato etiam orificio, ne respiret. Cùm ecce subito tonitru rarefacta materia poculum rumpit, & per omnes cubiculi parietes valido impetu dispersa, vicinos aliquot Æthiopas fecit, & graviter ambussit. Illi repentina fulmine attoniti, & se invicem respectantes, vix diu post spiritum & sanguinem receperunt. Nempe reverâ quidam fulmini affine poculo inerat. Vinum enim ardens sulphuris vicem & halinitri simul implet, cùm facillimè accendatur

cendatur & rarescat in immensum. Additum etiam acetum, tamquam altera halinitri portio; quia pulverem etiam tormentarium incitat, ut antè ex Libavio monuimus.

Denique, ut semel finiam, quod Plinius de fulmine narrat, *Neminem tangi qui prior viderit fulmen, aut tonitru audierit,* de tormentis nostris fulminalibus etiam verum est. Hoc erim, credo, tantum voluit Plinius. Cum videmus fulmen, posse nos evitare iustum, quia venit è longinquio. Quando vero tonitru audimus, serum jam ferè esse de periculo cogitare; quia jactus fulminis ante, aut cum sono ad destinatum pervenit. Si ergo ante sonitum, iicti non fuimus, eo auditio extra periculi aleam sumus. Non ausim tamen universim promittere securitatem. Ocyor enim quandoque est strepitus, quam telum. In bellis nostris, acies pedestris, ubi coruscationem tormentorum videt, procumbit in faciem. Marchio Vastius cum ab Invictissimo Imperatore suo Carolo V. praemissus esset, ut exploraret è propinquo situm urbis Arelatensis in Provinciâ, majori globo trajectus erat, nisi absilijisset ubi flammam conspexit. Idem evenit Laurentio Mediceo Iuniori, Catharinæ illius Mediceæ, tot Regum in Galliâ matris, parenti, in Italiâ ante Mondolphum.

Hoc etiam ante abitum adjiciam. Si verum est quod Seneca, Plinius, & alij expertum dicunt, fulmen altius quam quinque pedes in terram non descendere; longè profundior est nostrorum tormentorum vis. Sphæræ enim terram intrant etiam ad vigesimum pedem. Verum tamen haec inæqualitas oriri potest ex nimia distantiâ nubis à terra; viresque fulminum futuræ fortassis pares aut supra, si nubes unde exploduntur, non longius abesset à nobis, quam tormentum.

## CAPVT IV.

*De Procellis.*

## ARTICVLVS I.

*Quæ caussæ procellarum.*

AVSSÆ procellarum eadem pœnè omnes, quæ fulminum. Materia enim est exhalatio, sed paullò tamen crudior. Forma, explosio illa è nubibus, & motus deorsum. Caussa efficiens, antiperistasis frigoris nubium, & quas antè dedimus fulmini. Finalis, etiam eadem: metus scilicet & reverentia Numinis, præter alias quasdam.

Procellas vocat Plinius repentinos flatus, aut ventos procellosos. Eorum tamen ortus multum abit à generatione communium ventorum, atque proprius abest à fulminibus.

Tres species enumerat Aristoteles, Ecnephiā, Typhonem, & Præstera. Ecnephias est exhalatio copiosa, tota simul excausa è nubibus magnâ vi deorsum, sine gyro & inflammatione. Crudam ergo oportet exhalationem esse, & adversus flammarum, contumacem. Calorem tamen magnum habet. Quomodo enim alias tam subito raresceret, & disploderet nubem? Nam disiicit verius, inquit Plinius, quam rumpit nubilum.

Typhon, Latinē Turbo, est exhalatio copiosa, è nubibus sine inflammatione explosa, sed cum gyro deorsum. Vnde Turbo nil est aliud, quam Ecnephias quidam vertiginosus & gyrans. Hac autem circulatione partem aliquam nubis defringit, secumque deorsum rapit & versat, inquit Aristoteles. Hujus porro vertiginis duæ possunt esse caussæ. Primò, si duplex sit ordo nubium, & superior extundat, inferior vero retundat exhalationem. Sic enim pars exhalationis posterior priori

O

reflexæ

reflexæ superveniens , cum eâ rixatur , quia una abire , altera redire contendit. Impetus tamen deorsum fortior est & magis intentus; atque ita pars posterior priorem detrahit , cum rixâ tamen , & vertigine. Secundò , exhalationem sine circumgyratione explosam incurrit deinde ventus aliquis transversalis eamque circumagit.

*Præster est Typhon inflatus. Longâ enim vertigine, quâ partes inter se confricantur , Turbo concipit flammam, & in Præsterem transit. Nam*

*Lucet 16.*

*Fit quoque , ut interdum venti vis missa sine igni,  
Ignescat tamen in spatio, longoq; meatu.*

*Idem.*

*Exploditur verò sæpè Præster,*

*In mare de calo tamquam demissa columna:  
monstrum maximè formidabile nautis.*

## ARTICVLVS II.

### *Procellarum effectus.*

**I** Dem ferè sunt qui fulminis; nisi quòd procellæ, crassiore spiritu non ita penetrant sicuti fulmen, sed frangant potius, turbent, & disjiciant. Turbo præterea rapidâ vertigine locum ex loco mutans, ait Plinius, nauigia contorta frangit, & repercutitus correpta secum in cælum refert , & sorbet in excelsum. Compescitur tamen , inquit, faciliter remedio, infuso in advenientem aceto , cui est frigidissima natura. Nautæ in nostro Oceano potentiori & tutiori utuntur remedio. Tormenta quippe majora in adventantem explodunt , ut ferreo globo & aëris impulsu exhalationem dissipent. Torquet autem & circinat se exhalatio longissimè per superficiem maris , specie aliquot modiorum calcis dissolutæ in fumos. Simpliciores nautæ dæmonem esse existimant ( quod etiam Bodinus credit ) qui fumum illum intus animet ac rotet. Ædificia quoque & ingentes arbores turribibus sæpè eradicantur, & animalia in sublime abripiuntur. Quomodo forte olim abreptus ille vitulus quem repluisse

*Avicen-*

Avicenna narrat. Nimis enim vitulus sim, si putem vitulos, instar ranarum, generari in nubibus.

## ARTICVLVS III.

*Præsagia procellarum, & tempestatum.*

**T**Empestas, quando in malam partem sumitur, Ecne-  
phias, Turbines, Præsteres, ventos etiam omnes vali-  
dos, aëris inferioris tranquillitatem & statum turbantes,  
fulmina, & grandinem procellosam, comprehendit. Pluri-  
ma autem sunt tempestatum præsagia, quæ apud Virgil. lib.  
1. Georg. apud Plin. lib. 18. cap. 35. & Lucanum lib. 5.  
Amyclas nauta Iul. Cæsari (cujus tuguriolū Cæsar solus &  
ignoratus, intempestâ nocte pulsat) trajectum Adriatici per  
omnia signa tempestatum, frustrâ dissuadet. Sed adverte,  
pleraq; ista signa non tantum turbines, & cetera quæ ample-  
ctimur nomine tempestatis, significare, sed simplicem etiam  
pluviam, aliaque nubium missilia. Sunt ergo signa sœpè sa-  
tis certa mutationis auræ & vaporis aut exhalationis super-  
nè relapsuræ; sed non perinde, an in specie Ecnephiæ, an  
venti communis, an pluviae, &c. id eventurum sit. Ea au-  
tem in duas classes separabimus. Alia enim ab inanimatis,  
alia ab animantibus sumi possunt. Hæc sunt in primâ classe.

Si Sol in nube oriatur, aut occidat. Si parelij eum cin-  
gant. Hoc ab Arato est, illud à Virgilio:

*Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum  
Conditus in nubem, mediisque refugérit orbe,  
Suspici tibi sint imbræ.*

Georg. I.

& Amyclas apud Lucanum:

*Nam Sol non rutilas deduxit in aquora nubes.*

Quod verò Virgilius de Sole, medio orbe refugiente, addit,  
clarissimus Plinius: *Sol concavus oriens pluvias prædictit.* Si nubes,  
inquit etiam, solem circumcludent, quanto minus luminis relin-  
quent, tanto turbidior tempestas erit. Si verò duplex etiam orbis  
fuerit, eò atrocior. Denique, si ante ortum radij se ostendent,

*quam & ventum significabunt. Idem fiet, si ipse etiam orbis solaris aliquanto maturius, quam proximis diebus, in conspectum venerit. Hoc enim fundamento adagiale hoc Gallum stat:*

*Femme qui parle Latin,  
Enfant qui boit du vin,  
Soleil leue matin,  
Iameis n'auront bonne fin.*

A Lunâ quoque præfigia quædam sunt. Si in exortu radios in Austrum & Boream dispergat. Si cornua crassa & inflata habeat. Si insolenter palleat, aut erubescat. Si Planetæ micent, & fixæ supra modum lascivæ sint & scintillantes. Si faces per aëra solito densius volent.

Virgil. I.  
Geo. 9.

*Sepè etiam stellas, vento impendente, videbis  
Præcipes celo labi, noctisque per umbras  
Flammarum longos à tergo albescere tractus:*

Horum omnium una ratio est, quia indicant multos vapores aut exhalationes pendere in aëre, quæ materia sunt meteororum spargentium tempestates. Sol enim, Luna, & omnia sidera per medios vapores refracte conspecta, ampliant speciem; per exhalationes vero, purpurant aut irrfuant. Subsiliunt autem & scintillant, ascensu & descensu earum, ceteroque cursu & gyratione spirituum per aërem.

Sed mirum videri potest, quomodo nubes in qua Sol exoriens surgit, pluiam in verticem nostrum recasuram significare valeat, cum nubes illa ad limbum horizontis posita, & tam procul à vertice nostro absit?

Resp. Sol post exortum, vapores circa horizontem rafraicit, & sæpe usque ad axem horizontis & supra nostrum verticem expergit: præsertim aurâ aliquâ inde afflante, quod sæpe solet. Deinde vapor horizontem obsidens significat aliud etiam passim fluctuare per totum aërem, à Sole mox exorituro elevandum, & recasurum.

In animalibus quoque hæc notari solent. Si gallinaceus aut anas frequenter & temerè interdiu cantet. Si grues revertantur, aut demissius volent. Si cygnos, anseres, anates.

*Certatum*

*Certatim largos humeris infundere rores,  
Nunc caput obiectare fretis , nunc currere in undas,  
Et studio incassum videoas gestire lavandi.*

Virgil. I.  
Georg.

Si boves cælum suspicientes olfactent , aut se contra pilum lambant. Si porci lascivientes stramen & manipulos ore discerpant. Si feles barbas lavent. Si pecora indecorè exultent. Homines etiam , aut callo pedum digitos præter solitum urente , aut podagrâ , alijsque vitijs admonentur tempestatum. Lemnius etiam affirmat fatuos , & quibuscumque Lib. 3. c. 3. mens vacillat in Belgio, magis loquaciter & turbulentè per de occult. compita discurrere , tribus etiam diebus ante tempestatem. Equi in itinere magis festinant, asini pigris incedunt appetente tempestate , aut pluviâ. Vnde lepida illa historiola Astrologi asini & Ludouici x. Francorum Regis. Rex enim iste sanitatis & longæ vitæ, si quis unquam appetentissimus, Medicum & Astrologum magno ære conductos perpetuè secum trahebat. Contigit autem , ut ad venationem manè exiturus , Astrologum suum de diei tempestate consuleret. Hic inspectâ Ephemeride & Planetarum positu , serenitatem & omnia pro uenatione spondet. Igitur Rex cum toto comitatu effusus , & aliquousque progressus , Carbonarium fortè qui onustum asinum ante se agebat , obvium habuit. Is verò ultroneâ in Regem suum pietate , optimè & sapienter feceris , inquit , ô Rex , si converso itinere urbem repetas , ne effusa pluvia , & sæva tempestas , quæ imminet , te opprimat. Rex aliter ab Astrologo suo instrutus , rustici prognosticon contempsit. Verum ecce paullo post , cælum nubibus contrahi , murmurare tonitrua , micare fulgura , fulminibus dein rumpi nubes , cælum omnem misceri , & aquarum diluvia in terras ruere. Rex igitur & universus comitatus diffugere , & concitatis equis propinquâ testa querere , aut in urbem usque referri. Vbi statim proxima Regi cura fuit , Carbonarium illum jubere accersiri. Et unde , inquit , Astrologiam didicisti , ut tam certâ conjecturâ nimbum & tempestatem potueris nobis annun-ciare? Astronomus meus , asinus meus est , ait Carbonarius.

Cum enim fulmina , nimbi , & tempestas in proximo est lento & melancholico gradu incedere, auriculas demittere, & costas ac cutis pruriginem ad vicinam arborem aut murum defricare solet. Rex in risum effusus, & ut erat lepidus, Astrologum suum Aulâ expelli, & stipendum ejus asino Carbonarij dari jubet, nullo in posterum Astrologo, præter Carbonarij asinum, se velle uti protestatus. Caussam istorum reddere tentavit Virgilius:

Lib. I.  
Georg.

*Vbi Iupiter humidus Austris  
Densat, erant quæ rara modò; & quæ densa, relaxat,  
Vertuntur species animorum, & pectora motus  
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,  
Concipiunt. Hinc ille avium concentus in agris,  
Et latæ pecudes, & ovantes gutture corvi.*

Itaque in densitatem & raritatem corporum , quæ ex aëris temperie nascitur , reducit lasciviam illam & motus animalium. Sed hoc latius explicandum, & addendum aliquid est.

Dico igitur , ante tempestatem, & cum jam multæ nubes, aut vapor in aëre incipiunt cogi, humorem non paucum deorsum , non quidem guttatum in pluvias , & ut percipi facile possit, sed instar aëris densioris , aut roris continui, perpetuò defluere. Id enim necessarium est, simul atque vapor minimâ gravitatis adjectione, aëris in quo pensilis fluctuabat , superaverit æquilibrium. Impossibile enim est, quin deorsum subsidat quod plus proni & gravitatis habet, quam aër, aut quodcumque aliud fluidum , in quo collocari contigerit. Hic ergo vapor , quia tenuissimus est, in animalium poros & cutem facilè penetrat, & titillando aut morsicando, mota imaginatione & bruto appetitu , ad saltus inconditos , aut voces sollicitat. Quædam etiam se lambunt , ut humorem illum titillantem detergant. Facilius autem bruta, quam homines , eum sentiunt ; vel quia corpora mutationibus & injurijs cæli magis obnoxia habent ( & hinc etiam non omnia æquæ patiuntur, & præsagiunt; ) vel quia instinctu & impetu naturæ effreni in perturbationes &

nes & motus abripiuntur , quos in hominibus frenat & componit ratio. Deinde curæ & distractiones mentis avertunt homines , ne tam impressæ & attente de minimo pruitu cutis , aut alijs leviusculis corporis mutationibus cogitent.

Sed ex S. Thoma hoc potius dicamus. *Bruta animalia*, inquit, <sup>3. Th. 2. 2. q.</sup>  
<sup>172. 2. 1. ad.</sup> non habent præcognitionem futurorum eventuum , nisi secundum <sup>3.</sup>  
 quod ex suis causis præcognoscuntur , ex quibus eorum phantasia  
 moventur ; & magis quam hominum. Quia phantasia hominum,  
 maximè in vigilando , disponuntur magis secundum rationem,  
 quam secundum impressionem naturalium caussarum. Ratio enim fa-  
 cit in homine multo abundantius id quod in brutis facit impressio  
 caussarum naturalium.

Cajetanus vero solenni suo acumine modum , quo cor-  
 nices & corui pluviam prænuntiant, conatus configere. *Plu-* <sup>Caiet. 2. 2.</sup>  
*via futura*, inquit, primò producitur in quodam effectu conformi ipsi  
*pluvia in animali crocitante* , & deinde producitur in esse materiali  
 quando actualiter pluit. Et tunc crocitatio avis est signum pluviae,  
 tanquam coëffectus unius communis cassa utriusq; Recte & con-  
 sentienter ijs quæ paullò antè differui ; nisi quodd caussam  
 proximam qua coruus ad crocitandum titillatur , cælestem  
 influentiam esse putet , ego potius roridum & tenuem ali-  
 quem humorem , qui exhalationi morsicanti permixtus,  
 deorsum ante pluviam subsidit. Per istam etiam caussam  
 expediri potest , quod narrat Plinius : Trifolium inhorres-  
 cere & folia subrigere contra tempestatem : affirmatque  
 Io. Porta , se expertum. Nervi enim quibus folia ejus inten-  
 duntur , aut relaxantur , frigore & qualitate humoris contrahi  
 possunt , & folia surrigere. Et sic etiam mirabile illud ex-  
 trico , quod visum à se asleverat Rondeletius. Corio scili-  
 cet vituli marini ventorum mutationes indicari. Austro  
 enim flante pili emicant & inhorrescant : Boreā verò re-  
 deunte , ita reflaccescant , & in planitiem desidunt , ut nullos  
 esse putas. Hic etiam vapor rorulentus supernè defluus &  
 tempestatum aut imbrium prodromus , omnium plantarum  
 & state post siccitates , odorem irritat. Quod sæpè in  
 Ormino.

<sup>Lib. 10. c. 2. 2.</sup>  
 Ville.

Ormino seu Scarlea sum expertus , quæ ante imbrem , aut vesperi quando refluere incipiunt rores , longius multo & incitatius odorem spargit.

Hæc eadem caussa , cur fores acrius strideant , ligna in igne crepitent , fungi circa lucernas concrescant ante tempestatem . Signa tamen ista quandoque fallunt , quia à caussa potentiore impediuntur , ut ait Aristoteles . Ut proinde magno periculo publici risus se exposuerit Anaxagoras , qui ut Astrologum & pluviae divinum se ostentaret , ev. δερματινω in scorteā seu pellicea tunica , sereno cælo Olympia spectavit , quasi pluviae mox secuturæ certus . Viatores enim aut spectatores sub dio pluente penulis scorteis uti solebant , quas vesti pretiosiori superijciebant .

Cap. 2. de  
divinit.

Lacrt.

Martial.

*Ingrediare viam calo licet usque sereno ,  
Ad subitas nunquam scorteā desit aquas.*

Ceterum in periculo procellarum , sicut & fulminis , pulsantur campanæ apud Christianos , quia Benedictione vim quamdam acceperunt ad abigendos dæmones , qui sæpe tempestatum auctores . Ventilatio quoque aëris avertere nubes , aut hebetare etiam aliquantulum potest impetum fulminis , ut superius etiam monuimus .

## C A P V T V .

### *De Meteoris supremæ regionis aëris.*

**S**VM exhalationes sæpe leviores vaporibus sint , haud dubie supra nubes , & in supremam aëris regionem transiendunt , ibique in varias meteororum imagines accendi possunt : quales capræ , trabes , bolides , faces , dolia , clypei , stellæ discurrentes , &c . Cave tamen existimare , hæc ita supremæ regioni affixa esse , ut similia in mediâ ( ubi raræ in eâ nubes , aut nullæ sunt ) aut infimâ exoriri nequeant . *Fax enim , inquit Plinius , Germanico Cæsare gladiatorium spectaculum edente , præter ora populi , meridiano transcurrit .* Alia etiam incendia non raro ad terram per

Lib. 2.  
cap. 26.

ram perveniunt. Adeò ut nuper lintea sub dium expansa Lovanij ustulaverint. Hæc autem quæ flammam usque ad terram ferunt, verisimile est, è propinquo eam rapuisse. Potest tamen, ut è nubibus, aut supremâ etiam regione descendenterint; ubi præsertim incendium vastum est, aut materia tenax & ignium tolerans. Ita olim inter acies Mithridatis & Luculli, cælo repente diffisso, ingentis dolij flamma, coloris argenti fusi, ait Plutarchus in Lucullo, in terram decidit.

Omnia verò hæc meteora, eâdem imagine & exemplo definiri debent. Vt, Capra saltans est meteorum igneum suprema regionis, figurâ & subfultu similitudinem habens vera capræ saltantis. Trabs est meteorum igneum supreme regionis, situ materiae in longum porrectâ & iacentis, habens imaginem vera trabis. Et ita in ceteris. Causa igitur eorum materialis, est exhalatio flammans. Formalis, figura, aut motus qui proximum fundamentum similitudinis sit cum re aliâ, cuius meteorum nomen adoptavit. Finalis, purgatio aëris, aut respectus Numinis, & mortalium terror. Efficiens, Sol & astra, aut scintilla aliqua alterius ignis exhalationem fortè incidens. Attritus etiam & confricatio halituum; maximè, si suprema regio se & universa in se pendentia, cum cælo gyrat in orbem.

## ARTICVLVS I.

## De Caprâ, Trabe, Pyramide, &amp;c.

**S**eneca fatetur ignorare se, cur Aristoteles globum quemdam igneum, capram appellari. Sed ipse non fuit primus nomenclator. Et à barbulâ ac floccis circumpendentibus, lascivoque saltu nomen sine dubio acccepit. Flocci autem illi peniles, partes exhalationis paullò rariores sunt, & in speciem lanarium floccorum intercisæ. Saltus potest esse verus, potest etiam tantum apparere. Verus erit, si spiritus rarius materiam densiorem identidem levet, & subito destituat, expediens se & evanescens. Apparens

verò, si flamma corporis densior & uberior, illicè in barbitum & caproneas, crinientesque undique villos se ejiciat, & ijs statim deflagrantibus ac dissipatis, iterum se ( idque sàpiùs interpolatis vicibus ) in corpus exhalationis recipere appareat. Capram Lunari magnitudine visam, Paullo Amilio bellum adversus Perseum Regem Macedonum

gerente, narrat Seneca. *Nos quoque, inquit, vidimus non semel flamman ingentis pilæ specie, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa D. Augusti excessum simile prodigium: vidimus cùm de Seiano astum ( id est, mors ei à Senatu decreta. ) Nec Germanici mors sine denuntiatione tali fuit. Verum non hæc omnia capris, sed quædam trabibus, aut facibus, Cometis-ve elementaribus adnumeranda. De excessu Augusti Dion: Sol totus defecerat, magna pars cæli ardore visa, ligna ignita de cælo visa cadere, crinitæ & sanguinolentes stelle fulserant.*

Trabs oblonga & jacens esse debet: aliás si stet, columnæ potius erit. Trabem olim conspectam, cùm Lacedæmonij classe vieti, Græciæ imperium amiserunt, narrat Plinius. Et à fido teste nuper audivi, autumno anni 1625. ingenitem trabis molem, intempestâ nocte, ab Occasu exortam, paullatimque ad cæli culmen evectam, Lunam clarissimè splendentem infuscasse. De trabe etiam admirabili anni 1560. quæ per duas horas arsit, vide Gemimam lib. 2. cap. 2. Cosmog.

Pyramis ab alijs vocatur ignis perpendicularis. Erecta autem hæc flamma apparet, latiorque in basi, sursum in conum & turbinem abit. Describit eleganter, & simul caussam talis figuræ scribit Iovianus:

---

Leve in ærium se tollit acumen  
Confurgens, graviora suo se pondere ad imum  
Detrudunt, donec cunei sub imagine flammam  
Concipit, & rutilus micat inter sidera conus.

Sic etiam in lignorum & candelarum flammæ, partes graviores infra alias sidunt, levioribus in pyramidis conum effugientibus.

Stipulæ ardentes sunt, cùm exhalatio longè lateque  
sparsa,

Lib. 1. c. 1  
Nat.

sparsa, & subinde relucens, speciem stipularum in agris flagrantium repræsentat.

Clypeus etiam ardens & in orbem scintillans, ab Occasu in Ortum, Marianis temporibus visus transcurrere, Plutarcho teste.

Fax nomen est generale, & in stellas discurrentes, & cadentes cadere potest. Plinius in lampadem, & bolidem dividit. Lampas *vestigia longa facit, priore parte ardente: bolis ve-* Lib. 2.  
*rò perpetua ardens, longiorem trahit limitem,* inquit. Vnde etiam cap. 26. patet, utramque appellationem in stellas discurrentes & cadentes competere. Nunc enim lampadis, nunc bolidis formam adoptant.

Stellæ discurrentes serenâ ferè solūm & sidereâ nocte visuntur. Non exploduntur è nubibus, ut cadentes, sed per materiam in supremo aëre in longum expansam discurrere apparent; cùm reverà locum non deserant, sed flamma una alteram continentem accendat & suscitet. Sic flamma candelæ ardentis, in lychnum candelę extinctę & adhuc fumantis descendere videtur, ait Aristoteles, si hanc illi ita supponas, ut fumus in flammatam incurrat. Pari modo ignis per stupam, aut pulverem pyrium, invitatus à pabulo, imaginem discursantis præbet. Non est autem neceſſe, totam exhalationē continuam esse. Nam una pars aliam non longiter remotam per aëris aliquod intervallum incendere potest; ut in stupâ igni ferè attiguâ cernimus. Sed in naphthâ evidenter: in quam undecumque visam transiliunt protinus ignes, inquit Plinius. Sic Medea pellicem, filiam Regis Creontis, à Iaso superinductam cremavit, coronâ ejus sacrificantis naphthâ illitâ & raptâ ignibus. Sed cur stella semper rectâ discurrit, cùm incredibile sit materiam flammæ numquam in obliquum disponi? Resp. Sæpius quidem obliquam & tortuosam esse, sed distantia obliquitatem celat, nc è longinquo appareat, ubi hinc inde semita divertit & se torquet. Vidi etiam hisce oculis non semel, stellas istas non directo limite, sed hac illâc vagas & palantes, veluti etiam tractum à tergo relictum initio tenuem, mox se dilatare, & utrimque spargi.

Sed quæres iterum: Cur semper transversim discurrent? Nego id esse perpetuum. Est tamen solemnius. Nam si exhalatio recta sursum deorsumve eat, & vertici nostro impendeat, stare eodem loco defixa apparebit. Si autem à vertice declinet, ascendere aut descendere videbitur. Sæpius tamen descendere: quia à parte superiori & cælestibus propinquiori exhalatio promptius incendium rapit. Ibi enim levior & purior magisque ignea & vicina flammæ. Si etiam halitus dispositura horizonti parallela fuerit, & pars prima media, ac ultima æquali intervallo à terræ superficie distent, flamma à vertice accensa, parebit descendere in fine; quia linea recta altior oculo, parte illâ semper depresso & propinquior terræ videtur, quæ proprius ad horizontem accedit. Quantæ molis, inquies, oportet stellas istas esse, ut hinc eas conspicemur? Resp. Satis grandis, præsertim si in altissimâ parte supremæ regionis sit inflammatio; quæ sententiâ Vitellonis & ferè communi, 52. circiter Italiciis milliariibus absistit à terrâ. Nihilominus, quia fax in tenebris, etiam per totam illam horizontis visibilis semidiametrum, & multo longius ex Pharo aliquâ oculos navigantium facile tangit, non est necesse faces cælestes multis partibus amplitudine flammæ majores esse nostris facibus. Ratio est, quia faces per tenebras noctis conspectæ, vicinum aëra radijs perfundunt, criniuntque se circumcirca denso lumine, neque noctu Solis jubare coma diluitur, ideoque una cum luce centrali facis, ad asperatum traiicitur.

Sed alius præterea videtur esse stellæ discurrentis generationis modus. Si nempe vero discursu traiiciat se, nec tamen nubes eam, ut stellam cadentem, extundat. Quid enim vetat, exhalationem, materiâ affluente & in nodum visco fortasse suo se alligante, gravatam pondere suo defluere? De talibus canere mihi jam videtur Virgilius:

Aeneid. 5.

— Cælo ceu sapè refixa  
Transcurrunt, crinémque volantia sidera ducunt.

Ecce

Ecce enim affixa cælo, deinde refigi, & transcurrere dicit. Ergo flamma instar sideris veri eodem loco fixa primùm conspiciebatur, deinde absiliit. Et hinc est, ut puris & si-  
dereis noctibus tam numerosos stellarum populos videre  
putemus; cùm facula sparsim stellis interlucentes ( quas  
postea refigi & delabi etiam cernimus ) pro legitimis astris  
fallant.

Motus vero earum in fine plerumque tardior ( velut in  
pyrobelis nostris artificialibus ) quia materia in fine defla-  
grat, exspirantque spiritus ignei materiæ molem succollan-  
tes.

Denique hoc præcedentibus auctariorum adiçio. Stellas  
discurrentes, & id genus transversos ignes, in prodigijs &  
maleficijs signis habitos à Veteribus, & Cometarum infa-  
miâ laborasse. Ostendere possum infinitis exemplis. Suffi-  
ciet unum à Poëta Pompeiano.

*Ignota obscura viderunt sidera noctes,  
Ardentemque polum flammis, caligine volantes  
Obliquas per inane faces, crinemque tremendi  
Sideris, & terris mutantem regna cometem.*

Lucan. I. 1.

Sed quantam hæc signa mereantur fidem, dicemus Libre  
sequenti in Cometis.

## ARTICVLVS II.

*An columnam ignis, quæ annos 40. Israelitas per de-  
sertum duxit, meteoris igneis accenseamus.*

**P**Hilosophus quidam nuper in classe Hebræorū me po-  
suit, qui geminam columnam, unam nubis, alterā ignis  
fuisse affirmant. Id tamen mihi in mentem nunquam venit.  
Sed cùm in editione Meteorologiæ nostræ priori dixisse, Franc.  
Aguilonij opinionem esse, nubi isti in imaginem colun-  
ma ab Angelo conforme, ignem divina virtute infusum, prohibite  
tamen

## 118 LIBERTI FROMONDI.

Franc.  
Aguilon.  
Lib. 5.  
prop. 56

Exod. 14.

Num. 9.  
Exod. 13.  
2. Efr. 9.  
Psal. 104.

tamen urendi facultate, ut in rubo, & Babylonica fornace, Respondi, Nil opus esse tam insolenti miraculo, sed exhalationes flagrantes potius fuisse de materia meteororum, quas Angelus singulis noctibus, collecto novo supplemento reparabat: easq; scilicet nubi infundebat, quemadmodum Aguilonius ignem illum miraculosum, adempta urendi facultate, eidem nubi infusum proxime dixerat.

Itaque certissimum existimo, unicam fuisse columnam, quæ nubem pro corpore, ignem quasi pro anima haberet. Erat quippe nubes tenebrosa illuminans noctem.

Sed quomodo vapor nubis, calore inclusi ignis non diffundebatur, & columnæ figuram confundebat?

Tostatus ait, ab Angelo qui columnam illam regebat, firmitatem accepisse. Potuit enim Angelus vaporem cohíbere ne diffueret, & frigerantius quibusdam rebus, quas Angeli norunt, retinendere ignis vehementiam, ne vapor rarefactus & diffluens, columnæ turbaret figuram. Cum enim non tantum ex aqua & terra, sed etiam ex omnibus animalibus, plantis, lapidibus, & universim mixtis, quæ à Sole irradiantur, aliquid in nubes exspiret, Angelus rerum naturallium scientissimus, tales halitus colligere & nubi intemperare potuit, quibus vaporis dissolutionem contineri posse sciebat. Splendidos etiam quosdam lapidum & metallorum spiritus vapore miscuisse credibile est, ut lux accensæ exhalationis, ab innumeris talium corpusculorum atomis reflexa & multiplicata, longius & pleniùs super castra Hebræorum se diffunderet. Nec refert, quodd alicubi columnæ illa vocetur, quasi species ignis. Nam sæpius etiam absolute appellatur *columna ignis*. Et Psaltes: *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem*. Sicut ergo vera & è vaporibus contexta nubes erat, ita nihil est causæ, cur ignem quoque verum extinguere pertinaciter velimus. Dicitur tamen quandoque, quasi species ignis, quia particula, quasi, veritatem etiam interdum, non solam similitudinem significat. Deinde columnæ tota incensa & unus continuus ignis, per tenebras noctis, apparebat; cum tamen maxima pars, nubes esset, quæ splendorem inclusi ignis exciperet, & in castra refunderet.

Lon-

Longius aberrare mihi videntur, qui lucem illam nubis non ab igne sparsam, sed à radio Solis qui noctu in altero hemisphærio erat, coloratam fuisse, ingeniosè comminiscuntur. Ad tantam enim altitudinem ab Angelo in sublime elevatam dicunt, ut conum umbræ terræ superaret, potueritque instar Lunæ, aut excelsissimi Cometæ, radio solari perfundi.

Verum, quia Astronomi passim conum umbræ terræ ultra Lunæ semitam jaci, ex eclipsi lunari colligunt, negant isti solidè id colligi, sed Keplerò potius assentiuntur, qui novo, ut ipse vocat, paradoxo, conum umbræ terræ non ultra 43. terræ semidiametros (cùm lunam 54. semid. à terra removeat) in altum extendi, ex radiorum solarium refractione in vaporibus, qui globum terræ obsonent & cingunt, conjectat.

Kepler. c. 7.  
Paral.

Sed licet paradoxum illud Keplerianum à vero minime delirare demus, tanta nihilominus columnæ ignis excelitas, quæ conum umbræ terræ, seu 43. terræ semidiametros altitudine superaret, cum sacra Historia difficulter congruere potest.

Nam si Keplerò credimus, in una terræ semidiametro sunt milliaria Germanica 860. sive Italica 3440. Vnde vides, quot millibus milliarum elevata fuisse debuerit à terrâ illa columnæ, si numerum istum 3440. ter & quadragies multiplices. Imò, si solùm mille milliaribus à terra distiterit, cernis iterum, quanto intervallo supremam aëris regionem infra se reliquerit, quam non ultra 52. milliaria sursum Vitello extendit. Nubes ergo illa 950. circiter milliaribus supra omnes capras, trabes, & quidquid halituum in suprema aëris regione incenditur & lucet, apparet. & in Peripatetico ignis elemento consistere debuit. Fulserit igitur super castra Hebræorum, ut Cometes aliquis sublunaris admodum excelsus, qui propter suam altitudinem discerni non posset, an principio, an medio, an fini castrorum directè incubuerit. Quomodo ergo verum quod Moyses narrat? *A vespere super tentorium (in medio castrorum) erat, quasi species ignis usque manè. Sic siebat iugiter.*

per

Num. 9:

per diem operiebat illud nubes (extincto igne, aut luce ejus of-  
fuscata majori splendore Solis) & per noctem quasi species  
ignis. Cumq[ue] ablata fuisset nubes, qua tabernaculum protegebat,  
tunc proficisci ebarantur filii Israel, & in loco ubi stetisset nubes, ibi ca-  
strametabantur. Ac deinde. Cunctis diebus quibus stabat nubes su-  
per tabernaculum, manebant in eodem loco.

Igitur nubes illa nocturna sive columna ignis, valde sub-  
missa, & infra nubium stationem esse debuit, ut tabernaculo  
potius, quam alteri castrorum parti, imminere videri po-  
tuerit.

Exod. 13.

Deinde, Dominus precedebat eos ad ostendendam viam, per diem  
in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset iti-  
neris, utroque tempore. Vnde visu distinguere poterant, an  
columna primum castrorum agmen praecederet, an supra  
medium, aut novissimum perpendiculariter suspensa esset.  
Quod vix, & ne vix fieri poterat, si columna mille millia-  
ribus, longissime supra omnes nubes & exhalationum lam-  
pades, à terra abstitisset.

Exod. 14.

Sap. 10.

In transitu etiam maris Rubri, nubes tenebrosa & illumi-  
nans noctem, stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel. Quo-  
modo autem situs iste discerni potuit, si nubes illa ultra  
medium & supremam aëris regionem, mille milliaribus à  
terra abfuit? Quomodo deinde in tanta excelsitate, figuræ  
potius columnaris, quam sphæricæ apparuit? Certè non  
potuit, nisi moles ejus immensæ & monstruosæ vastitatis  
fuerit. Nubes denique eadem erat, quæ fuit illis in velamento  
diei, & in luce stellarum per noctem; velamentum autem istud  
ab aëstu Solis castra protegens, non erat haud dubiè ordina-  
riâ nubium statione excelsius, sed instar fortè demississimæ  
nubis, quales sunt atræ illæ, quæ æstate nimbos fundunt.  
Igitur nec eadem nubes, cum luminabat per noctem, lon-  
gè erat sublimior. Si enim in columnæ formam collecta,  
sursum ad mille milliarium intervallum elevaretur, om-  
nium fortasse è terræ superficie spectantium oculorum  
aciem effugisset, nisi novæ molis insigni accessione aucta  
& inflata esset.

Nec,

Nec, ut universa castra, quod satis ad usum nocturni  
luminis erat, illuminaret, tam alte in sublime extolli debuit.  
Nam Bened. Pererij, & ferè communi calculo, castra non  
ultra decem M. pass. sive decem millaria Italica, in terræ  
Superficie occupabant; ut autem columnæ ignis, noctu su-  
pra tabernaculum in medio & centro quasi castrorum posi-  
ta, ad quinque millaria Italica in orbem radios diffunde-  
ret, non necesse fuit, ut excelsissimorum montium cacumen  
altitudine superaret, aut æquaret. Nam Franc. Mauroly-  
cus, Abbas Messanensis in Sicilia, & Aetnæ accola, narrat  
*ex eius montis apice per plura quam ducenta pass. millia in pelago visum protendi, totiusque Insulae ambitum circumspici.* Si igitur <sup>Dial. 3.</sup> <sup>Cosmogr.</sup>  
columna ignis in vertice Aetnæ collocata esset, ad ducen-  
ta millaria Italica lumen in orbem spargere potuisset:  
quanto ergo humilior, spatium quinque, aut etiam decem,  
quando castrorum agmen præcedebat, milliarium Itali-  
corum illuminare poterat? Præsertim cum necesse non fue-  
rit, ut directè & quasi à vertice omnes, etiam extremas, ca-  
strorum partes illuminaret, sed obliqua irradiatio ad tenuē,  
& simile lunari lumen ultimis castris spargendum sufficie-  
bat. Lumen enim istius columnæ ignis, *solaris luminis excel-  
leniā longè inferius erat*, inquit Aguilonius, par tamen lunari <sup>Lib. 5?</sup>  
*splendori, non illi quem luna reipsa habet, sed quem nobis imperit,* <sup>Prop. 56.</sup>  
*maximā itineris longinquitate hebetatum; ne nimius fulgor quiescen-  
tium Israelitarum oculos noctu perstringeret, ac quietem intertur-  
baret, quos vix umquam noctu iter habuisse legimus.*

Magis denique subtile quam solidum est, quod ex loco <sup>Sap. 10.</sup>  
illo Sapientis obijci potest: *fuit illis in velamento diei, & in lu-  
ce stellarum per noctem;* quasi significetur lux illa columnæ  
ignis, non ignea, sed siderea fuisse, ipsaque lux Solis nubi  
infusa, qualem Sol stellis aspergit. Nam verus verborum  
illorum intellectus clarius lucet in Græcis: Εγένετο αὐλαῖς  
τις σπληνίη μέσας, καὶ τις φλόγα ἀσέρω τὴν ρύνα, fuit illis in velamen-  
tum diei, & in flammam stellarum per noctem. Non ergo ait lu-  
cem illam fuisseflammam aut lucem stellarum, sed noctu  
servisse Israëlitis in vicem & modum flammæ nocturnæ.

stellarum; sicut interdiu vīce umbellæ & velamenti ab æstu Solis defendebat. Quod enim officium Luna & siderum faculæ nocte sublustrī mortalibus præstant, hoc columnā illa ignis, obscuris etiam noctibus, populo illi per desertum peregrinanti præstabat.

## ARTICVLVS III.

*De Galaxia.*

**A**ristoteles Galaxiam, seu circulum lacteum, permiscet meteoris ignitis supremæ regionis. Parmenides, partes Firmamenti densiores, & ferè stellantes, Democritus legitimarum stellarum infinitam congeriem existimat. Tres istæ sententiae de veritatis principatu certant, ceteræ fabulares palam sunt. Ut esse lac Iunonis, ore Mercurij in cæli pavimentum abjecti effusum, aut partem illam cæli ustulatam & signatam incendio Phaëthonis, & alia id genus somnia. Nec longè probabilior etiam Theophrastus, qui duorum hemisphæriorum compagem & commissuram, ac veluti cicatricem esse dixit: quasi scilicet Deus integrum Firmamenti orbem per divisa hemisphæria, ut nostri tornatores solent, excavare, & deinde plumbaturà ferruminare debuerit.

Qui verò partes Firmamenti rariores, & illac efflorescentem cæli Empyrei lucem crediderunt, non tam inepti, veri tamen non sunt, ut à nobis dicenda satis docebunt.

Dico Primo: Via lactea, non est congeries exhalationum in summâ aëris regione incensarum. Ita Averroës, & passim omnes Peripatetici, qui deferunt h̄ic suum Aristotelem. Probatur dupli argumento. Primo, quia incredibile tam immensam exhalationum molem tot annos, circa totum cæli ambitum, perpetuò eadē imagine durasse. Reliqua enim meteora constantiam illam non habent, sed figuram infinitis modis evariant. Deinde, quæ terræ, quæ maria in quotidianum tot ibi ardentium exhalationum pabulum tam diu sufficient?

Secund-

Secundū, omnes qui ubique & ab omni ēvo de Galaxiā scripserunt, easdem planē & circumcisē Firmamenti stellas intra eam includunt, & per Geminos & Sagittarium deducunt. Hinc colligimus, nullam pati aspectū diversitatem sive parallaxim: quam tamen satis grandem pateretur, si in regione elementari infra Lunam, & non in altissimo aethere, haberet stationem. Averroës etiam fatetur, se Cordubæ in Hispaniā, & Marochi in Africā, in eodem prorsus Læctæ marginē Aquilæ stellam adspexisse. Quod in illâ civitatum istarum distantia facere non potuit ut putat, si Galaxia intra Mundum elementarem tam depressa foret, tamque insignem haberet parallaxim.

Sed dum hæc muginor, ecce prodit in lucem præclarum opus Eruditissimi Viri Fortunij Liceti, Philosophi Patavini, Lib. 2. c. 56,  
de Novis astris: in quo contra hæc tela tueri & retinere conatur Aristotelem, animo quidem grandi & à me laudato, sed non pari eventu. Duas ab Aristotele Galaxias, unam cælestem, alteram elementarem, agnitas credit. Cælestis est tractus ille cæli, infinitis stellulis, quas Aristoteles Sporades, id est sparsas, vocat, alijsque majoribus instratus & luminosus. Præter hunc est, inquit, aliud simillimum, ei directe in regione elementari suppositus, è tenuissimorum halituum stamine contextus. Sed cur hic non subit aspectū diversitatem? Quia, ait, tam rarus est ignis, ut vix, sine Galaxiā cælesti per eum Sporadum & stellarum suarum radios traiacente possit videri. Ex se enim inaspétabilis est, inquit, ut posse multum diaphani particeps, vel parum spectabilis. Verùm facile retrahi potest ex hac fugâ. Nam quod parum spectabile, reverà spectari potest. Alias enim quo alio sensu, quam aspectu, circulum illum elementarem deprehendemus? Itaque parallaxis sine dubio Galaxiam elementarem proder, & à Galaxia cælesti manifestè distinguet, & nunc sub istis, nunc sub illis firmamenti astris apparebit: quod experientia Averrois & nostra omnium refellit.

Cur etiam flamma illa elementaris numquiam figuram suam hic aut ibi mutat & confundit? Cur pro copiâ aut ra-

ritate exhalationum ascendentium, colorem non intendit aut remittit? Quæ cauſa materiam sub eadem ſemper ſtellas colligit? An vis quædam Sporadum magnetica & ſpirituum attrahens? Sed nimis hoc quæſitum & metaphyſicum eſt. Ut quid enim pari ſemper mensurâ & nunquam altius & in cælum uſque attrahitur? Adde, quidquid Galaxiæ videmus, moveri æquo paſſu cum ſideribus cælo adhærentibus; ſuprema verò aëris regio aut non ſequitur, aut tardius cæleſtes motus. Galaxia igitur ſublunaris in aere penſilis relinquetur, parebitque ſingulis diebus more Planetarum aliquousque reciprocasse in ortus. Ad omnia verò iſta, in Libello ſuo DE LVCIDIS IN SVBLIMI, reſpondere conatur D. Licetus. Sed valde fallor si ſuo in- genio, certè meo non ſatisfecit.

Dixerat antè Galaxiam ſublunarem *ex ſe inſpectabilem*, vel *parum ſpectabilem* eſſe; jam verò ut argumentum noſtrum eludat, dixi, inquit, *absolutè penitus inviſibilem nobis, ubi non copulatur cæſti*; quia ſubſtantia Galaxiæ ſubcæleſtis eſt diaphana. Diaphaneitatem verò iſtam comis Cometarum comparat.

At ſanè Cometarum diaphanas comas, etiam ubi nulla ſunt astra quæ transpareant, radijsque ſuis ſplendorem ea- rum intendant, perſpicuè videmus. Igitur & Galaxiam ſubcæleſtem, *ubi non copulatur cæſti*, videre poterimus. Deinde ſi ſtipulae ardentef, & tot aliæ ſupremæ regionis aëris inflammationes tam ſpectabiles ſint, gratis profecto & incredibiliter dicitur, Galaxiam ejusdem regionis ampliſſimam inflammationem, in ea parte qua astra per eam nulla nobis tranſlucent, *penitus inviſibilem* eſſe; cùm præfer- tim tanta quotidie & perpetuò exhalationum copia in eam confluat. Vnde etiam pro varia anni tempeſtate, & exhalationum rariori, aut densiori ascenſu, flamma ejus nunc tenuior, nunc plenior apparebit. Videtur ergo, ut liberè & Belgico candore dicam, magis pro honore ſuo, quam pro veritate D. Licetus hīc pugnaffe, nec felicius Galaxiam cæſtem, quam Cometas ſupralunares Aristoteli impoſuſſe.

Secundū

Secundò : Nec Galaxia est pars Firmamenti perpetua & densior , quę tamquam continua Zona cęlum cingat . Et quidem non cerni in eā Solem , ut in speculo , scitè refellit Aristoteles: quia cūm in visione speculari , angulus reflexionis angulo incidentiæ par esse debeat , non semper eodem modo Sol in Galaxiā appareret , quandoquidem non unum semper adspectum ad eam retineat . Imò aliquando serenissimo & viridi cęlo non videremus ; quia species solaris à speculo isto reflexa , extra oculum nostrum caderet . Verum , nec esse partem cęli , quę perpetuam sine interpolatione densitatem & lucem habeat , jam patebit .

Tertiò : Galaxia est instar Zonę candidę innumerabilibus gemmulis , angustissimis distinguentibus intervallis , intertextę . Totam enim illam Viam ejusmodi sidereis lapillis stratam , nuper nobis arundo Batavica ostendit . Vnde alia cauſa querenda non est , ubi certam hanc habemus . Facile autem intelligi potest , quare unum & continuum Lac istud appareat . Quia videlicet , et si per singulas stellulas lux illa intercisa sit , & media spatha interpellent unitatem ; ex longinquō tamen , nisi Telescopij beneficio , discerni non valet . Ita centum nocturnę faces vicinę sibi , sed tamen divisię , procul aspectę imaginem mentiuntur unius continui ignis . Quippe intervalla breviora sunt , quām ut ex longinquō discerni possint ; & teguntur insuper aspergine vicinę undique lucis .

Sed obiicit D. Licetus : In capite Orionis , Præsepi , Pleiadibus , acervos stellarum arundine illā suā faberrimā detexit nuper Galilaeus ; & tamen nulla ibi Calaxia apparet . Igitur pars cęli continua est , non discreta stellatim . Sed hoc Galilaei experimentum potius Galaxiam nostram asserit . Nam nebulosa illa in capite Orionis , imaginem nubeculę albentis habet , quę non longę à Galaxiæ Latę ab ludit . Est autem ( quod antiquitas nesciit ) unius & viginti stellarum nodus . Præsepe etiam , seu nebulosa inter duos Aſellos in imagine Canceris , subalbida nubecula est , quam concinnat 40. amplius minutissimarum stellarum .

stellularum cinnus. Veluti ergo hic unum confusum & nubilo quasi implicitum lumen, non intervalla siderum, cernimus; ita in Galaxiâ usu venit. Vbi verò plures in uno grege stellæ majusculæ sunt, ut in Pleiadibus, aliarum minuscularum interjectarum luculas sic offuscant, ut manifestè spatia media distinguantur: sicque in Pleiadum cœtu, sex aut septem stellæ singulares & seorsim apparent, viridi aut cœrulo, non aperte lactescente, inter eas intervallo. Ita etiam Luna cum satis est illustris, & Cancro aut Sagittario admota, Galaxiam infuscat, candoremque ejus, ut sæpè vidi, evanescere facit. Doctrinam tamen hanc moliter & amicè morsicat D. Licetus. Negat me rectè Galaxiam cum Orionis & Præsepis nebulosis comparasse, quia istæ fuscedine quadam & opacitate notantur, cum Galaxia tota lacte candeat.

Sed qui in formoso vultu faciem nivi, dentes ebori, labia corallo comparat, certè non semper æquat. Nonne etiam Martis sidus, Iovi aut Veneri componimus? Et tamen quis nescit, Martis lucem opacitate quadam astringi & purpurascere, Iovis & Veneris magis hilari & digestâ claritate splendescere? Similitudo quippe, ut Pedani nostri dicunt, non currit quatuor pedibus. Similes ergo dixi, sed non undique.

Displacet quoque D. Liceto quodd dixerim, Galaxiam cælestem non videri esse partem cali densiusculam inter magnas & multas stellas residentem, ut ipse existimat; sed potius multarum stellularum luces intercisas, quarum tamen spatia media sine tubi Optici ope distinguere non valemus, quia vicinorum siderum radijs & veluti comis inalbantur.

Sed quisquis stellas fixas per tubum Opticum aspexit, & quam difficile sit Canem, exempli causâ, à circumfusis suis crinibus quasi detonsum, in sua præcisa rotunditate cerneare, intelliget comas siderum latius fundi quam caput, & stellularum Galaxiæ intervalla comis istis facilimè tegi posse & lactescere: ideoque D. Licetum aliud lac à densiori & continua aliqua Firmamenti parte, ex supervacuo voluisse emulgere.

Ego

Ego etiam in Libello, quem de Cometa anni 1618. cum Clar Medico & Mathematico D. Thomâ Ficino scripsi, huc illuc conjecturam meam versans & mittens, divinabam forte Galaxiam cingulum quoddam solutile esse, pluresque ejus gemmulas quandoque in unam grandiorem, & novum aliquod sidus (quale famosum illud Cassiopeæ, Cygni, &c.) confluere. Quod etiamnum probabile existimo, cum fluctu tamen nunc majori, ut facile colliges ex Libro sequenti.

Ceterum Galaxiæ circulus perfectus non est, sed multis partibus deflebit & se torquet, veluti semitæ in agris. Alibi etiam duplex triplex excurrit; ut juxta Olorem, ubi est latissimus. Verum etiam est, quod Aristoteles afferit, intra, quam extra Tropicos esse angustiorem. Sed non firmiter inde collegit, ex halibus contextam esse: quia scilicet Sol inter Tropicos nimio ardore spiritus extenuat & absunit, inquit, ut proinde Galaxia ibi jejunè & malignè alatur. Verum hac ratione, autumno & alijs partibus anni, quando densius adscendunt exhalationes, oporteret Galaxiam ampliorem & ubiorem fieri: sicuti etiam tunc cetera ignita pleniora sunt, & magis frequentantur.

Si verò me interroges, cur extra Tropicos Galaxia amplior; dic tu mihi antè, cur in hac quam illa cæli parte plura aut illustriora sidera defixerit Deus. Prior demisso capite abibis, ego deinde sequar. Quam multarum enim rerum fines nos latent! Posidonius tamen, ne hic obmutesceret, Extra Tropicos, inquit, Galaxia major, & densiores stellarum greges sunt, ut regionum illarum frigus & rigor sideribus minoribus molliretur, quando Sole non sat is potest. Quod non perinde ridendum, ac istud Plinij.

*Circuli Lactei defluvio, velut ex ubere aliquo, sata cuncta lactescere, Lib. 18. c. 29  
duorum siderum observatione, Aquile in Septentrionali parte, & in Austrinâ, Canicula.* Quæ tamen verba ad probabilitatem aliquam etiam reduci possunt, si vicinæ Galaxiæ sideribus, similem Aquilæ & Caniculæ influentiam tribuamus.

Hoc deniq bellum satis est, nec insuper habendum, quod  
Iosephus

Lib. t. c. 2. Josephus Acosta sāpē adspexisse & admiratum se dicit:  
 Histor. In. Circa polum Australēm , Galaxiam mirificè splendescere,  
 multisq̄ locis , maculis ferrugineis instar Lunæ deficien-  
 tis , distinctam esse : fixasq̄ & immobiles eas perseverare.  
 Quid autem eæ sunt? Dic, partes cæli sine sideribus trans-  
 parentes , aut unam amplam, vel plurimas fusci vel subrufi  
 luminis stellas in unum nodum colligatas.

Finio, si id etiam accipis. Alia præterea , veluti circuli  
 Lactei segmenta, dispersa esse per alias quādam cæli regio-  
 nes, extra etiam famosam istam Galaxiam, quæ totum ambi-  
 tum suum implet. Hinc quidam tres aut quatuor Galaxias  
 memorant. Definiri verò illa potest : *Circulus luminosus, ex*  
*minutissimis Firmamenti sideribus concinnatus, ipsumq; per Gemino*  
*& Sagittarium in duo hemisphaeria dividens.*

Igneis supremæ regionis meteoris Aristoteles etiam Co-  
 metas permisit. Sed tractatio eorum plenior est, quam ut  
 hujus Libri modus eam capiat. Itaque in totum Librum  
 tertium diffundemus.

## LIBERTI FROMONDI.

## METEOROLOGICORVM

### LIBER TERTIVS:

#### De Cometis.



AVCA de Cometis à Veteribus cum magnâ  
 curâ scripta habemus. Serò & serò magis  
 hanc rem aggressi Regiomontanus in Comêtâ  
 anni 1475. Vogelinus in altero anni 1532.  
 Gemma Phrysius, & filius ejus, Corn. Gem-  
 ma. Sed parum adhuc effecerunt, si cum sequentibus com-  
 ponantur: & præsertim cum Tychone Brahæo , de No-  
 vâ stellâ Cassiop. & in Comêtâ anni 1577. Post & cum  
 ipso

ipso infiniti alij propemodum turmatim concurrerunt, ut ex hoc mustaceo etiam ipsi laureolam peterent. Sed plurimos excitauit Cometa iste nuperus anni 1618. de quo Keplerus, Snellius, Cysatus, Clariss. & Ampliss. Vir. D. Erycius Puteanus, Cleriss. Academiæ nostræ Archiater D. Thomas Fienus, cujus onerariæ ego cymbam meam alligavi; & sine ferè numero alij. Sed novissimè, & sati ampliter, Eruditiss. Vir & Clar. Philosophus Patavinus, D. Fortunius Licetus, Doctiss. ac Clar. ejusdem Academiæ Mathematicus D. Io. Camillus Gloriosus; Eru-  
tiss. & Clar. Vir ac Perillustris Eques, Scipio Claramontius, qui Antitychonem, egregium sanè opus Brahæo op-  
posuit. Hi tamen omnes in varias sententias abiēre, & li-  
tem adhuc in plerisque sub Iudice reliquerunt: vereorque  
ut quisquam mortalium dirimere unquam possit.

Primò autem de caussâ Cometarum materiali ac for-  
malì, deinde efficiente & finali, denique de effectibus &  
præfigijs agemus. Quia verò definiri materia Cometarum,  
sine loco generationis eorum, non potest, ideo de  
isto in antecessum, aliiquid.

## C A P V T I.

*De loco generationis Cometarum.*

## A R T I C V L V S I.

*Comete quidem celestes sunt, ex minimâ quorumdam parallaxi.*



OC enim à Mathematicis, & præsertim Ty-  
chone, & Keplero, nuper sic apparuit pro-  
batum, ut multos puderet non credere, nisi  
Claramontij Antitycho dubitationem inje-  
cisset. Multis verò argumentis id conficiunt:  
sed unum validissimum est, & sine quo for-  
taffè alia contemni, aut eludi possint. Id verò est parallaxis,  
sive diversitas aspectus: quâ colligunt, sidus, aut quodvis

R

aliud

aliud in aëre pendulum, eò altius à terræ centro elevatum esse, quod minorem habet parallaxin.

Duplici autem viâ inveniri potest Cometæ parallaxis.

Primo, ex eodem loco terræ, considerando Cometam in duplici situ, uno elevationi, & altero depressioni. Cometa enim qui circa Meridianum v. g. alicui stellæ fixæ junctus apparet, devergendo cum ipsâ versùs Occasum, paullatim magis magisque ab eâ elongatur. Si longè infra eam pendeat, linea visus Cometam transfigens, in partem Firmamenti infra stellam fixam cadet, cui tamen circa Meridianum propinquissimus Cometa apparebat. Vnde Cometam viciniorum horizonti, quam stellam fixam judicabis. Axioma enim perspectivum est, *Cometam, aut. Planetam semper à parallaxi deprimi.* Quod ut mathematicè ostendant, præter lineam loci visi ( quæ à centro oculi per Cometam, in octavam sphæram tendi debet ) aliam loci veri imaginantur, quæ à centro terræ, iterum per Cometam, in sphæram octavam transit. Vnde duæ lineæ istæ in centro Cometæ se intersecant. Angulus autem intersectionis eò obtusior & major erit, magisque locus visus à loco vero distabit, quod Cometa terræ vicinior erit.

Secundo, è duobus locis distantibus, ut v. g. Lovanio & Pragâ, eodem temporis articulo, aspicio Cometam. Si enim dependeat in aëre longè infra Lunam, radij visus aspicientium, qui se in Cometæ centro decussabunt, per validè sensibilem distantiam divaricabuntur, & à se abibunt, antequam ad fixarum orbem pervenient. Vnde ipsi eundem Cometam sub diversis Firmamenti partibus conspiciunt. Facile me intelliges, si pilam è fornice templi, paullò profundiùs in aëre pensilem cogites, quæ à duabus simul ex oppositis templi angulis conspiciantur. Pila enim ista uniam fornicis partem tegere videbitur, aliam alteri.

Hæc facula tibi sic ruditer accensa, alia quæ jam dicam paullisper illuminabit.

Dico Primò : Quidam Cometæ minorem quam Luna parallaxin habere videntur : ergo altius à terrâ elevantur, & inter

inter cælestes Planetas curricula habent. Sequela est evidens intelligenti parallaxin. De Antecedente est totum dubium. Sed verisimile fit ex Cometis annorum 1577. 1580. 1585. 1590. 1593. qui in Tychonem observatorem, rerum cælestium, ut hactenus ferè creditum est, consultissimum inciderunt. Nec Rothmannus etiam, Wilhelmi Lantgravij Hassiae Mathematicus, Mæstlinus Mathematicus Tubingen-sis, alijque plures contemni debent, qui omnes illos Cometas ad examen parallaxeos vocatos, conjectaverunt habuisse parallaxim Lunari minorem. Idem fortiter & impressè in Cometâ anni 1607. & 1618. afferit Io. Keplerus, Mathematicus Cæsarius, & discipulus Tychonis. Idem Clarissimi Viri Erycius Puteanus, Thomas Fienus, Cysatus, Snellius, Piso, Rhodius, &c. tunc judicaverunt. Pauci tamen, in veteri de Cometis Peripateticis ( nec tamen sanè sine causâ ) opinione defixi, nihil se moverunt; quorum aliquos videbimus Articulo sequenti.

Secundò : Nova sidera sine caudâ , sine barbâ , sine ullo crine, omni ævo , in cælo inter sidera etiam fixa nata fuisse videntur : quidni caudata etiam , barbata , crinita possint? Antecedens varijs historijs colorari potest. Septima Pleiadum tempore Homeri , aut belli Trojani , nulla fuisse putatur, cùm sex solæ , Iliad. 1. in poculo Nestoris insculptæ fuerint. Postea tamen Simonides apud Athenæum lib. 11. M. Varro, Plinius, & omnes passim septem effecerunt. Septima tamen iterum jam excidit: nam Telescopium Galilæi nuper eam cernere non valuit. Verùm non existimo Pleiadum gregem umquam senis astris fuisse numerosiorrem. Fabula verò de septimâ , nata est ex errore & allu-cinatione oculorum. Cùm enim Pleiades lubrici admodum & lascivi sint luminis, angustissimisque dispernantur intervallis , oculus in earum distinctionem intentus & aciem brevissimo trajectu ab unâ in aliam versans & commutans, facile speciem alterius, in medium inter duas proximas spatium secum defert, putatque septimam , aut quandoque etiam octavam cernere. Id ita habere , experimento cujusque

( certè tamen meo ) constare potest. Nam aliquando septem, & paullò post sex, & iterum septem aspicio.

Certiora novorum siderum exempla, inter omnia quæ celebrantur, sunt illud quod Hipparchus suo tempore apprehendit, ut narrat Plinius: deinde famosum Cassiopœæ anni 1572. de quo tam multa Corn. Gemma noster, & Tycho Braheus: tertio, quod anno 1604. in Sagittario fulsit: quartum anno 1600. pectori Cygni enatum, etiamnum adspicimus. Hæ omnes stellæ sine parallaxi, orbi fixarum aut proximè, insertæ & inoculatae fuerunt, si Tychoni, Keplero, eorumque sequacibus credimus; quandoquidem pari cum ipsis passu, eodemque loco desixæ incesserint ab Ortu in Occasum.

Sed omnia ista cum fluctui, & ut vero tantum similia, non ut vera & affirmata vendito. Vide enim, quomodo argumentum istud à parallaxi infringere quidam sint conati.

## ARTICVLVS II.

*Argumentum parallaxeos infringere conantur Scaliger,  
Claramontius, Galilæus, & alij.*

Exercit. 79

**S**Caliger confitetur, Cometas quosdam minorem subire parallaxin, quam Lunam, etiamsi illi longè infrà ipsam in aëre pendeant. Quia Cometa, ait, sequitur naturam & motum sideris, quod exhalationem attraxit, & suspensam tenet. Sed vide, quomodo Rothmannus in Cometâ anni 1585. eum tractet. Verum enim verò, inquit, mi Scaliger, haec tua subtilitas ( quo honore aliquoties Cardani subtilitates dignaris ) scuticâ digna est. Homerum, optimum & ab omnibus probatum poëtam, contumeliosè Graculum appellat; hic quo nomine te appellest. Sed cùm contra ignorantem principia non sit disputandum, te prius Mathematicis corripiendum & erudiendum tradam, ut ab ipsis discas, quid parallaxis sit, & unde Hæc si didiceris, facilis mibi tecum contentio erit. Quia tum ipse errorem tuum ad pudorem usque agnosces, neq; Cometas supra Lunam, in sphaeris Planetarum parere

barere negabis. Nimirum tamen severè & acri dente. Mirum tamen est in tanto Viro, nescivisse, quid parallaxis. Alicubi, recordor, Erasmus nostrum, *totius naturae ignorantum* facit. Certè ipse Mathematicarum ( quæ tamen necessariæ Philosopho ) parùm gnarus fuit. Videte enim, quoties mathema aliquod in Cardano occurrit, ab eo Scaligerum, ut à vivis carbonibus, abstinentem manus. Neque tamen per hæc, summi Viri magnitudinem detrectare est animus: sed Philosophos monere, quām sine Mathematicarum rudi saltē stabilimento facilis sit in errores inexcusabiles lapsus. Dialogus etiam, Problema, qui de gravium ac levium motu, & Puerpera, qui de animâ, non significant tantam in Erasmo naturae ignorantiam, quantam ei Scaliger offundit.

Sed ad diverticulum, & demus ( quod non ex animo tamen facio ) Scaligero, ab astro aliquo vi magneticâ Cometam in aëre suspensum gubernari; si tamen longissimè infra astrum pendeat, distantiam istam prōdet statim parallaxis, si quid parallaxis sit, intelligas. Verum majus negotium Tychoni & omnibus Tychonistis faceſſit Scipio Claramontius, qui tribus libris Antitychonis sui, Cometam anni 1577. quem Tycho tot rationibus in æthereâ regione supra Lunam firmaverat, in aërem retrahit: imò idem stellis novis an. 1572. 1604. ceterisque omnibus facit, quas tanto Orbis strepitu tot Astronomi supra Saturnum evenerunt, & fixarum Sphæræ infixerunt. Omnes enim istas parallaxin lunari ampliorem habuisse, ostendere conatur Claramontius, Tychonemque nunc calculum malè ponere, nunc refractionem, quæ parallaxin turbabat, non sat̄ considerasse, & id genus alia: quibus multi etiam post Kepleri pro Tychone Hyperaspisten, & post Camilli Gloriosi Castigationem fortasse credituri sunt. Certè tamen me non parum commovit. Nam nullum in calculo ejus errorem reperiri Gloriosus & adversarij fatentur. Pro fundamento verò, Tychonis, Rothmanni, aliorumq[ue] observationes assumpsit, & ex earum comparatione, per Geometriam & calculos deduxit, Cometas & stellas novas sublunares fuisse,

quas illi ex ijsdem observationibus tam altè supra Lunam  
evekerant. Vnde intrepide pronunciare non veretur Clara-

Append. de  
sede sub.  
lun. Co-  
met.

montius, Tychonem & Rothmannum in scientijs mathematicis pas-  
sim falsigraphis rationibus uti, fallacijsque & falsitatibus replesse  
certissimas scientiarum. Additque de me, quod est verissimum,

in Libello de Cometa an. 1618. in opinionem Cometarum  
cælestium, cum tot alijs Philosophis & Astronomis abdu-  
ctum esse, quòd existimaverim, rationes Tychonis aliorumq.,  
de sede aetherea novarum stellarum & Cometarum, quas ad calcu-  
los & leges parallaxium non exegeram, esse necessarias, solu-  
tionemque non admittere. At spero nunc, inquit, veros Philoso-  
phos, qui codem veritatis studio nostra legent, quo ego indaginem  
sum aggressus, planè agnituros falsitatem & fallaciam rationum,  
qua antea analyticè credebantur. Et sanè, si veritas mihi alluce-  
ret, fine mora ad eam non irem, sed currerem. Quid enim,  
non tantùm in Philosopho, sapientiæ & veritatis amatore  
sectatoreque, sed in omni homine ingenuo & à natura be-  
ne facto, indignius, quam ad veritatis conspectum, vete-  
ris & quasi despontatæ opinionis caritate, oculos claudere  
offri marequé? Sed Claramontio obijcit Gloriosus: *Quod*  
*methodus eius procedat per observationes factas in diversis terra-  
ritibus; cum Tycho certiorem ac tuiorem esse putet, experimentatio-  
nem factam in uno terrastu, quam in diversis.*

Castigat.  
P. I.C. II.

Parat. 2.  
cap. 2.

Deinde, cum is non amnes observationum combinationes recen-  
suerit, absolutè ab eo probatum non est ex Astronomorum observatio-  
nibus, stellam illam 1572. infra Lunam fuisse. Nam si forte ex  
aliquibus combinationibus constasset, stellam illam supra Lunam  
sedem ac domicilium habuisse, eius conclusio prorsus erronea fuisse,  
cum una & eadem stella & supra & infra Lunam extitisset. Vnde  
suspectus hac in re mihi videtur. Nam apertè fatetur, quòd prose-  
qui omnes combinationes infinitum propemodum fuisse: satq. fuit  
ex omnibus observatoribus eorum temporum, quorum extant  
Meridianarum altitudinum observationes, mutuasse observationem,  
ex qua stella sublunar is ostenderetur. Ergo ex industria & consul-  
to eas observationes omisit, ex quarum combinationibus stella cale-  
stis ostendi poterat.

Verum

Verum de industria & consulto id factum à D. Claramontio, & tam turpi fuso veritatis vultum interpolare voluisse, nondum credo. Alia sinceritas & veritatis amor ex scriptis ejus emicare videtur: putoque eum ex animi sui sententia, hanc novissimam clausulam Apologeticum suum finivisse: Philosophum sapientia, hoc est veritatis amor constituit. Nos ergo unam veritatem sequamur, eamq; sive antiquitus stabilitam, sive nuper inventam, cuiusvis auctoritat<sup>e</sup> praeferamus.

Negat quoque Tychoni & Glorioso Claramontius, longè tutores & certiores esse illas experimentations, qua ab uno aliquo observatore in eodem horizonte, eodemq; instrumento diligenter fabrefacto perficiuntur ( modo singula recte se habeant, nec vitio sensibili obnoxia sint ) quam si à diversis horizontibus atque collimatoribus rei questæ enucleatio petatur. Adversus quæ ita differit Claramontius. Cum via aliqua & indagines in universum conseruntur, non ex diligentia & negligentia utentis sunt estimandæ, sed ipsæ per se considerandæ. Vel si operam utentis simul considerare lubeat, oportet in utraque parem diligentiam vel negligentiam conceperem. Secus enim quæ comparatio esset, negligentis observationis cum diligentí, etiam si illa per se huic præstaret? At dicet Tycho: facilius est, unum diligentem reperire quam duos. Est facilis sane, at non est eorum, quæ fieri nequeunt, reperire duos vel plures tam diligentes, ut eorum observationibus certa fides adhibeatur; secus Astronomia tota concidet, quæ non nisi ex diversorum observationibus, earumq; collatione deducitur. Praterea verò si omnibus negligentia coniecturis cedamus, facile erit, etiam eundem hominem non parem semper diligentiam adhibere; ut qui manè fuerit diligens, non aquiescat in pomeridianis observationibus accuratus. Quoties illud accidit, quandoque bonus dormitat Homerus? Quām saepe eadem facere nobis rādio est, adeoque intentionem animi relaxat? Quod si methodos atque indagines ipsas per se consideremus, certè multo tutior est, quæ procedit per diversorum hominum diversæ locis eodem tempore observationes, quam per eiusdem loci & hominis observationes diverso tempore habitas. Hę enim pluribus erroribus abnoxie, quos alia indago nequaquam patitur. Subiacet autem errori refractionis, dum modo proprius vertici, modo remotius phenomenon observatur.

Tych. Lib.  
1. Progysar.

Perorat. de  
sede sublun.

Alia

Alia deinde impendent errata, quæ in Lib. I. Antitychonis cap. x.  
latè demonstravimus.

Hæc tam profusè à me narrata sunt, ut intelligamus, quām lubricæ sint Astronomorum observationes, & fundamenta illa supra quæ tam magnificas cælorum structuras, siderum, & Cometarum altitudines nobis ædificant.

Igitur cùm non tantum Cometas, sed famosum etiam illud Cassiopœæ anni 1572. sidus, quod tantâ asseveratione ex nulla aut minima parallaxi, Tycho octavæ sphæræ, inter sidera Mundo coæva infigit; Claramontius tamen *multis milliarium myriadibus infra Lunam*, ex ijsdem parallacticis legibus deprimat; nos nihil certi & comprehensi ex parallaxi incerta definiri hætenus possumus; sed observatorem, cui neque oculus caliget, neque manus tremat, neque instrumentum vacillet, neque aëris aut ætheris refractio radios lucis depravet, nec alia id genus intercedant impedimenta, quæ mensuram pseudographam faciant, expectabimus.

Quod verò D. Fienum & me, in Libello Cometæ anno 1618. D. Claramontius reprehendit, dixisse, si in aëre fuisset, etiam ultra nubes, apparituram parallaxin, absque etiam instrumento; rogatque, an parallaxis illa, an locus verus, qui est punctus linea à centro terra per phænomenon in primo mobili, sit conspicuus per se visui? nimis severus est mathematicæ phrasis & disciplinæ suæ exactor. Non enim mens nostra, aut somnium fuit, parallaxin ipsam, aut locum Cometæ verum, quem sola ratiocinatione assequi oportet, oculis corporeis videri & discerni; sed si Cometa in superiore regione aëris, proximè supra nubes, inter capras & stellas discurrentes, ubi ponunt Peripatetici, constitisset; ex solo visu intellectum facili conjecturâ assequi potuisse, longè esse infra Lunam, ac proinde insignem parallaxin subire.

Pone enim (ut ego imaginabar) Cometam tam demissum tegere, aut attingere lineâ loci vis, stellam fixam dum est circa Meridianum; in descensu tamen utriusque versus Occasum laxabit se aliquantum inter utrumque intervalum,

Ium, apparebitque Cometa occidere ante stellam fixam. Ut tamen hoc experimentum non sit fallax, motum Cometæ proprium, si habet, considerare oportet, ne forte solus is sit, qui inter stellam & Cometam insigne illud intervallum aperiat. Si vero in altissimo æthere Cometam constitutas, divaricatio stellæ & Cometæ evidens non erit, sed per leges parallacticas & mathematicam præcisionem, altitudinem ejus oportebit investigare.

Attamen quia, ut ex Tychonis, Kepleri, Gloriosi, Claramontij, aliorumque præstantissimorum Astronomorum conflictu videmus, novarum stellarum & Cometarum parallaxis nondum in comperto est, argumentis tantum probabilibus, ut ab Aristotele factum, rem istam disputabimus, quamdiu destituimus certis. Hoc tamen autem præcedentibus adjiciamus.

Guiduccius, ex Magistri sui Galilæi sententiâ, aliter eludere argumentum parallaxeos nititur. Ut parelij, halones, aut irides, inquit, sub cælo sunt & ferè apud nos; tamen nullam in ijs observamus parallaxin: quidni idem esse poterit in Cometis sublunaribus? Aliquid & multum diceret, si Cometæ / quemadmodum halones / lumen Solis essent, per totam nubem vel ætherem sparsum, quod aliud aliudque in distinctis partibus nubis, è diffitis terræ locis appareret. Nam quod halo parallaxin non videatur pati, sed semper eodem ambitu sidus medium coronare, sive sidus altum, sive depresso sit; causa est, quia non unus idemque halo est, qui à Meridiano, cum sidere versus Occasum descendit. Alias, si idem perpetuò foret, juxta horizontem occiduum sidus non jam amplius in ejus centro, sed supra totum ipsum, aut longè vicinius segmento superiori appareret. Cometa vero non est talis *μυρασις*, seu meteorum apparenſ; sed *ωδεσσις*, & corpus lucidum, quod sine comite ullo sidere idem transfertur de loco in locum. Nam motus ei sæpè à Meridie in Septentrionem, aut retrò; quam viam nullum sidus cælestis carpit.

Eodem tamen modo se expedit, & aberrat (ut jam re-  
S cordor)

I. p. q. 66.  
a. 2.

cordor) Eruditiss. P. Dominicus Bannes in disputatione de novâ stellâ Cassiopœæ, quam in aëre sublunari (ne cælos fateretur corruptibiles) pependisse, nec depressionem ejus (uti neque halonis) notari potuisse, fusè differit.

## ARTICVLVS III.

*Ex ortu & occasu Cometarum colligi, quosdam saltem supremam aëris regionem longè excedere.*

**L**ibro primo, ex Vitell. & alijs, altissimos terræ halitus, qui videri à nobis possunt, 52000. passuum, id est, 13. mediocria mill. Germanica, non excedere diximus. Verùm statuamus, inquit Cysatus lib. de Cometâ anni 1618. cap. 3. ad milliaria 20. Germanica illam altitudinem extendi, & Cometam elementarem tantâ intercapidine à nobis abesse. Fac deinde oriri. Totum sanè arcum visibilem, quem supra horizontem nostrum describit, duarum horarum spatio percurret, nec eum amplius illo die videbimus. Quod de Cometâ anni 1618. & plerisque alijs ridiculum & contra sensum communem est: cùm pluribus longè horis conspi- cui fuerint instar legitimorum siderum, & adhuc sine occaſu ex oculis evanuerint, suppressi abundiori luce orientis Solis. Tam brevi autem tempore occasurum, ostenditur ex eo quodd vix ad 6. milliaria Belgica visus noster in superficie maris se extendat. Et licet nubes, & supremam aëris regionem, culmenque altissimarum terræ exhalationum, ultra illam distantiam cernere valeamus; arcus tamen nobis conspicuus circuli, distantiâ 20. milliarium Germanicorum à terrâ, descripti, tantus non est, quin minùs 2. horis percurri potuerit. Nam 24. graduum & 28. minut. est. Vnde unâ horâ & 48. minutis absolvetur, ait Cysatus, quandoquidem integrum circulum 360. graduum, tempore 24. horarum exambiat. Itaque duabus & viginti amplius horis, ex illis 24. reliquis, conditus infra horizontem visibilem, abditos nobis circuli sui arcus decurret: transvolabitque per apertam nobis

nobis cæli faciem, ut nubes propulsæ ventorum flabris solent, unius alteriusue horæ spatio. Quòd enim astra inter ortum occasumque tam diu supra horizontem & in oculis nostris iter agant, caussa est penes ingentem eorum à terra distantiam. Quòd enim longiori intervalllo circuli circa terram describuntur, eò majores arcus visibiles nobis ostendunt.

Vnde quia multi Cometæ parem aut supparem cum astris supra horizontem moram traxisse feruntur, non longè inferiorem altitudinem habuisse probantur.

Hinc etiam patet, quām merito posteriores Astronomi, ut Regiomontanus, Vogelinus, & alij, qui cum Aristotele omnes Cometas sublunares esse existimabant, tot tamen eos milliaribus à terrâ removerint. Nam Regiomontanus Cometam anni 1475. novem terræ semidiametris, sive, ejus computatione, 8200. milliaribus Ger. Vogelinus Cometam anni 1532. millibus passuum 4686. Germanicis verò milliaribus ( quorum singulum quodque 4000. passuum habet ) 1171. attollit. Hæc autem excelsitas omnes halitus illos solemnes & crepusculorum lampades longè infra se relinquit. Veruntamen, quid si adhuc cum Claramontio, non tantum 9. aut 10. sed 20. aut etiam 50. terræ semid. Cometam à terra submoveamus?

Nam ne sic quidem orbem Lunæ attinget, quem Copernicus 51. Keplerus 54. terræ semid. à terra reiicit. Si autem tanta altitudo Cometæ detur, non tardiore sensibiliiter ortu quām Luna, supra horizontem surget, nec celeriore infra se condet. Si igitur incerta sit, discordi præcipuorum Astronomorum sententiâ, parallaxis, quo arguento ullos Cometas evehemus supra Lunam? Si enim opponas, spatia illa sublunaria igne elemento oppleta esse, & momentaneo, aut celerrimo incendio Cometam, si eosque scandat, devoratum iri, reponet Claramontius ( nec ego diffiteor ) ignem illum sublunarem, subtilissimum spiritum, & tam discinctæ raritatis esse, ut minimum, & ferè nihil calefaciat. Vnde nec lucet, sicut hīc nostræ

nostræ flammæ quæ humido pascuntur, & ardent in materia crassiore. Ignis enim ille simillimus est spiritibus illis, qui ex cono flammæ candelæ aut facis sursum invisibles evolant, extincto puniceo colore, quo flagrabant in ipsa flamma. Imò, si Aristotelis verè discipuli sumus, ignis sublunaris aliud non est quam aër in principio Mundi subtler, & innumeris deinde terræ exspirationibus calidis & siccis intertextus, à quibus fortasse exspirationibus partim, & partim ex vicinia astrorum & cœli, aëri ipse jam in similem substantiam est transmutatus. *Hoc modo enim ordinatum est,*

*Lib. 1. c. 4. ait Aristoteles, quod est in circuitu. Primò, sub circulari latione est calidum & siccum, quod dicimus ignem. Innominatum enim est quod commune est in omnifumosa disgregatione. Vide ergo, ut ignis ille sub circulari latione & cœlo proximè, nihil sit Philosopho aliud, quam mare quoddam, ut sic dicam, fumosorum spirituum, quos Sol, subterranei ignes, & aliæ causa disgregant & rarefaciunt; ideoque conflunt sursum, quod levitas eos rapit, tanquam in commune Mundi inferioris emunctiorum. Scio quid D. Licetus, quid alij adversus me hic disputent. Sed credam illis, quando argumentis coegerint.*

Si ergo in igneo isto elemento consistere & durare Cometæ possint, multa jam argumenta & conjecturæ cluduntur, quibus aliqui supra Lunam attollebantur. Fuerint enim isti proximè fortasse infra Lunam, & errore male administratæ parallaxis, qui særissimè altitudinis mensuram turbat, in regione sidereum fuerunt evecti. Igitur supposita parallaxis incertitudine, nihil probabilius ad restituendos Cometas cœlestes video, quam quod quidam Cometæ pari passu cum Planetis, imò etiam cum stellis fixis, ab Ortu in Occasum (ut ille in Cassiopea 1572. in Cyno 1600. in Sagittario 1604. &c.) multis mensibus moveri videantur. Si enim in tenuissimo aëre, aut elemento ignis infra Lunam natant & veheuntur, profecto motum cœli & sideris non assequentur, sed quotidie retrò versus Ortum relinquuntur; cum elementum cuius vehiculæ ab Ortu in Occasum baiulantur, rapi-

ditatem

ditatem cælestis motū, à quo trahi dicitur, æquare non possit; præsertim multis milliarum myriadibus infra Lunam, ubi Cometam ( sive stellam novam vocare malis ) Cassiopœæ anni 1572. constitisse Claramontius adversus Tychonistas contendit. Motus enim ætheris infra Lunam & à Luna, aut alià quacunque cauſa in orbem rapti, paullatim tardatur & segnescit, quò profundius infra Lunam descenditur, donec tandem longo satis adhuc à nubibus intervallo elangueſcat, & in quietem emoriatur; argumento quorundam Cometarum, qui immoti eodem loco, toto tempore manent.

Sed ut hoc argumentum evadat, videte quid singat sagax  
D. Claramontij ingenium.

*Ignis & aér, inquit, sequuntur motum celi diurnum insti-*  
*ctu & impulsu naturæ universalis, ob conſpirationem totius in totum Lib. 3. de*  
*& partis in partem, ut in microcosmo obſervavit & afferit Hippocra-tribe.*  
*tes; non ſecus atque partes corporis animalis sequuntur naturali in-*  
*ſtinctu anime ductum, licet ipſa per ſe, & ratione ſua gravitatis, ſint*  
*ab eiusmodi motu aliena. Alibi verò hunc ignis & aëris inſtin-*  
*ctum comparat motui gravium ſurſum, ad propulsandum*  
*imminentis vacui periculum. Habemus, ait, argumentum evi-*  
*dentiſimum huius inferioris naturæ ad ſuperiorem paratiſimi obſe-Deſede*  
*quij, in motu aquæ; dum per ſiphones ſurſum ducitur. Ibi ſanè non ſublun.c.13.*  
*eft attrahens coniunctum, ut dum trochleis trahuntur colligata fu-*  
*nibus pondera, vel ferreo unco impacta. Neque eft coniunctum im-*  
*pellens, ſed aqua ipſa parata ſequitur aérem aut embolum, dum*  
*ediscuntur; eo ſcilicet naturæ conſilio, ne vacuum detur. Excipit*  
*ergo naturæ universalis inſtinctum aquæ natura ac forma, & que*  
*per ſe deorsum tendit, tum velocifimè ſurſum pergit. Quod hic in*  
*aqua videmus, concipiamus in ſuperioribus elementis, dum motum*  
*calestem ſequi ponuntur. Et multo magis concipere idem oportet in*  
*cæleſtibus corporibus, primi mobilis ductum ſequentibus.*

Igitur D. Claramontius imaginatur sphæras cæleſtes & elementa ſubiecta, velut ingentem quandam rotam, cuius vertigine non tantum ſumma apſis, ſed etiam radij, modio-  
lūs, & omnes partes uſque ad axem, ſimil in orbem mo-  
tu proportionali gyrantur. Attamen, quia ignis ſublunar is

non ita cælo Lunæ , quemadmodum radij apsidi rotæ , alligantur , ut valeat ab eo trahi : ideo dicit eum , instinctu quodam naturæ , ductum cæli ultrò consecrari .

Sed cur ergo totus inferior aër , usque ad nubes , in quo tot sunt igneæ impressiones tantaq; cum aëre superiori similitudo , eodem etiam instinctu non ambulat in orbem ? Certè enim membra remotissima à capite , ut pedes , non tardius obediunt imperio capitis , quam membra viciniora capiti , ut os , vel manus . Et tamen D. Claramontius se quelam , qua ignis & superior aër cæli motum imitantur , comparat illi obedientiæ , qua membra corporis quamvis gravia sequuntur naturali instinctu ductum animæ cujus imperium est in capite .

Veruntamen talis instinctus & sympathia in igne & aëre ad sequendum cæli motum circularem , intelligi non potest . Nec simile est , quod de partibus corporis obedientibus animæ , aut de motu gravium sursum , in periculo vacui , allegatur . Anima quippe una omnia membra informat , & uno spiritu animali à cerebro in omnia membra defluente , tam expeditè & immediatè pedes & crura , quam caput & collum agitat . Non eadem verò forma est , quæ cælum , & ignem aut aërem cælo subjectum movet . Nec aliquis spiritus motor à cælo , tanquam cerebro , in ignem & aërem dimanat .

Aqua etiam in metu vacui , sursum in siphones , exsucto aëre subit , quia natura contigitatem aëris & aquæ conservante , ne vacuum & turpis in universo hiatus aperiatur , ille qui aërem per tubum attrahit , aquam aëri arctissime colligatam unà etiam dicit . Inter cælum verò & ignem nihil simile . Nam cæli Lunæ , si quæ est solida superficies non arctius alligatur convexo ignis , quam superficies concava vasis , liquori quem continet ; nec ullum vacui periculum esset , si concavum cæli Lunæ in orbem verteretur immoto igne . Eadem enim pars cæli varias successivè partes convexi ignis distingeret , nec vacuum post se relinqueret , etiam si nulla pars ignis sequeretur .

Itaque

Itaque alia caussi quærenda est, quæ æthereum illum ignem ab Ortu in Occulum cum cœlo moveat; quod facere Lib. I. c. I. a. 6. conati sumus. Sed quæcumque probabilis caussa invenietur, nunquam cœlum, ignem & Cometam in eo natantem ita trahet aut impellet, quin retrò à sideribus Cometa relinquì apparebit; aut certè (quod jam contendimus) supra Lunam elevatum esse, & inter Planetas iter & curriculum suum peragere eum oportebit. Sed plures omni ævo tales Cometæ, qui à sideribus non relinquenterunt, sunt deprehensi; igitur non infra, sed supra Lunam, agmini saltem Planetarum permixti incesserunt.

Quod verò Claramontius respondet, tales Cometas à sūdere quod equali passu comitantur, vi quasi magneticâ duici; certè non ad solvendam, sed ad declinandam difficultatem fictum esse videtur. Cum enim exhalationes incensæ, ex quibus omnes Cometas componit, sint ignis unius speciei in omnibus Cometis, nulla est ratio, cur ab hac potius quam ab ista stella aliquis Cometes attrahatur: sed sicut quodvis ferrum à quovis magnete; ita quilibet Cometes à qualibet stella indifferenter sollicitabitur, & sepe materia tam mollis & fluxa à contranitentibus stellis discepitur, unà parte huc, alterà istuc dissidente, & avolante ad stellam magis adamatam, & à qua fortius trahitur.

Deinde, nisi aliquod celi solidum obstat, ascendet usque ad stellæ trahentis contactum, nec in aëre, aut elemento ignis pendulus hæredit tot milliarium myriadibus infra Lunam. Nec refert, quod Cometæ ignis sit in suo elemento. Nam ferrum etiam è superficie terræ, ubi naturaliter quiescit, à magnete sursum attrahitur.

Hæc igitur aliasque id genus ratiunculas, quas in Libello de Cometa an. 1618. nexueram, nondum D. Claramontius satis dissolvit. Sicut nec ea valde placent, quæ de exhalationis variâ inter scandendum depuratione philosophatur; quasi primò relinquat terrestrem portionem, & postea cùm universum aërem transierit, relinquat aëream, ac deinde in suo elemento splendeat

Splendeat, ut purus ignis. Nam profectò tanta puritas dige-  
stī ignis in capitibus Cometarum minimè appetet. Deinde  
ut res levior Sphæras inferiorum elementorum scandendo  
pertranseat, non magis est necesse, ut aliquam sui portio-  
nem in elemento graviori relinquat, quām ut lignum ē  
fundo fluminis per aquam in aërem ascendens, aliquid  
suæ molis in via abijciat. Nam etiam globus ferreus ē fundo  
lebetis plumbi liquefacti naturaliter ascendit; & tamen quid,  
quæso, in transitu illo amittit? Quomodo autem leviora per  
medium liquidum gravius, sine ullo substantiæ suæ detri-  
mento ascendant, ex præclaro illo Libello Archimedis,  
**DE INCIDENTIBVS HVMIDO**, facilè quivis intelli-  
gere potest.

## ARTICVLVS IV.

*An Aristoteles Cometas cœlestes, & novitia in cœlo  
astra, quandoque gigni existimaverit.*

**I**Ta putat Eruditiss. Licetus lib. 5. cap. 41. de Novis  
astris ex lib. 2. de Cœlo cap. 7. ubi Philosophus ait, *stellæ  
esse ex eo corpore, in quo lationem habent*. Ergo fiunt quando-  
que novæ ex materiâ ætheris, vel orbium in quibus mo-  
ventur. Nam stellæ illæ veteres, coævæ sunt suis orbi-  
bus, non factæ ex aliquâ eorum parte. Secundò, & clariùs,  
c. 8. *Astra esse sphaerica, consentaneum est mihi, inquit, generanti  
ea ex tali corpore, id est, cœlesti.* Vides ergo, ait Licetus,  
astra quædam generabilia esse: non autem æterna illa, sed  
alia ex materiâ cœli subinde concinnata. Vellem hæc esse  
vera, & Aristotelem trahi posse in consensum: sed vereor,  
frustrâ tentari. Quis enim non videat, hæc ingeniosè qui-  
dem, sed anxiè conquista ad illinendum vultui Philoso-  
phi hunc colorem? Sine dubio enim loquitur de omnibus  
astris, etiam illis antiquissimis, quæ semper in cœlo suspi-  
cimus. Hæc autem constare dicit materiâ suorum orbium,  
quorum sunt partes, seque ea generare, id est, genita docere,

ex

ex corpore, sive materiâ cælesti. Non tamen sic ut pars aliqua cæli rarior densata fuerit in astrum; sed astra cum ceteris orbium partibus genita sunt ab æterno (Aristotelis, & falsâ, mente) actione eductivâ, ut loquimur; quam sæpè generationem vocamus, licet per eam nulla materia præexistens, à privatione ad formam transierit; quando materia nullo reali momento temporis formam suam antecessit. Hæc ergo loca non sufficiunt ad infuscanda clarissima testimonia Aristotelis, ubi toties cælum clamat quintam essentiam, ingenerabilem & incorruptibilem esse; probatque, quia tot jam annorum circuitibus, nulla generatio, nulla corruptio, nulla accretio, nulla detractio animadversa in sideribus.

Nec alia loca quæ Licetus afferit pro Cometis cælestibus, premunt acrius.

Primo, Lib. I. Meteor. cap. I. affirmat Cometas oriri in loco latroni siderum maximè vicino: igitur non in supremâ aëris regione, inter quam & cælum interjecta est ingens profunditas elementi ignis, inquit Licetus.

Sed id palam à mente Philosophi abit. Cometis enim Galaxiam, & ἐκπυρωμένα φάσματα, ignitas imagines jungit, quas pariter in eodem loco sideribus maximè propinquo nasci dicit: nec tamen eas, sine dubio, supra totum aëris elementum extollit. Itaque summum aëris fastigium, admotum proximè sideribus dixit, aut quia nondum determinaverat, an aliquod ignis elementum interiectum esset, ut putat Vicomercatus; aut quia inter regiones meteororum feraces, illa est maximè contermina sideribus; aut certe, quia nullum aliud sub orbe Lunæ, elementum ignis credidit, quām aërem tenuiorem, fumosis & ardentibus telluris exspirationibus scatentem, ut Lib. I. c. 2. a. I. docuimus; aut denique, quia non tantum in aëre infra ignem, sed etiam in ipso elemento ignis, Cometas & alia meteora ignita quandoque coiri & durare posse existimavit; adeoque totum tractum elementarem ab orbe Lunæ usque ad nubes (quem locum sideribus proximum vocat) ignearum impressionum capacem esse.

Secundò, Lib. 1. Meteor. cap. 7. *Quando, inquit, in inferiori loco principium consistentie fuerit, per se appareret Cometes: quando autem sub astrorum aliquo errante vel inerrante constiterit exhalatio, tunc Cometes fit horum aliquod.* Vbi duplex genus Cometarum videtur distinguere, unum solitarium, procul à sideribus, in regione elementari infra Lunam; alterum supra Lunam, immediate circa aliquod sidus, quod exhalatio crinit. Sed hoc interpretamentum evertitur proximè sequentibus. *Non enim, inquit, apud ipsa astra coma sit: sed quemadmodum area circa Solem & Lunam, &c.* Quid evidentius dici potuit? Et ruminet, quæso, ista tam diserta verba D. Licetus. Sicuti ergo area, sive halo, non in cælo, sed in nubibus vel aëre est; ita coma illa & crines, qui astris fixis, aut errantibus quandoq; sparguntur. Nec istud comarum phantasma eodē cum astro motu moveri, sed φάνεται κινούμενον, apparere moveri, dixit Aristoteles. Discriminat tamen hanc cometam ab areâ: quod hæc per ανάλασιν, sive reflexionem, à nube ceu speculo; coma vero non sit lux astri visa reflexè in nube, sed color ipsius vaporis aut exhalationis mixtim cum radio sideris, quem bibit. Cùm autem Aristoteles ait: *Tunc Cometes fit horum (siderum fixorum aut errantium) aliquod;* significat ipsum astrum induere Cometæ similitudinem, quia à suppositâ, in aëre longè inferiori, exhalatione videtur criniri. Sed quid ergo posteà addit: *Quando iuxta stellam facta fuerit talis concretio, eadem latione necesse est apparere moveri Cometem, quam stellam.* Cùm autem per se seorsim constiterit, tunc videtur relinquiri. *Talis enim est latio Mundi circa terram?* Putat Doctiss. Licetus clarissimè indicari genus unum Cometarum juxta & inter sidera in ipso cælo, quod careat parallaxi, ideoque pari passu videatur incedere cum vicino astro; alterum vero, quod in aëre profundissimè infra cælum versetur, relinquaturque à motu siderum, & latam ac evidentem patiatur parallaxin. Vicomercatus autem, & alij plures hanc formant sententiam. Cometa, cùm iuxta sidus, id est, altissimè à terra elevatus, & intra ipsam ignis sphæram, videtur motum sideris assequi, propter celerem elementi ignis conversiōnem:

nem : cùm autem per se, id est , longè à cælo & sideribus, in aëre scilicet, statim supra nubes constiterit, tunc ab astris ocylius prælatis relinquitur ; quia aér in quo fluctuat, pigrè cæli raptum consecetur.

Verum omnes isti interpretes videntur mihi extra oleas abire. Agit enim diserte Aristoteles de distinctione Cometarum qui vera cæli sidera sunt, sed comantia aliquo halitu sublunari ; ab ijs qui per se seorsim à sideribus proprio igne ardent. Quàm enim violentum est, *δρας δι τους ηγετικούς αὐτὸν, quando concreverit per se, interpretari, quando procul à cælo?* Planus autem & verissimus sensus est, *quando separatim ab aëstro concreverit.* Itaque hæc planè mens Philosophi. Quando coma instar areæ, ex radijs in vapore vel exhalatione subjecta concinnata, circa verum sidus apparuerit ( quo modo Aristoteles olim coxam Canis, nos anno 1618. Venerem, & nuper anno 1624. Arcturum comantem aspeximus ) non videtur deseriri, nec pati parallaxin, non quia coma sit in cælo, & circumliget proximè ipsum sidus, sed quia cum ipso, ut halo solet ( cuius etiam similitudinem adducit ) æquo passu incedit, aut potius incedere apparet, & revera tamen non facit. Veluti enim non idem est halo, sed alius alijsq; perpetuâ serie in diversis vaporis superficiebus depingitur; ita non una coma cum sidere circumambulat, sed diversi halitus oculum & sidus interfusi, diversam comæ *εμφάνισι* rapiunt. Quando verò crines illi nō sunt radij siderum in vapore aut exhalatione inflati, sed ignea lampas seorsim ab omnibus sideribus, in summo aëre supra nubes natans, tunc ab astris relinquitur, & manifestam subit aspectus varietatem; adeoque, si Astronomi per artis suæ leges, locum visum & verum inter se comparent, talem Cometen in insigni parallaxi deprehendent. Nam talis est latio Mundi qui circa terram, ait Aristoteles, ut nempe pigrior sit quàm cæli, à quo in orbem rapitur, nec æquali passu valeat ipsum consecutari; ideoque Cometes in hoc Mundo elementari, præsertim profunde infra Lunam pendulus, à cælo relinquere retrò videtur. Sic loco isto diligenter & meditatiū inspecto Aristotelem jam

interpretor, & suspicionem allucinationis quam ei nuper affricueram, libenter deleo.

Interim verissimum censeo, quando veris sideribus interdum sparguntur crines, non apud ipsa astra comam fieri, ut disertissime Aristoteles fatetur, sed in Mundo elementari, *instar halonis circa solem aut Lunam*, concinnari, nec ullo solido, aut valde probabili argumento ostendi posse, Aristotelis opinione, Cometas aut novitia astra umquam in regione siderea, aut substantialiter, aut per solam condensationem generari. Incredibile enim est alijs tam parcè de ijs locutum, & unico solūm aut altero obscuro verbulo obiter tetigisse. Deinde sidera, & cælum totum ex duro concretum ( quidquid Eruditiss. Licetus contra responsit ) ac τὰ ἀστρα ἐνδεμένα τοῖς χύλοις φέρεσθαι, astra infixa orbibus ferrī lib. 2. de Cælo c. 8. non per liquentes aliquos ætheris campos, affirmat. Quod tamen fieri pænè necessarium est, si Cometas & nova sidera in cælum attollimus.

Nec me latet, quid opinioni suæ defensandæ adversus ista, in Libello novissimo DE LVCIDIS, D. Licetus meditatus sit. Sed nihil muto. Quivis eruditus & æquus Iudeo ex iisdem Actis sententiam ferat. Nec magnum hic operæ pretium diu reciprocare ferram, in rebus *magis negotiosis, quam fructuosis*, ut loquitur S. Augustinus. Certè

<sup>Piat. 10.</sup> metuo ne verum sit, quod de D. Liceto scribit Claramontius: *Licetus Aristotalem ipsum ad eadem castra ( Tychonis, & opinantium Cometas in regione Planetatum, novas stellas in regione fixarum generari ) traduxit. Cum enim rationes causarias insolubiles crederet, nec vellet Aristotalem relinquere in opinione certis demonstrationibus confutata, consilium cepit conciliandi cum nova sententia Philosophum. Cui conatus & Peripatetici refragabuntur, & non suffragabuntur Astronomi.*

Cui enim unquam Græcorum aut Latinorum Interpretum Aristotelis, in mentem hactenus, venit Præceptorem sic enarrare? Quis ignorat, eum solidos & impenetrabiles cælorum orbes ab Eudoxo & Calippo accepisse, & fortiter tenuisse? Illam vero quintam essentiam, ingenerabilem,

INCORRU-

incorruptibilem, inalterabilem esse? Affirmare autem, per condensationem solo motu locali factam, sicut aëris in alutâ & folle lusorio condensatur, nova in cælo astra coagulari, quâm est remotum ab Aristotelis & omnium Peripateticorum mente & imaginatione? Nimiâ Aristotelis caritate, peccas mihi D. Licete, & ut Lipsius noster de Iulio Scaligero, *Aristotelem quasi Deum habes*, nec pati potes eum quidquam <sup>Animad.ad</sup>  
*Velleum.* ignorasse.

## ARTICVLVS V.

*Cometas aliquos sublunares esse.*

**H**oc enim saltem reddamus Aristoteli nostro, qui universos Cometas docuit sub Lunâ nasci. Sed nondum novum in cælo sidus Hipparchus, nondum Cometam supra Iovem Proclus, nondum supra Venerem Albumazar, nondum Tycho, Rothmannus, alijque hoc & elapsi seculo pñne infiniti, varijs sparsim cæli regionibus viderant, nondum altitudines eorum ad exactas parallaxis leges vocatae, aut satis examinatae erant.

Nolim tamen pertinaciam Tychonis imitari, qui nullum, nisi cælestem, Cometam umquam fuisse contendit; neque tot Eruditissimis viris, Aristotelis, Ptolomæo, Regiomontano, Vogelino, alijsque sine fine, glaucomam obijcere. Quamquam de Cometâ illo anni 1475. Regiomontanum allucinatum velit Tycho, & mendosâ demonstratione 6. gradus parallaxeos collegisse. Et certè, an non ita factum, saltem dubito. In motu enim eius proprio quiddam fuit divinum, Geometricum, aetherium & cœlesti corpori consentaneum, supraq[ue] fortè penitus elementarem, ait noster Gemma.

Alij tamen Cometæ quidam per varia tempora & historias sparsi, videntur fuisse elementares. Ut ille in primis, qui teste Aristotele sub Aristæi imperio, saltus quosdam fecit, & tertiam cæli partem occupavit, propeque Orionis Zonam est dissolutus. Audi etiam Dionem, de Cometâ Agrippæ, Lib. 54., generi Augusti, mortis prænuntio. *Cometa*, inquit, cum multos

multos dies Vrbi imminens apparuisset, in faces abiit. Et Senecam,  
 Lib. 7. c. 15. de eo qui Attalo regnante, initio apparuit modicus, deinde sustinuit se, diffuditque, & usque in Aequinoctialem circulum venit; ita ut illam plagam celi, cui Lattea nomen est, in immensum extensus  
 Lib. 8. c. 4. aquaret. Quidam etiam, ut narrat Sozomenus, olim supra Constantiuopolim, ad terram usque pependit. Et Plin. ait,  
 Lib. 2. c. 35. Licinium Syllanum cum suo comitatu vidisse scintillam caelo cadentem creuisse paullatim in Lunæ amplitudinem: in cælum deinde iterum receptam, factamque Lampadem, id est, ut planè interpretor, Cometam Lampadiam. Iovianus Pontanus, de alio à se viso circa Booten:

Nam memini quondam Icario de sidere lapsum,  
 Squallentem præferre comam, tardogè meatus  
 Flectere sub gelidum Boreæ penetrabilis orbem.  
 Hinc rursum præferre caput, cursuq; secundo  
 Vertere in Occasum, ac laxis insistere habens,  
 Donec Agenorei sensit fera cornua Tauri.

Hic igitur initio, barbâ præeunte in Boream ibat, deinde in Occasum, sequente crine, iter convertit, juxtaque Taurum contabuit. Cur autem hunc aliosque existimem elementarios, statim edicam. Quid plura? Anno 1470. Cometa quasi nubes, longissimis capillis totum Zodiacum Idib. Ian. decurrit, ait Bodinus. Et paullò antè, anno 1450. alias romphææ similis, plenum & tumentem Lunæ orbem subiens infuscavit. Cometæ etiam anni 1543. cauda evolvit, & rivum in quem delapsa, ebibit, ut narrat Sennertus. Et Scaliger affirmit Cometam sui temporis visum delabi. Et Claudianus:

Lib. 2.  
Theat.

Exercit. 29.  
De rapiu.

Præcepit sanguineo delabitur igne Cometes,  
 Prodigiale rubens.

A simili Cometâ deciduo, natam Phaëthonis fabulam putat Vicomercatus. Quamquam hanc ad Sodoma & Gomorrhae incendium referat Tertullianus. Sublunaris quoque, meo animo, fuit ille Cometes, qui paullò ante bellum Sen. lib. 7. Achaicum effulset, non minor Sole. Primò ignem ac rubicundus or-  
 s. 15. Nat. bis fuit, clarumque lumen emittens, quanto vinceret na-

Eclipsi

Item. Deinde paulatim magnitudo eius districta est, & evanuit claritas. Novissime autem totus intercidit.

Matth. 24,

Stellæ etiam illæ, quæ sub finem Mundi cadent de cælo, Cometæ sublunares, credo, & ex terræ proximis erunt; longinquus enim nimis, & multorum dierum casus esset, si ex siderum regione hue usque deberent decidere.

Sublunaris deinde & ille Cometes, qui Burin & Heli-  
cen, nobiles Achaiae urbes, superfuso mari abscondit. Sen. lib. 7.  
Aristoteles enim ait non trahem illam, ut Callisthenes tradidit, sed  
Cometen fuisse. Ceterum ob nimium ardorem non apparuisse sparsum  
( in comas, aut barbam ) ignem, sed procedente tempore, cum  
iam minus flagraret, redditam suam Cometa faciem.

In regione igitur trabium, immobilis antè fulgebat, & ex  
trabe longa contractus & rotundatus in Cometu-

E Cometarium denique sublunarium materiâ, formata  
videtur crux illa olim à Thoma Cantipratano conspecta. Ego, Lib. 2.  
inquit, fidelium novissimus, antequam p̄iissimus Ludouicus Franco- Apum  
rum Rex, anno ab Incarnat. 1246. crucem transmarinam susciperet,  
crucem in cælo ex clarissimo & sidereo lumine vidi. Nec recolo me  
decentius & operosius formatam crucem unquam sub aliquâ materiâ  
vel figurâ vidisse. Octonus habere cubitos in longitudine mihi pla-  
nissime visum est. Serenum cælum erat valde, & sine aliquâ nube.

Sed cur omnes illos Cometas elementares fuisse de-  
cernimus? Partim, quia motu turbido & incondito, par-  
tim subito incendio & latissimâ diffusione, aut lapsu etiam  
in terram, vel effusione Lunæ, aut amplitudine sui orbis  
æqualis solari, satis naturam igneam, aut aliter elemen-  
tarem ostenderunt. Atque ita nobiscum Keplerus ( qui hîc  
à Tychone Magistro abivit ) Mœstlinus, Thaddæus, Roth-  
manus, Licietus, alijque sentiunt.

Signum etiam ferè manifestarium Cometæ sublunaris  
est, ejus immobilitas. Si enim summus æther, motu ab Ortu  
in Occasum cælo obsecundat, aut in sequelam invitus tra-  
hitur, necesse est non longe ultra nubes, Cometam illum  
defixum esse, qui pertinaciter uni urbi, aut regioni im-  
minet sine motu. Talis fortasse Xiphias sive Gladiatus ille,  
quem

quem tam diu, Hierosolymis ante excidium, inhæsisse narrat Iosephus. Et profectò , si in supra aëris regione infra 52. milliarum à terra distantiam , capras saltare, stellas discurrere , faces, aut dracones volare cernimus ; cur non etiam igneos ibi Cometas , quos sola incendij pertinacia , aut figuræ discerniculum à ceteris illis ignitis dividit, dare renuimus ? Cur non deinde fieri potest , ut ibi exhalatio à Sole aut alio astro perfusa , crinem sine incendio ducat , aut spargat comam ?

Itaque , si me audietis , hoc statuam. In toto inter nubes & primum cæli fornicem intervallo , coiri posse Cometas. Nulla verò cæli cameratio citra fixarum orbem occurrit , ut multi jam & magni Philosophi Astronomique credunt. Vnde nulla caussa est , cur exhalatio nullo cæli offensa solido , supra Lunam in regionem Planetarum ascendere & traijcere valeat. Cometa igitur aliquis citra, aut ultra nubes , in aëre ibi stagnante ad quem cæli motus non pertingit , stat immobilis ; aliis sublimior in spatia elementi ignis ( ut ille anni 1475. quem celebravit Regiomontanus ) se penetrat ; tertius Lunam æquat , aut excellior circa Mercurium aut Venerem exspiret. Est , qui ad Solem , Martem , Iovem , aut etiam Saturnum , & culmen ætheris adspirat. Qui Lunam & nos interje&iota; ( quia in loco proprio elementorum ) elementares , qui inter lunarem orbitam & fixas gyrantur , ætherios , aut cælestes nuncupamus. Inter Mercurium & Venerem , Cometam anni 844. Albumazar ; inter Venerem & Martem ( sistema enim Tychonicum jam placet , quod Venere Solem includit , & illam proximè infra Martem locat ) Cometam anni 1577. Tycho , & nostrum anni 1618. Cysatus ; inter Martem & Iovem , Cometam anni 1580. iterum Tycho , & Mœstlinus ; inter Iovem & Saturnum , Cometam anni 1585. Rothmannus immittit. In fine enim , inquit , omnem imaginem parallaxis amisit , quam alias etiam dimidijs minutis , emendatissimo Sextante facile deprehendisset , si ei credimus.

CAPVT

## C A P V T II.

*De materia Cometarum.*

## A R T I C V L V S I.

*Materiam sublunariorum Cometarum esse terrae & aquae halitus.*

VÆ enim promptior & probabilius materia afferri potest, quām ea, quæ ceterorum ignitorum, & tot alias in sublimi pendentium imagines induit? Sed discriminē aliquod interiectiendum est. Nam Cometæ sublunares, alij criniunt fidus, alij seorsim liberi palantur, aut stant eodem loco defixi. Priorum materia est, sine dubio, exhalatio aut vapor, in quo sideris radius se multiplicat, & in comam tricasque se diffundit. Verū ejusmodi Cometa non totus, sed comā dumtaxat sublunarīs est; melior enim pars, fidus nempe ipsum, est in cælo; nisi tamen forte quandoque etiam contingat Planetam aut Fixam hali- tu aliquo cælesti corporibus Planetarum educto, vel elementari exhalatione eosque (quis scit?) ascidente, proximè ambiri, & criniri suis cincinnis; ita ut non tantū caput, sed & coma in cælo sit.

Posteriorum Cometarum materia transiens est exhalatio ignibus idonea, si Cometa vero igne ardeat. Si autem non ardet, sed nodus quidam exhalationis radio Solis transfixus, exhalatio materia permanens erit. Eruditiss. Licerus partem etiam elementi ignis censet quandoque densari in Cometam, & hanc esse caussam, cur autumno frequentissimi Cometæ, quia tunc majori copiâ & affluxu exhalationum, elementum istud incrementa rapit, sequē densat potius in suo loco, quām deorsum, depresso aëre, exundet. Sed vix assentior, tantā densitate posse cogi à se ignem, ne descendat, cùm raritatem tantopere amet, videamusque pul- veris flammam undique in orbem, & deorsum etiam, non

obstante levitate , rarescere. Deinde sic omnibus pænè autumnis, non solum particulam unam ignis , sed quantum inter Tropicum Cancri & circulum Arcticum est, oportet in Cometas concrescere; cùm tamen unius Cometæ exortus rarus sit, duorum uero aut plurium simul, fermè prodigium. Nec valde me movent quæ adversus ista obijcit in Libello DE LVCIDIS D. Licetus. *Ignem*, inquit , *densatione non amittere levitatem*. Quod Archimedes & Philosophi Statici, credo, dicent esse falsum. Gravitas enim condensationis perpetua comes est, ut levitas raritatis Si ergo ignis condensetur , aliquid gravitatis accedit , aliquid levitatis decedit. At aët sagittâ iactus, circumcircâ densatur, *nec tamen maiorem gravitatem acquirit*, ait D. Licetus. Omnino majorem acquirit, si densatur Sed non subsidit deorsum, quia mox ad raritatem & levitatem pristinam resilit. Aliàs, experiatur in folliculo seu utre syringâ inflato , an vi inspiratus & condensatus aër , pondus majus non acquirat. Inveniet enim , quantò uter inflatus ponderosior sit corio solitario.

Sed alijs exemplis me repetit D. Licetus. *Aurum liquatum* , ait , *concreto minus grave non est*; & glacies gravior non est aquâ suâ prius fluente; cùm supernaret aquæ reliqua , ut prius quam gelu concresceret.

Sed exempla ista iterum falsum supponunt : nempe, aurum liquatum rarius esse concreto , & tamen gravitatem parem retinere ; & glaciem densiorem esse aquâ fluente, nec graviorem tamen esse. Nam ejusmodi corpora fluentia & concreta eodem loco adæquato continentur, & fluiditatem à raritate, concretionem à densitate valde ( ut olim, & iterum dico ) oportet distinguere. Ejusdem ergo ponderis, quia ejusdem densitatis sunt. Aut siglacies centesimâ parte ( ut Bodinus conjectat ) aquâ fluente est contractior , tantumdem profectò pondus ejus etiam accisum est. Natat tamen glacies, quia aqua inferior, gravior est aquâ superficiali ex qua glacies concrevit, & cujus pondus à glacie retinetur. Si autem glacies centesimâ, aut aliâ quacumque parte densior

densior est aquâ liquente , eâdem etiam sanè proportione & mensurâ infra summam aquæ superficiem desidet. Et quia D. Licetus aliquoties aliâs , si memoria non fallit, istam nostram Philosophiam molliter & amico dente , ut solet, carpit, in gratiam ejus hac de re diffusis aliquid infrâ differemus.

Quod verò etiam antè dixi flammarum pulvris pyrii rarescere in orbem, & partem flammæ unam amore raritatis, deorsum exilire, non placet iterum D. Liceto, sed depresso-nem partis flammæ , quæ ex pulvere accenso deorsum ten-dit, fieri credit à materia densiori & graviori carbonis, sul-phuris, & halinitri, quæ ignis levitatem deprimat. Sed in Philosophiam Staticam iterum peccat. Nam non solum flamma ignea, sed etiam fumus, & partes pulveris accensi, etsi densiusculæ , sunt tamen leviores aëre nostro , in quo ex-ploditur tormentum , aut accenditur pulvis. Vnde eadem difficultas adversus D. Licetum iterum redit. Cur enim non tantùm flamma , sed etiam universus fumus , aëre no-stro levior, dum tormento exilit , non rectâ sursum , sed pars deorsum ( quia tota flamma circularis est ) tendit? Gra-vitas enim fumi aëre levioris non flammarum deprimere ver-sus terram , sed tantùm tardare potest , ne tam velociter sursum evolet.

Itaque pulvis , dum in flammam , aut fumum raptim & momento ferè temporis rarescit , impatiens angustiarum, figurâ sphæricâ , quæ capacior & plus flammæ capere pos-sit ( ne alia figura nimis eam astringat ) se diffundit, etiam si unam flammæ sphæræ partem deorsum spectare oporteat; modò flamma ab angustijs expedita , mox tota sursum re-surgat , & in sublime , quod natura ignis ducit , avolet. Et nónne etiam videmus universam fulminis flammarum, non à pondere ullo fuliginum depresso, sed ut ignea raritas ab illis nubium angustijs se liberet , incredibili impetu deor-sum ad terram usque erumpere, ac deinde sursum reniti? Sic fermè, sed contrario modo, lapis e sublimi in pavimentum natu: aliter cadens , sursum resilit , ut mox iterum secun-dum naturam cadat.

## ARTICVLVS II.

*An nulli Cometæ igne ardeant, sed omnes luce Solis  
aut siderum tantum splendeant.*

Exercit. 79.

Lib. 2.  
Theat.

**S**Caliger negat ullum Cometam igne constare, sed omnium materiam, halitum crudum esse, & à Sole tantum aut alio sidere perfundi. Caussam dat Bodinus, quia nullæ silvæ satis esse possunt diu alendo tanto igni. Verum, si exhalationes, instar Troiæ aut Romæ ardentes, non raro in nubibus visuntur ( qualia prodigia initio Belgicorum tumultuum sæpè à se conspecta narrat in Cosmocritice nostra Gemma ) nescio cur ita metuat Bodinus, ne pabula Cometis deficiant. Talia enim incendia Trojana, parcé & malignè dispensata, diu sustentare Cometam, præsertim non altè elevatum nec amplum, possent. Cogita etiam, multum vaporis admixtum oleo exhalationis, quam tenuiter è venis sorbet & allambit ignis. Nec enim quidquid in Cometâ cernis, flamma est, sed vapor & pars exhalationis adhuc cruda & incendi contumax, igneâ solùm luce inclusæ flammulæ coloratur. Hæc si consideras, desines fortasse alimentorum sumptus vereri. Deinde, sicuti unâ cum flammâ facis per caliginem noctis visâ, multum luminis simul in aërem vicinum protuberantis, radiosque ignem coronantes vides; ita non solam Cometæ lampadem, sed circumfusum unâ lumen cernis, tumidioremque esse conjectas, quâm reverâ sit.

**S**i verò omnes Cometæ sublunares lucent tantum, terebrati radio solari, nulli ardent, ut Scaliger credit, extinguerentur illapsi in umbram terræ, ut nubibus usu venit. Oportet igitur aut ultra umbræ terræ conum, in altissimo æthere esse, aut ad latus, aut in umbrâ ipsâ, propriâ igneâ aut Lib. 4. c. 23. aliâ luce fulgere. Licerus etiam contendit Cometas quandoque eclipsin pati; quia erubescunt, ut Luna in eclipsi. Item à Venere & Mercurio, inquit, qui semper circa Solem,

sic

sic totâ nocte illustrari possunt Cometæ, ut deliquium & Solis absentiam noctū non sentiant. Sed hæc unâ operâ nubes totâ nocte illustres nobis efficerent. Itaque Cometarum rubor, saltem ut plurimū, à materia opacitate, non ab eclipsi est. Vnde non soli illi rubent, qui ex adverso Solis, in umbrâ terræ consistunt, sed quicumque simili materia compacti sunt. Venus etiam & Mercurius non in eo semper aspectu sunt, ut videre, & luculâ aliquâ aspergere Cometam à terrâ inumbratum possint. Versum deinde Homeri producit Licetus. Sed non amplius affirmat Poëta, quam Cometam nunc nubibus conditam, nunc rursum emergere; nihil de eclipsi. Mallem D. Licetus exemplum ex Historijs protulisset Cometæ extinti, ubi impegit in umbram telluris. Quod verò Cometas objectu nubium eclipsari seu tegi posse ait D. Licetus, nemo sanus dubitat. Sed agimus de eclipsi, quæ lunari sit similis, & quâ Cometes lumen à sole foceratum, ut Luna opposita Soli, amittit. Sed quis tamen nobis satis edicet, an Cometæ elementares quidam in umbrâ terræ numquam sint passi deliquium? Nemo, credo, poterit, in tanto hactenus scientiæ hujus & observationis neglecu. Et profectò, cùm ratio affirmet, aliquos sine materia conflagratione, rapere posse radium Solis, etiam tales haud dubie obtenebrescent & extinguentur, si in umbram terræ impegerint, venerintque ad oppositionem Solis.

Si qui verò id non patiantur, extra umbram sunt, aut in umbra proprijs ignibus lucent. His etiam difficultatibus extricandis servire fortasse etiam poterit paradoxum Kepleri, quo demonstrare conatur umbram terræ non usque ad Lunam pertingere, sed 11. terræ semidiametris citra, in Mundo sublunari deficere, ob refractionem radiorum Solis in vaporibus circa terram. Nam radij versus lineam perpendiculararem, seu umbræ terrestris axem fracti citius concurrunt, & claudunt umbræ conum.

Igitur quotiescumque hoc verum erit, Cometes directè etiam Soli oppositus, si in spatio toto undecim terræ semidi-

diametrorum infra Lunam pendeat, eclipsi non prorsus extinguetur, etiam si lumen suum à sole tantum habeat; sed colore adhuc sanguineo erubescere aut vicino alio tingi poterit, ut in Lunæ deliquijs videmus. Sed tamen, quemadmodū Lunæ pleno orbe fulgentis, & deliquium patientis manifestum est coloris discerniculum; ita erit & Cometæ, ubi similem eclipsim incidere contigerit.

Verum, qui potest, inclamat, ut exhalatio tanta ex terrâ aquave resolvatur, quæ ex tam immani à nobis intervallo cernatur, & usque ad confinia etiam lunaris orbitæ ascendat, quæ Copernici calculo à terrâ abest 51. terræ semidiametris? Hæc aliquando aëris tam ingens profunditas, fateor, turbavit me, ut negarem halitus è terrâ in viciniam Lunæ posse scandere. Sed reputanti postea, quām blenni ergo & stupidi Plinius, Seneca, & tot veteres, qui sidera vaporibus tam certò putaverunt pasci, si usque eō nullâ ratione penetrare valuerint. Quām exiguus deinde titio, amplum exhalet fumum, & pulvisculi pyrij granum in flammarum intumescat 125000. se majorem; subiit altius hanc rem introspicere, si qua fortè via reliqua esset, reducendi Aristotelem in aliquam saltem hujus scenæ partem, toutes jam à recentioribus explosum.

¶ Demus itaque, Aristoteli **Cometarum cælestiū** numquam venisse in mentem; hoc tamen etiam ei reddamus, Cometas sublunares fumosis terræ halitibus aliquando concrescere in toto spatio quod hinc ad Lunam expanditur; sive interim ardeant igne, sive splendeant tantum Solis, aut siderum aliorum luce. Exhalationem, inquies iterum, ad tot terræ semidiametros ascendere? Ita ascendere dico: & cogita, quæso, mecum, quām multæ quotidie nubes, sine sensibili aquarum dispendio in altum vaporentur; quām longi & continui ventorum flatus, sine terræ detimento. Profectò, si nubium ille circulus Orbem terræ undique præcingens, extollatur in Lunæ altitudinem, speciem explicabit lunari longè ampliorem; cum terra, nubibus tamen illis inclusa, toties sit Lunâ major. Adde jam non opus esse tot fumis,

ut

ut imaginem crinitæ stellæ, quæ tam angusti capitis est, exprimant: præsertim cùm exhalationes in immensum ferè rarescere & discingi oporteat, ut tam altè subeant. Nisi enim toto aëre sublunari rariores & leviores sint, numquam ascensu eum transmitterent. Et hinc exiftimo, nubem circumferentiaæ oppidi Lovaniensis æqualem, in tantam raritatem posse diffluere, ut adæquet amplitudine totam Brabantiam, imò Belgium. Imò ( quid dico? ) si vera est Peripateticorum textura continui ex infinitis, potest sine termino & fine in majus diffundi. Audi D. Augustinum probantem, supra cælos sidereoꝝ ( quos fluxos & liquentes putavit ) suspendi posse aqueum vaporem. *Super illud cælum, inquit, potest minutioribus guttis levior halitus humoris extendi, qui pondere cadere non cogatur. Ipsi quippe ( Philosophi ) subtilissimâ ratione persuadent, nullum esse quamlibet exiguum corpusculum, in quo divisio finiatur, sed infinite omnia dividuntur.*

Lib. 2. c. 4.  
Genes.

Sed ascendant sane ad Lunam terreni halitus, minimè pertinax aliquis dicet, nemo tamen tam Argus, qui eos hinc videbit; uti nec elementum aliquod ignis aut aëris ibi esse, propter fluxam raritatem, videre possimus. Extenuatio enim illa partium, & dissolutissima raritas aciem visus transmittit, non infixam tenet. Hoc telum olim etiam timui, nunc pænè contemno. Nam repelli potest, distinctione raritatis ab opacitate. Fieri enim potest, ut corpus unum altero rarius, plus tamen opacitatis obtineat, videaturque ubi alterum latet. Sic nubes aëre infimo rariores levioresque, ut Lib. v. ostendam, in mediâ regione conspicuæ sunt, quia magis opacæ, lumenque reflectunt; nec tamen graviorem densioremque inter nos & ipsas aërem cernere, ob perspicuitatem, valemus. Ita ergo exhalatio in aëris fastigium raritate & levitate suâ evecta, retinere opacitatem nonnullam potest, quâ visendam se præbeat. Cui rei profunditas ipsius exhalationis etiam plurimum conferet. Nam sæpè, ubi duo, tres, decem, aut centum palmi ejusdem profunditatis, opacitatem notabilem illi corpori creare non possunt, aliquot tamen centeni aut milleni palmi facient

facient si per eamdem lineam à visu penetrrentur. Distantia etiam tenebras illas & opacitatem auget: manifesto exemplo nebulæ, in quam acies nostra è propinquo figi non potest, potest è remotiori. Opacitatem enim nebulæ in proximo circa nos non videmus, manifestè autem videmus in remoto.

Hoc denique magnitudini Cometarum adiiciendum. Non tantum, ut antè etiam monui, lumen opacitati exhalationis incorporatum cerni, sed simul quod instar crinum circa caput, per aliquod spatum in orbem est diffusum. Vnde caput plenius justo nobis apparet, quia partem comarum ei imputamus, quam arcte & dense circumvolutam à cranio ipso, ut sic dicam, nequimus distinguere. Distinguemus tamen, si arundine Batavicâ amplæ & insigniter dilatantis convexitatis, Cometæ caput inspiciatur. Tali enim lente crines quodammodo detondentur, & in liquidum ac transparens aëris lumen disperguntur. Imò (quod in Cometa anni 1618. Lovanij mirati sumus) è tali arundine ne quidem Cometæ caput ullum aliquando apparet, sed confusus & dilutus tantum quidam splendor; quemadmodum in Iride solet, si eam per tubum ejusdem bonitatis adspiciamus. Nullam enim picturarum varietatem videmus, sed omnium colorum opacitas ita digeritur, ut in unum liquidumque lumen sublustris nubis diffuant.

Ex quibus facili jam conjecturâ colligimus, totum Cometæ caput fungosum & nebulosum esse, quod visu per arundinem acrem spectante transparere & penetrari potest.

### ARTICVLVS III.

*Cometæ cælestes, sidera non sunt ex illis Mundo coævis. Adversus Chaldæos, Senecam, Cardanum, Fracastorium.*

**H**os tamen non valde longè reijcio, quia Viri eruditissimi etiam hodie ab ipsis sentiunt, & rerum cælestium, aliarumque plurimarum scientiâ Clariss. Vir Thomas Fienus,

in Cometâ anni 1618. novam ijs & egregiam ( licet ludenti nec pertinaciter inhærenti calamo ) probabilitatis speciem fecit. Illi autem censem , Cometas cælestes astra quædam per ætherem inter Planetas palantia esse , quæ vel ingenti- bus epicyclis se in aspectum nostrum demittant, revocent- que in altum ( quomodo Cor. Gemma sidus Cassiopœæ anni 1572. ex altissimo æthere descendisse putat ) vel luce diei plerumque ( ut Mercurius ) offuscati, aliquando tamen longius in noctem & oculos nostros excurrunt, dum Solem longius sequuntur , aut præcedunt. Igitur certas esse , licet hactenus ignoratas , siderum istorum leges , & ad constitutum ire redireque existimant. *Veniet autem tempus*, auguratur Seneca , quo ista que nunc latent , in lucem dies extrahat & longioris avi diligentia. *Veniet tempus quo posteri nostri tam apertus nos nesciisse mirentur.* Sed vix est , ut vaticinio isti credam. Lib. 4. subtil.

Lib. 7. c. 25.  
Nat.

Cardanus globos sidereos per ætheris campos vagos & errantes credit , qui non semper faciem illustrem ( quod in Lunâ etiam cernimus ) obvertant terris, sed quandoq; solum , caudasque ejciant trajecti radio Solis. Vel , inquit , minuta quædam astra sunt, quæ, nisi defæcatissimâ cæli facie, parvitate sua latent. Fracastorius amplius audet , & cælum novum Cometarum infra Lunarem orbem nobis fabricat. Multa adversus istos dici possunt. Hoc uno tamen videntur satis refelli, quod Cometæ etiam cælestes , figuram & colorem in fine ita varient , ut manifestè cernas pallescere, ἀπομαρτυρεῖσθαι μηχανὴν tabescere paullatim, ut Aristoteles etiam notat , & in mortem dissolvi, non incolumes à nobis abire. Exspirant enim quidquid habent vividæ lucis , luridi tandem & informes; manentque solum veluti cineres & claræ reliquæ præcedentis cuiusdam ignis , aut digestæ consumptæque exhalationis. Hoc etiam adversus Senecam est, quod sensim in descensu , Cometarum speciem ampliari oportet , si ex calmine ætheris paullatim submittantur in Planetarum regiones. Aliter tamen omnino res habet. Nam plerumque statim initio maximi sunt , & deinde carpuntur, detrectantque , non ampliant suam molem. Deinde , post

mortem Demetrij Syriæ Regis, ante bellum Achiacum  
(Seneca ipse est testis) magnitudine etiam solari Cometes  
fuslit. Talis autem non nisi longo tempore, & per varias stel-  
larum Sole minorum magnitudines crescendo descendere,  
deinde decrescendo, nunc stellæ primæ magnitudinis, nunc  
secundæ, nunc tertiae par, in sublime reverti visus fuisset,  
semper interim rotundi & corusci capitis; quod inauditum,  
quod falsum fuit. Id verò deinde Cardano obstat; quod si  
*Bib. 1. c. 1.*  
Cometæ sint fungosi capitis, transmittent omni tempore  
radium Solis, caudataque aut barbata toto anno ejusmodi  
sidera videbimus. Quod verò etiam addit de stellulis se-  
reno apparentibus, latentibus nubilo, non majoris mo-  
menti est; quia & Cometæ satis sunt ampli, & pluvijs  
etiam noctibus sèpè conspiciuntur. Sed alibi sententiam  
mutat Cardanus, & docer, Cometam nodum quemdam  
luminis esse, è multis stellarum in una cæli plaga confusis &  
intersecantibus se radijs concinnatum, transfixumque de-  
inde (ut candelæ flamمام) radio Solis. Sed motus Co-  
metæ hanc caussam respuit. Cur enim noster anni 1618.  
ad polum Arcticum ascendere visus? Certè nullis tunc aut  
umquam astris in illam cæli plagam iter fuit. Deinde plu-  
rimi, ubique ætheris, radiorum concursus & intersectio-  
nes fiunt sine Cometis.

Fracastorius etiam frustrà est, cum suis novorum orbium  
infra Lunam machinationibus. Quia multi Cometæ Lunâ  
sunt excelsiores, si veteribus & novis Astronomis credi-  
mus. Deinde orbes Cometarum deferentes infinitos fabri-  
cari oporteat, cùm alijs Cometæ in Austrum, alijs in Boream,  
Ortum, Occasum, & quodvis cæli punctum motu proprio  
discedere conspiciantur. Singulis autem qui in diversam  
abeunt cæli regionem, singuli & distincti orbes dandi  
erunt.

Sed ante hujus Articuli clausulam, etiam accipite quid  
*Bodinus de Cometis. Democriti,* inquit, *sententia in mentem*  
*mihi venit, ut existimem Cometas esse illustrium virorum mentes,*  
*qua posteaquam innumerabilibus seculis viguerunt in terris, tandem*  
*obitura,*

obitura (vide Politici hominis stultitiam) ut omnia que oriuntur, occasum minantur, extremos peragunt triumphos, aut in celum stellarum quasi splendida sidera revocantur. Ac propterea sequuntur famas, morbi populares, civilia bella: quasi civitates ac populi ducibus illis optimis & gubernatoribus, qui divinos furores placabant, desererentur. Noli irasci, ride mecum Lector hunc Philosophum Rabbinicum, & Peripateticomastigem. Sic voco, quia è Hebræorum Rabbini pleramque suam Philosophiam consarcinat, Aristoteli & Peripateticis ubique oppedere paratus.

## ARTICVLVS IV.

*Nec Cometas esse plurium stellarum se in unam conglomrantium cætus.*

**V**eterum quidam, ut Anaxagoras, Zeno, Democritus, quos Aristoteles refellit, Cometas multarum stellarum quædam glomeramina esse contendebant; & in parte eos hodie Cysatus Ingolstadiensis Mathematicus, & Licetus Philosophus Patavinus sequuntur. Plurima enim sidera frequenti agmine per ætherem errare & palari, Medicea circa Iovem, Borbonia circa Solem, satis evineunt. Medicea autem, quaterna novitia astra ( alij plura numerant ) circumludentia Iovem, in Familiae Mediceæ decus, Galilæus Florentinus appellavit. Maculas verò illas vagâ & errante eclipsi ( ut putamus ) Solem sublabentes, Regiae Borboniorum genti Ioannes Tarde Gallus dedit. Hispani, quasi scientiæ siderali minimè dediti, & cararum ab illo Magno suo Alphonso longè diversi, nihildum pro suo Rege in cælo repererunt. Insulas fortasse in Oceano malunt. Et profectò nemo, credo, paullò indigentior est, qui simplicem in bulgâ ducatum, quam sidera centum in æthere volantia habere non præferat.

Sed intra oleas. Astra igitur talia, inquiunt, errabunda quandoque in cætum unum incident, apparentque jam

Lib. 12.  
c. 37.

universa & congregata simul, quæ singula & dispersa ob parvitatem latebant. Vbi autem contiguae omnes & compressæ stellulæ istæ fuerint, Cometa calvus, imberbis, & simius erit: si verò malè cohæsæ, & per intervalla radius solaris transitum inveniat, caudæ syrmate aut barbâ insignis, vel aliter acersecomes & intonsus Cometes apparebit. Atque ita rem habere, dupli experimento confici certò, ut videtur, potest. Primo, quia Nicephorus Cometam quendam, ex plurimis stellulis circa unam grandiorem, ut apes circa regem, confluentibus coalusse scribit. Deinde, ne hic forte tergiversemur, ecce ipse Cysatus, caput & nucleus Cometæ anni 1618. in plurimas stellulas & scintillas cælestis lucis, quale cingulum Orionis & Medicei comites Iovis, discellisse, per tubum Opticum, dum & multis alijs testibus, aspexit. Dubitatque an Anaxagoras & Nicéphorus illum stellarum congressum, Democritus digressum & dissolutionem, simili etiam tubo olim non spectauerint. Fuisse enim, inquit usum tubi optici antiquis etiam Astronomis familiarem, testatur Liber vetustissimus, in Bibliothecâ Monasterij Scheurenensis, scriptus ante 400. annos. Quo in Libro inter cetera schemata, etiam Astronomus per tubum Opticum in cælum intentum, sidera contemplans visitur.

Nihilominus Aristoteles olim, & Seneca hanc opinionem acriter oppugnavit, duorum Cometarum (præter alia) exemplo; quorum unus ante bellum Achaicum solari disco æqualis, alter Attalo regnante, totum cælum, instar Læteæ, ambitu suo cinxit. Quantâ ergo stellarum istarum congerie, ad tantum orbem concinnandum, opus fuerit? Si etiam tot vagi stellarum greges per æthera palangulis pènè momentis alijs in alias incurrent, numerosumque coetum facient; sicque frequatissimi, qui tamen tam rari, Cometæ apparebunt. Scio tamen reponi posse, Cometas illos ex elementaribus fortassis fuisse; & posteriorem Attalicum syrmate suæ caudæ, non suo corpore celi ambitum circumligasse.

Attamen negari vix potest, ingentes etiam cœlestium Come-

Cometarum orbes supra Lunam effulgere, si Hipparcho, Tychoni, & tot hodie Astronomis credere volumus. Unde tam levi declinatione vim & ictum hujus argumenti non possum vitare. Sed quid ais, Seneca, de famoso illo, & omnium mortalium oculis custodito Cometâ, qui ortu suo Helicen & Burim mersit? Certè enim in duas stellas abijisse Ephorus commemorat. *Non magnâ molitione, inquit, Lib. 7. c. 16.*  
*attrahenda est auctoritas Ephoro; Historicus est. Quidam incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem aliud acturum,*  
*si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Ac deinde:*  
*Ephorus non religiosissime fidei, sapè decipitur, sapè decipit.* Siccine tamen per conculcatam boni viri auctoritatem transis? Retrahi forte potes ex hac fuga, exemplo Cometæ prodromi mortis Agrippæ sub Augusto, quem Dion (nisi hîc iterum tamen Græcam fidem accuses) in faces (& quid, nisi stellas?) discellisse scribit. Potes adhuc forte certius, oculorum Nicephori & Cysati fide.

Rationem tamen Senecę contemnere non possum, nec istam Aristotelis: quodd non aliquando tantum, sed semper oporteret Cometas cœlestes, in stellas dissolvi. Hoc etiam me ab illâ sententiâ valde avertit. Quod videam Cometas ferè semper totam initio statim plenitudinem suam rapere, non sensim & particulatim incrementa attrahere. Id tamen non fiat, si stellatim & minutatim tota moles coëat. Ut enim duæ tréſve primùm apiculæ circa regem suum convolant, & aliæ deinde plures pluresque conglomerantur, donec impleant totum globum; ita Cometæ multis diebus & mensibus (tardi enim ferè siderum proprij motus esse solent) magnitudinem suam colligent. Multi deinde parvi Cometarum globuli passim in toto ęthere, & longe facilius quam unus aliquis amplior, acervabuntur; quia proclivius erit, stellas sex aut septem hîc, decem aut duodecim ibi, quam universas in numerosum unum gregem confluere. Atque ita frequentins, & ferè quotidianum erit, plurimos sparsim minutulos Cometas, quam unicum aliquem insignem conspicere. Adde, insolens

esse, vera sidera iter in Septemtrionem vel Austrum, etiam usque ad polos, quod quidam Cometæ faciunt, intende-re. Et denique color ille initio rubidus & flagrans, & de-inde in senio luridus & nigrescens, satis significat non ar-genteo aut cælesti stellarum lumine coivisse / quali v. g. albicat & lactescit Galaxia ) sed insinceriori alio, & in ter-restribus veluti fumis laborante, & semisuffocato. Scio ta-men mihi reponendum: Sidera quædam ibi intervolare maculosa, quorum concretio aliquid quodammodo rapuit terrenæ sordis, quæque radium Solis malignè bibant, & opacitate suâ declinent in ruborem, aut pænè etiam in ni-grorem infuscent. Tales enim tenebriones illi, & maculosi histriones putantur, qui Pyrrhichen ducere creduntur cir-ca Solem.

Sed argumenta, quæ adversus illam Cometarum stru-cturam attrahimus, fallor, aut satis ostendunt conjecturæ hujus debilitatem. Et deinde licet Planetæ omnes, Planeta-rumque satellites, in parte à Sole aversâ caligent; in adver-sâ tamen egregiè, & luce magis digestâ & amoeniori, quam vulgus Cometarum, splendicant. Quod in Iovis comitibus, & facultis macularum Solis manifestè appetet. Specie enim floridâ læti luminis rident, non lugubri Cometarum vultu mœrent.

Sed quid ergo oculis Nicephori & Cysati facimus? An cæcutivissime, & collyrium damus? Non est opus. Ab illo incipiamus.

Nego igitur, Nicephorum vidisse per tubum, aut aliter Cometam illum examine parvarum stellarum coivisse; non quia cæcus, sed quia sine oculis & vitâ tunc fuit. Ni-cephorus enim iste trecentis vix annis à temporibus nostris abest, Cometa mille ferè & trecentis. Igitur Cometa mille prope modum annis Nicephoro senior fuit. Nam circa annum Christi 390. & tempora cædis illius famosæ Thessa-lonicensium, sub Theodosio Imp. exortum scribit; Scri-ptor verò ipse vix est, ut annum Christi 1300. dudum antecesserit, ut ex Epistolâ Historiæ dedicatoriâ patet. Ab  
alio

alio ergo, fortasse etiam simili Græculo, & fluxæ fidei / vi-  
de enim Annales Cardinalis Baronij, & neminem per to-  
tam Tomorum seriem, sæpius Nicephoro vapulantem re-  
peries.) Cometæ illius Theodosiani historiam accepit.

Sed demus esse veram. Recuso tamen, scintillas illas quæ  
Cometam majorem circumfluxerunt, sidera fuisse: quod  
manifestum vel ex solo motu, qui perturbatus & incondi-  
tus fuit, non compositus & cælestis. Nam undique, ut te-  
statur, ad Cometam advolabant, ut apes ad suum ducem.  
Vnde in Aristotelis & Cometarum sublunarium favorem  
obedientiùs Cometa iste trahi potest, quam Democriti &  
Cysati. Flammulæ enim elementares, & veluti fatui ignes  
fuisse videntur, ex quibus à naturali caussa, aut Angelicâ  
fortasse manu Cometa elementaris concinnatus est, ad  
ostentum & Theodosij castigationem. Quod vero for-  
tasse etiam dioptrico tubo usos Anaxagoram, Democritum,  
& Nicephorum addubitat Cysatus; ne faciat. Nam id non  
sillerent; & res ista plus famæ habuisset, si olim passim non  
ignota eruditis. Potest tamen ( & ita etiam sentio )  
ut fuerit duabus aut tribus, id est, pauculis cognita  
posterioribus seculis, quod ex lib. 17. Io. Bapt. Portæ  
ferè constat: & nuper in Hannoniâ, inter veterem cuius-  
dam Arcis supellecstilem, dioptricus tubus repertus narratur,  
æruginosus & multæ antiquitatis. Hollandum tamen, aut  
Genium Hollandi specie / fratrem tamen suum Iacobum  
Metium fuisse, contendit Adrianus Metius Franekerensis  
Mathematicus) qui à Ioanne Lippestein, Middelburgensi  
opifice, cavum & convexum specillum fieri curaverat, re-  
pertorem anno 1609. scribit Hieronymus Sirturus. Opi-  
fex autem artificij antea ignarus, cum vidisset Hollandum  
adducentem & reducentem ab oculo vitra ut inveniret pun-  
ctum concursus, statim pro se similia concinnavit. Et pri-  
mo pulcherrimæ artis experimento obstupefactus, & vitra  
tubo condenda suspicatus, munus hoc Principi Mauritio  
obtulit. Inde tanta rei novitas, inquit Sirturus, per totum effun-  
ditur Orbem: & plura alia finguntur specilla, sed nullum ei con-  
siderat. Part. 2.c. 3.  
Theleſc.  
igit

tigit melius & aptius priore ( ego vidi & tractavi. ) Adeò ut dicat non artes solum, sed ipsam Naturam omnia conferre, ut magnis Principibus inserviant.

Verum, quid jam Eruditiss. Cysati Telescopio respondemus? Nolim planè offundere caligines. Nec do tamen etiam, congeriem Planetarum vidisse: licet fortasse quosdam cælestis exhalationis radiantes nodos, solntiles, & in ceteri ætheris raritatem postea dissolutos: de quibus plura statim Articulo vi.

Aut certè non siderei, sed elementares nodi ignium fuere, totusque Cometes ex materia elementari concretus fuit, etiamsi usque ad Lunæ orbitam aut supra ascenderit. Quod tanto probabilius erit, si Lunæ Perigæum, non 51. terræ semid. ut Copernico placet, aut 54. ut Keplerio, à terræ centro removeamus, sed tantum 33. terræ semid. quod Ptolemæo olim visum fuit.

Crediderim quoque telescopium quo usus est Cysatus, non fuisse valde excellens & amplæ refractionis. Nam nos etiam Lovanij vulgari tubo Cometæ caput facilè & distinctè intuebamur, cùm tamen excellentiori alio tubo omnia transparerent, nec Cometæ caput aut barbam, sed confusaneum, rarissimum, & pænè nullum lumen, ut in Iride per talem tubum conspectâ solet, videremus. Vnde vix intelligo, qua ratione *nucleos quosdam*, ut narrat, in capite Cometæ, per ejusmodi tubum Cysatus distinguere potuerit, quanquoidem nos caput illud sine nucleo, cranio, cerebro viderimus, sed rarum omnino instar vaporis in quo fulget iris; qui aspectum fistit & tenet, si simplici oculo extra tubum conspicatur, si verò per tubum videatur, transmittit.

### A R T I C U L V S V.

*Non omnium cælestium Cometarum materiam  
esse terrestres halitus.*

**R**Othmannus, Galileus, Guiduccius, & quidam alij omnium Cometarum materiam affirmant halitus terrestres esse. Probant, quia ἐπικαύμata & exhalationes videmus. ſepē

sæpè altâ & concubiâ nocte, à Sole profundissimè infra horizontem demerso illustrari igitur in altissimo æthere, supra umbræ terræ conum, aut circa latera prope verticem coni pendent. Lumen enim Solis non raperent, si caderent intra terræ umbram. Si verò halitus terreni in cælum usque & supra Lunam scandunt, cur non hinc omnium Cometarum materiam sumimus? Et nocturnos illos splendores extra noctem & umbram esse, hoc etiam indicio conjectamus; quia æstate præsertim se ostentant, & in Septemtrione: cùm videlicet Sol versatur in Signis Borealibus, & umbra terræ in Austrum declinat, & majus ætheris spatium versus Septemtrionem denudat, datque sub radij solaris iustum. Deinde, nos antè terræ halitus ad Lunæ usque regionem scandere admisisimus, cur non ( si etiam atque etiam rarefcant) altius, & in Planetarum superiorum circos evehamus? Nullum enim in orbibus eccentricis obstaculum esse potest, quos antè liquefcere fluereque, cum novis Astronomis, jussimus. Aut certè si à propriâ raritate & levitate cù usque eniti non valent, dicamus cum Rothmanno, humeris Angelorum subvehî, ad terrorem mortalium, & ostentum. Si enim equites in aëre discurrentes, & belli simulacra in nubibus quandoque cieri ante prælia, sacra etiam Scriptura testatur, nec in alias cauſas, quam in Genios aëreos, possumus ista reiçere; quid miri & novi erit, si divina providentia Genijs ijsdem quandoque imperet, ut varias Cometarum formas ex halitibus elementorum concinnent, aut ab alijs cauſis naturalibus jam formatas, in altum etiam inter sidera usque, ad bellorum & imminentium malorum minas attollant?

Sed tamen quod me ab ista Galilæi sententia maximè abstinet, est novorum astrorum ( si verus est Tycho, & Claramontius fallitur) in altissimo æthere & sub ipso Firmamenti fornice generatio. Videntur enim cælestes Cometæ saltem quidam, ex eadem, aut proximè affini materia esse. Astra verò illa, vix credibile est concinnata ex halitu elementari fuisse. Nam excitatissimus ille, & argentea-

radiorum comā lasciviens, sideris Cassiopoeani fulgor, clamat se in materiā nobiliōri, & à se fortasse lucidā & radian-  
te, flagrasse. Ut enim exhalatio terrestris ad Firmamen-  
tum, aut orbitam Saturni ascendat, infinitum pānē rareſce-  
re oporteret. Vnde si lumine perfundatur, non tam acriter  
forte id reflectet, quām nubes albicans in mediā aēris re-  
gione. Si dicas, halitum igne accensum esse, & flamas  
fuas vibrare: non tamen sic evadis. Nam ignem illum  
sine fine fermē rariorem esse oporteret altero qui Lu-  
nam allambit, & proinde non satis conspicuum; quanto  
minus, tam petulanter flammigantem? Quæ terrestrium  
exhalationum etiam supplementa sufficere potuerunt, ad  
ignem toties Orbe terræ ampliorem, anno toto & trien-  
te alendum? Si namque quævis stella primæ magnitudinis  
centies & amplius terre & aquæ globum mole superet, quid  
dices de novâ illâ Cassiopœæ, quæ amplitudine omnes pri-  
mæ magnitudinis longè vicit? Stet ergo fixum, aliam ma-  
teriam quærendam pro astris novitijs, quām elementarem,  
nisi allucinatus Tycho, qui stellam istam in firmamenti  
Lacteā ponit, & acutior ipso fuerit Claramontius, qui infra  
Lunam *multis milliarium myriadibus* eam depressit.

Igitur & hæc novarum stellarum materia Cometis cæ-  
lestibus, præsertim illis excelsissimis, & amoeniori ac Ve-  
neriā aut Ioviali luce fulgentiōbus idonea, maximequæ pro-  
babilis erit.

Nec video quomodo quis hoc diffiteri queat, nisi neget  
nova sidera revera nova, sed vetera esse, quæ aliquando in  
conspicuum se demittant, & deinde reciprocēt ac refu-  
giant in altum. Sed ratio, cur antè negavimus Cometas  
id facere, etiam in astris novis hoc refellit. Paullatim  
enim descensu isto incrementa sumerent, nec in fine sic  
colorem mutarent, ut in mortem pallescere, infuscari, &  
satis manifestè exspirare apparerent. Quod tamen in

In Cometa Cassiopœano factum, Gemma notavit.

ann. 1618. Deinde, vide quām procul exhalationes terrestres refutet  
E. 6. Willebrordus Snellius. Fingamus, inquit, universam hanc aēris  
regio-

regionem, qua undique circa hunc terræ globum ( ad 52° Italico-ruin, seu 13° Germanicorum milliarium a Ititudinem ) cir-  
cumfunditur, totam, inquam, illam atmosphærā ( id est, halituum terræ & aqua exspirantium sphærā ) in unam aliquam sphærā contrahī & conglobari, ea tamen Cometa corpus nequaquam suā mole exequabit. Computat enim globi terreni dia-  
metrum triplam esse, ad diametrum globi qui ex toto illo  
aëre trium regionum, sine rarefactione ullā aut condensa-  
tione, compingeretur, & proinde globum terræ ad aërium  
proportionem habere, qualem 27. : ad 1. Multi autem Co-  
metæ longè proprius accedunt ad terræ magnitudinem, præ-  
fertim excelsissimi illi qui circa orbitam Martis aut Iovis vi-  
suntur. Cauda etiam Cometæ 1618. cùm longitudo ejus 50.  
graduum, & latitudo trium aut quatuor fuit, si rotundetur  
in globum, aliquoties millies terræ sphærā vincet. Quam  
ergo improbabile, imò insanum, imputare tantam molem  
terræ exhalationibus?

Hi Snellij clamores, fateor, me nonnihil feriunt; sed non  
perinde, ac ratio prior, deducta ex novis astris. Facile enim  
contrà reclamet Galilæus: non opus esse, ut exhalationem  
in globum unum contrahas, sed posse complanari, ut nu-  
bem; sicque visibilem diametrum & totam Cometæ faciem,  
multò latius, quam si exhalatio sphærica foret, extendi. De-  
inde halitus sub eâdem densitate, quam in suâ atmosphærâ  
obtinent, ad sidera non ascendunt, sed largiter expandi &  
raescere debent; aliás enim supra ignem, sive ætherem  
rariorē & leviorē numquam sponte se attollerent. Vnde  
Cometas qui inter Planetas versantur, cum amplitudine ex-  
halationum circa terram hærentium, & quidem in unum  
globum restrictarum, malè comparat Snellius. Si namque  
tota atmosphæra in illam raritatem, quam halitus in æthere  
summo pendulus haberet, diffunderetur, sine comparatione  
amplior, quam nunc, esset. Imò si in vias Planetarum scan-  
deret, maximæ cœli parti subtendi posset, non tantum  
parvæ stellæ aut Cometæ imaginem ostentaret. Caudæ de-  
inde molem de halibus concinnatam negabit Galilæus,

sed radiorum solarium fascem per caput Cometæ traje-  
ctum dicet.

Ad experientiam tamen Rothmanni & Galilæi, qua omni-  
um Cometarum materiam esse halitus terrestres contend-  
unt, nego, splendores illos intempestâ nocte, circa hori-  
zontem Septemtrionalem subito relucentes, in exhalationi-  
bus terrestribus, qui in vias Planetarum usque ascenderint,  
plerumque hærere; sed vel in cœlestibus, quos fortè exspi-  
rant Planetæ halitibus, vel esse trabes aut stipulas longè in-  
fra Lunam ardentes; vel astrorum nocturnorum lumen in  
in vaporibus densioribus splendicans. Ita enim aér Ponti,  
Aristotele teste, quia suâ crassitie nocturnum stellarum  
splendorem combibit, auroram æmulatur. Vel denique  
(quod super omnia probo) radius Solis vaporis infra horizon-  
tem condito insertus, in vaporem aliud aut exhalationem  
nobis conspicuam, intra umbram terræ refringitur. Maximæ  
enim & insolentes circa horizontis limbum refractiones  
aliquando eveniunt. Sic Hollandi anno 1596. cum circa  
Zemblam novam, & ultimam Thulen, in perpetuâ medij  
ferè anni nocte navigarent, Solem 17. totis diebus ante  
legittimum, quo supra horizontem emergere debuerat,  
tempus conspexerunt. Consulti verò doctissimi quique Ma-  
thematici, in multitudinem & crassamentum vaporum illa-  
rum regionum, imaginem Solis refringentium, retulerunt.  
Rothmannus etiam ipse, Epistolâ ad Tychonem, scribit se  
Venerem quondam toto pænè horæ quadrante,  
vidisse quasi stationariam, nec motu primi mobilis se pro-  
moventem. Duobus præterea gradibus supra horizontem  
apparuisse elevatam, cum exacto calculo, totidem esset infra.  
Quod sine dubio, refractionis opus fuit. Vnde dissoluto aut  
abacto vapore, dicit momento imaginem ejus infra horizon-  
tem suppressam evanuisse.

Ad alterum, dieo ascensum terrenorum fumorum ad  
Lunæ orbitam, imò altius, si fortè magis quam æther ipse,  
rarefcant, utcumque tolerari possit; sed nego, ad omnium  
Cometarum cœlestium, præsertim altissimorum illorum &

sic radi-

fic radiantium, materiam eos sufficere. De minutis autem quibusdam alijs fuscis aut pallidis Cometis, nec longè excelsioribus lunari semitâ, nolim pertinaciter pugnare, ex sublunaribus halitibus eosque quandoque ascendentibus coiri & concianari potuisse.

## ARTICVLVS VI.

*Neque cælestium Cometarum materiam, esse partem fluidi ætheris in nodum contractam & addensatam.*

**E**RUDITISSIMUS Licetus, infinitis pænè sententijs laboriosè & doctè refutatis, tandem in illam Tychonis, aut in partem ejus, discedit, quæ mihi etiam, septimo abhinc retrò anno, lib. de Cometâ anni 1618. ferè allubescerat, nunc satis displicet. Volunt, partem ætheris fluidam & raram, in nodum densiorem alligari, qui radio solari trajectus barbam promittat, aut trahat caudam. Probari potest. Quia ut aër apud nos ita quandoque densatur, ut lumen Solis sorbeat & coloretur; cur non etiam vertex & nodus fluxæ illius substantiæ, in quâ Planetæ circumgyrantur? Si quæras de causâ condensante, respondi anno illo 1618. esse frigus. Nullam quippe aliam promptiorem videbam. Reijcit tamen id Licetus, quia nullum inter sidera potest esse frigus, cum frigus omne à terrâ & aquâ proveniat.

Duplicem ergo aliam caussam excogitavit. Prima est, motus Planetarum, qui rapidissimâ vertigine ab Angelis rotati, æthera ante se propulsum densant, ut aves, inquit, volantes, aërem, & naves velificantes, undam. Altera est, natura & forma substantialis ætheris, quæ materiam suam radijs solaribus rarefactam, ad densitatem, ubi potest, reducit. Appetit enim, ut putat, æther densitatem, & impetu naturæ in eam se contrahit, ubi radijs siderum se extricare contigerit.

Sed utraque hæc caussa non magno opere videtur posse refelli. Prima, quia motus localis rei duræ per medium

fluidum volantis, non potest ita condensare; ut de caussâ motûs projectorum, adversus Dandinum & alios alibi ostendamus. Avis enim aërem propellens, non valet ita densare, sicut ille qui per syringem in folle lusorio eum constipat & intendit. Habet enim fluidus & patentissimus aër quod diffugiat & se recipiat, sine insigni suâ vel alterius condensatione. Nam una pars loco pulsa, aliam deinde submoveat, & hæc etiam alteram catenatim. Ne tamen minimo impulsu totum elementum aëris vacillare oporteat, aliqua in singulis partibus accidit condensatio; sed tam tenuis & dispersa, ut in unaquaque parte seorsim sit insensibilis. Similiter navis aquam potius in spumas rarefacit, quam vel ferè hilum condenserit. Aquam enim condensationi valde contumacem esse patet, quod ne frigore quidem intensissimo & durissime glaciante, vix ac ne vix contractior fiat; cum glacies neque densior, neque gravior sit aquâ fluente,

*Lib. 2. c. 14.* cui innatat. Scio tamen, quid Licetus doceat. Rem videlicet aliquam densorem, non esse graviorem seipsâ rarefactâ: affertque exemplum in metallis, quæ liquata tantumdem ponderis, quantum dura & consistentia habent. Verum mollities largiter à raritate, & durities à densitate distinguenda est. Plumbum igitur liquefactum mollius, non rarius est consistenti: ideoque nullum reperire est in pondere discriminem. Non esse rarius, liquet, vel ex formâ illâ, quâ infuso plumbo fiunt glandes iaculatoriæ. Quæ enim liquato plumbô impleta, eadem plenissima manet, ubi à refrigeratione induruit. Signum igitur est, frigore intra formam non contrahi & addensari. Aut certe si aliqua contractio videatur fieri, ea non ex vera & propria condensatione substantiæ plumbi provenit, sed ex aëris, vel potius fumidæ subtilissimæque exhalationis expressione, quæ antea plumbô fortasse permixta fuit. Quod verò ab Aristotele se didicisse ait Licetus, Corpora dura que tangunt seipsa in aqua, necesse esse aquam habere medium; eodem autem modo & in aëre: ideoque inter superficiem concavam formæ, & convexam globuli plumbæ necessariò aërem intercedere; nescio an

Præceptorem satis intellexerit. Certè enim iste duas spheras cælestes, sine ullo corpore liquido intermedio se proxime contingere non negabit. Si deinde plumbi liquor concavum loculi suæ formæ cui infunditur, undique & immediatè tangit, ut Licetus fatetur, cur non potest in eodem partium omnium situ concrescere? Quamquàm fatear, & olim docere solitus sim, ut sine periculo vacui glans plumbea loculo suo eximatur, necesse esse, aliquid tenuissimum plumbeæ exhalationis, quod rarescere possit, inter plumbum concretum & loculi concavum intercedere, quando aër exterior ad repletionem vacui non potest in locum plumbi concreti succedere. Interim tamen idem est locus adæquatus plumbi liquati & concreti, quia exhalatio utriusque admixta in partem plumbeæ substantiæ non imputatur. Deinde licet daremus Liceto, ætherem Planetarum trajectione, colligi in nodos & densari; densitas tamen ista non esset tam pertinax, ut aliquot menses edurare posset, & quamdiu viuunt Cometæ. Aër enim ( quantum hîc experimur ) motu locali condensatus, statim, ubi solido nullo stringitur & tenetur, in raritatem suam resilit; ideoque ætheri etiam idem eveniet. Sed hanc primam caussam à se imbecille, secunda fortasse juvabit. Non juvat tamen. Si enim ab intrinseco & naturæ impetu æther ad densitatem reddit, & in eâ densitate, quantum valet, se firmat & retinet: ergo circa Mundi polos, ubi radius solaris ob distantiam invalidus concretionem ætheris impedire non potest, perpetua nubes, aut Cometa circulo Arctico æqualis ferè semper apparebit. Imbecille enim est, quod D. Licetus hîc nobis opponit. Stellas nempe circa polum Arcticum plurimas *lumine suo prohibere, vel citò dissoluere concretionem omnem aetherei diaphani.* Nam quàm parum lumen illorum siderum in calorem & rarefactionem valeat, ex perpetuo regionum Septentionalium rigore satis patet. Deinde plurimi Cometarum circa Galaxiam exoriuntur, ut Aristoteles ipse animadvertisit, & tamen, si ulla cæli plaga frequentissimis stellarum tessellis instrata est, est profecto illa Lactea. Cur ergo ibi concretio ætheris in Co-

metas à

metas à stellis illis non impeditur, in tantâ præsertim propinquitate auxiliantis Solis?

Trahit deinde in auxilium D. Licetus *nubeculas* illas duas juxta polum Antarcticum, quarum mimenerunt, Ios. Acosta & Andr. Corsalius; quasi sint partes fluidi ætheris fortuitæ condensatæ, quas raritas ibi astrorum non valeat in pristinam fluiditatem refundere. Sed ista sunt hominis studiosi & ingenio si, qui quidquid in mentem & manum venit, studio retinendæ & defensandæ occupatæ opinionis, Lib. I. c. 2. pro telo rapit. Maculas enim istas, colore ferrugineo eclipsi Hist. nat. Lunæ similes, ut testis oculatus Ios. Acosta loquitur, nemo haec tenus tumultuaria & temporaria astra esse dixit, sed partes cœli stellantes Mundo coëvas, & tanquam ferreos clavos candori Galaxiæ, qui ibi maximè insignis, velut infixos.

Secundò, si vera esset. D. Liceti philosophia, singulis noctibus æther nobis impendens ad densitatem suam rediret; quia Sol noctu longissimè abest; imò, ut alibi affirmat Licetus, extremus radiorum ejus mucro ad oppositam eclipticæ semitam non pertingit. Alia verò sidera, ut antè dixi, sæpè non tantum habent lucis, ut dissolvere ætherem possint, & distin-  
nere ne condensatione se in stellam, aut Cometam recolli-  
gat. Hec enim, ut summum, accidere potest in plurimo-  
rum astrorum congregatiōne, & magnis Planetarum  
conjunctionibus. Quod significat etiam ipse Licetus. Nam  
ideo magnis conjunctionibus Cometas plerumque enasci  
docet, quia æther aliquot Planetarum in unum conspiranti-  
bus radijs fusus & rarefactus, cœtu Planetarum dissoluto,  
acriùs se densat & in Cometam alligat; ut aqua post cale-  
factionem faciliùs & duriùs in glaciem rigescit. Hæc tamen  
non capio, & *acutal* mihi esse videntur, quæ inter luctan-  
dum & excusandum exciderunt D. Liceto Solum diximus,  
inquit, partes cœli diaphanas esse raras naturā suā & in aspectib[us]  
habere tamen inclinationem physicam præpositionemque naturalem  
ad condensationem in se suscipiendam, ut ad sui perfectionem. Quare  
ubi suscepérint, sive ab astrorum concitatori motu, sive ab alia  
causa,

caussa, illam sibi retinere conservareque diu, nisi vi quadam potentioris luminis disgregantis, ea condensatione densitateve spolietur.

Si enim partes cœli diaphanæ naturâ suâ sint rarae, quomodo simul propensionem naturalem ad condensationem habent? An fortasse ignis propensionem naturalem ad raritatem & densitatem, ad calorem & frigus simul habere potest?

Tertiò, etiam non capio, quomodo radij siderum substantiam ætheris rarefaciant, si æther ( quod credit Licetus ) est incapax caloris. Nam, quidquid dicat, radius proximè non videtur efficiens raritatis, sed calorem producit, qui deinde subjectum suum disrarat & fundit. Ideo enim glacies, pellucens & torta perfusa solari lumine, non statim sed pedetentim, calore increscente, tabescit. Igitur nihil dum, quod stringat ætherem in Cometas, video, præter frigus illud à me disputatum anno 1618. Frigus enim est qualitas prima, secundarum, & maximè densitatis artifex. Fieri tamen potest, ut quispiam hic Angeli Cometam condensantis manum imploret, aut ad occultam, quæ sine frigore condenseret, influentiam fugere, seque in hoc solemni ignorantiae asylo abscondere malit. Persistit tamen in novissimo suo Libello Licetus, aërem æthæremque à lumine non mediante calore, sed per attritionem rarefieri, & raritatem potius caussam caloris, quam ejus effectum esse. Cùm enim rarefactio, inquit, sit motus localis partium corporis rarefientis, cum Aristotele potius dicendum est, lumen immediate radiorum multiplicatione, vel in angustum arctatione aërem atterere, talique attritione substantiam aëris calefacere; quam cum Fromondo, lucem immediate calefacere, caloremq; illum mox rarefactionem inducere.

An igitur, mi Licete, existimas, contra apertam Præceptoris tui sententiam, luminis radios corporeas quasi virgas esse, quæ in angustum velut in fascem arctate, se mutuo confricent, & atterendo medium aërem, rarefaciant primùm, deinde calefaciant ignorantque, ut chalybs & silex attritu mutuo excitant ignem? Voluisti te alibi ex his angustijs expedire, dixistique radium esse quidem puram qualitatem, sed tamen atterere aërem dividendo cum in partes minutissimas.

Id est, reverà magis te implicuisti. Quomodo enim radius immediate dividit aërem in partes minutissimas, si corpus non est, sicut chalybs aut silex? Nec evadis exemplo albedinis disgregantis visum, & solventis, ut putas, oculi continuum, ut oculorum dolorem molestissimum sentiant homines ambulantes per loca nivibus oppleta. Nam dolor ille, & continui solutio, non fit à radio speciei visibilis, sed à spiritibus acutis & scindentibus qui nivibus exhalant: aut, ubi res albae tam spiritales non sunt, lumen Solis à superficie alba reflexum, & speciei albedinis mixtum, minimo aliquo tempore pupillam oculi rarefacit: & aliæ præterea sunt caussæ, cur albedo & lumen diu inspectum caligine quadam ceteros colores obnubilant, quas recensere jam locus non est. Quidquid dicas & imagineris, nec albedo, nec lumen sunt qualitates primæ, quæ immediatè gignere possint secundas. Aristoteles autem Lib. 2. c. 1. de part. animal. πυρότητα καὶ μεγόντια densitatem & raritatem ponit inter qualitates secundas, quæ oriuntur ex primis.

Quām etiam hoc admirabile & adoxum quod dixisti, sola divisione subiecti destruitur humiditas, quā cœu glutine natura coniungit sensibiles corporum partes in unum? An fortasse aquæ vapor sine tali divisione non siccatur & duratur in lapideum aut crystallum? Sed perit, inquis, sola divisione sensibilis humiditas aquæ. Ita sanè, sensibilis humiditas; sed est quædam humiditas tam parva, ut sentiri non possit.

Lib. 2. c. 7.  
Celi.

Luciet.

Aristoteles denique pro te non est, quem contra me citasti. Non vult enim attritione & conflictu radiorum Solis inter se, (aut certè errat) calorem hic apud nos generari, ut S. Thomas & doctissimi Peripateticorum mecum expoununt; sed partem illam aëris quæ motu siderum & cœli raptur in orbem, confricari & incalescere illo raptu igniri que in flammam. Vnde non solum τὴν θεμότητα calorem, sed τὸ φῶς lumen ipsum siderum, ex attritione gigni. An ergo Sol D. Liceto non luceret, nisi radij Solis mutuo confictu attererentur? Atqui radij illi, & lucida tela diei, jam è Sole, tanquam pharetrâ suâ, exilierunt & lucent, antequam atterantur  
Sed

Sed ex hoc excursu, in quem traxit nos D. Licetus, redeamus ad diverticulum.

Quare tamen frigore & condensatione ætheris concrescere Cometas, minus jam placeat, hoc est. Quia quidquid addensatur, in eodem medio subsidit & descendit profundius. Cometæ ergo, auctâ paullatim condensatione, molliter versus centrum suæ gravitatis subsiderent. Cùm tamen respetu centri terræ, primo ortu plerumque demissimi sint, & postea magis magisque in altum scandant.

Deinde stellæ, si quæ sint frigorificæ, ætherem Soli è regione oppositum semper condensabunt; quia Sol ab eo longissime abest, & satis diu. Movetur enim illa ætheris pars ab Ortu in Occasum ex adverso Solis, donec hic se illi admoveat, proprio & tardo regressu ab Occasu in Ortum.

Adde, promptius in umbris Planetarum, quos ab altera parte Sol illucet, & circa senem & frigidum Saturnum, ac præsertim acronyctum & Soli oppositum, condensandos frigore Cometas. Quæ omnia experientia refellit.

Quæ vero, ad stabiliendam fluidi ætheris in Cometam condensationem, addit D. Licetus de condensatione & duritate aëris qui à sagitta terebratur, parum caussam ejus adjuvant. Nam si æther per quem Planetæ volant, *natura sua rarus est*, ut ipse fatetur, illico post transitum Planetæ, ad pristinam suam & naturalem raritatem (ut aër noster præter-volante sagittâ) resiliet, nec manebit in nodum alligatus, præsertim tantæ molis & durationis quam sunt capita Cometarum. Deinde falsum existimo, aërem quem celerrimo volatu perstringit sagitta, vel hilum indurescere, et si fortasse levissime & insensibiliter aër proximus cui se affricat sagitta, condensetur. Sed sagitta submovet aërem in latus, quantum necesse est adtransitum. Deinde pars aëris pulsa alteram propellit, & hæc ulteriorem, ac ita deinceps. Et quia ubique aliqua, et si minima, resistentia occurrit, proximo aëri cum aliquo etiam sibilo conficit se sagitta: propter quam similem caussam, id est, longam catenatamque partium nubis resistentiam, diximus antè, fulmen tanta virè nube, tanquam

ex ferreis claustris, erumpere. Vnde certum est, Aristotelem quem adversum me citasti, non veram propriamque duritatem in omnibus universim corporibus quæ mutuo confictonant, flagitavisse.

## ARTICVLVS VII.

*Cometarum cælestium materiam è sideribus fortè exhalari.*

**Q**uid enim aliud jam eligam? Ceterum nihil mihi reliquum feci. Scio tamen hīc mihi clamores paratos, ab ijs præsertim qui cælestia corrumpi, clementa aut decrementa subire negant. Sed per Deum immortalem, probabilius aliud nobis reponant, & gratias agemus. Ego enim jam Cometas in maximis & abditissimis Naturæ miraculis pono.

Inter autem varias meas conjecturas in Libello Cometæ anni 1618. una erat, halitus fortasse quosdam, vi præsertim Solis, Planetarum corporibus exspirari / quod Copernicanis videram non omnino displicere ) & inde materiam esse cælestibus Cometis. Ipsa enim similitudo materiæ eorum cum exhalationibus terrestribus, quibus formantur Cometæ sublunares, colorem aliquem veritatis statim facit. Secutus deinde nuper Camillus Gloriosus, qui libro 5. c. 4. de Cometis, egregie hanc opinionem confirmat; nisi quod cum Snellio putet Solem, in illos se macularum fumos nocte dieque exspirare. Cum enim astra Borbonia, sive maculae solares latissimæ & numerosæ sint, si visceribus Solis eructentur, metuo profectò ne brevi se evisceret, & totus erogetur. Solem itaque inter Planetas ab hac exspirandi lege excipio. Magis enim immortalis hæc publica Mundi lampas esse debuit, ne ea fortè aliquando exhausta, sine die & lumine essentus.

Itaque, ut perveniam quod tendo, hoc præstruendum, & in eam sententiam abeundum, quæ cælos & sidera è materiâ sublunari compingit, ut corrumpi aut generari, decrescere, aut accrescere quandoque possint. Nec hujus venia difficultis futurus,

turus, ut opinor, noster Aristoteles, qui alicubi ait, Ταῦς μὲν  
*ἀρχιτετράγονος ἀράνγος ὅταν τις εἰπεῖται, τότε χαρίν ἔχει διὰ τοὺς ἐπιστεκότοις. Σέ*  
*quis certiores necessitates aſſe catus fuerit, gratias agere oportet inveni-*  
*entibus.* Et antē rerum cælestium incertitudinem excusat, quia  
*eminus de ijs ſpeculamur, & eorum que ipſis accidunt per pauco-* *Ibid. c. 3.*  
*rum ſenſum babemus.* Non vult ergo hīc in ſua verba pertinaci-  
*ter jurari, paratus etiam ipſe melioribus acquiescere.* Nos verò  
*Christiani, quid propius veriorem Scripturarū interpretatio-*  
*nem accedat, curiosè circumſpicere, quām in unum Aristot-  
*elem oculum defixum tenere, potiùs debemus.* Et quidem  
*plurimi Genesis Interpretes, ac inter eos, S. Hieronymus, S.*  
*Cyrillus, S. Clemens Romanus, Beda alijque quos Lib. I. re-* *Lib. I. c. 1;*  
*censuimus, existimant, initio Mundi totum ſpatium in-*  
*ter terram & cælum Empyreum, impletum fuiffe aquis, &*  
*partem earum in Firmamentum, fidera, & Planetas dura-* *Oper. 6. di.*  
*tam fuiffe.* Vnde Ludovicus Molina. *Ex Scripturā Sacrā aper-* *er. d. 5.*  
*te colligi arbitramur, inquit, materiam calorū (ſi Empyreum*  
*excipias; de quo contrarium probabiliter defendi posset) convenire*  
*in ſpecie cum materiâ rerum ſublunariū.* Docetque etiam con-  
*cretos ex aquâ.* Serrarius verò, aduersus Franciscum Suarez  
*contendit, cælos fidereos extremo die ſolvendos, nec eſſe*  
*cur Scripturam non tam propriè accipiamus, niſi anticipa-*  
*tam tantum Aristotelicarum quarundam, que facile ſolvi poſſunt,*  
*rationum opinionem.* Et Cornelius à Lapide oſtendit Sacræ *Gen. 1.*  
*Scripturæ eſſe magis conformem.* Et profectò plerorumque  
*Græcorum ac Latinorum Patrum eadem videtur eſſe ſen-*  
*tentia, contra quorum unanimem conſenſum Scripturam ſacram in-*  
*terpretari nobis prohibet Tridentinū.* Vnde quia tot SS. Pa-  
*tres docent Firmamentū eſſe ex aquis concretum, aut congelatum,*  
*aut compactum, aut crystallo ſolidatum,* Adamus Tannerus ait, *De creat.*  
*negari ſine temeritate vix poſſe, quia ſit ſolidum.* Hoc statuto, cùm *Mundi*  
*fiderum materia, qualitatum elementarium jani ſit capax, cur *disp. 6. q. 3.**  
*adversus eorum exſpirationes, tam difficultes & contumaces*  
*ſimus?* Certè dum cogito, omnes Planetas corpora opaca,  
*& in parte à Sole aversâ terræ ſimillima eſſe, dum montes,*  
*& valles, totiugesque cæſuras, verrucas, & tubercula in**

Lunā, per Arundinem nostratem aspicio, minus mirari eos incipio, qui cælestem quamdam terram esse dixerunt: & quidni etiam addam, fumare istam radio solari, & in vicinum ætherem aliquid exspirare?

Verūm aliqua sunt, quæ me non leviter conturbant. Primo, cur jam post tot annos non cernimus figuram siderum depravatam, & molem decrevissé, continuâ istâ exspiratio-ne? Deinde mollia sic, non dura & adamantina esse oportebit ista corpora; aliás enim non carperentur actione Solis. Sed cur ergo nostra dissiliunt tam rapido circa Mundum rotatur? Tertiò, venti & pluviae etiam ex eadem materia, in Orbe illo sidereo nascentur; quod invisum, inauditum, incredendum. Hæc, ut verum fætar, me acriter urunt. Sed non eos fortè qui tubi Belgici beneficio terras, maria, lacus, montes & valles in Luna se cernere imaginantur; & cum veteri illo Philosopho, an incolas etiam addere velint, dubitant.

De primo tamen Clar. V. Thomam Fienum, in Cometâ anni 1618. audiamus. *Possunt*, inquit, *maxima generationes & corruptiones, maximeque permutationes in celo fieri, etiamsi à nobis non conspiciantur. Hoc visus nostri debilitas, & immensæ cali distantia faciunt. Nec magis permutationes aut generationes villas in hoc Mundo inferiore videremus, si in celo Luna essemus constituti ( in quo tamen nunc, propter viciniam & propinquitatem, admirabiles quotidie fieri animadvertisimus ) quam modò videmus in calo.*

Et Ampliss. ac Clar. Vir Erycius Puteanus in elegantissimo de codem Cometâ Libello: *Homines & bruta, arbores & stirpes, arbes & edes oriuntur & pereunt; imò, ut pereant. Sed quantilla hec, si tamquam membra Orbis censeantur? Manent interim regiones & maria, montes & flumina, passimque, tamquam non mutetur, moles hæret. In calo, quidni ad eundem modum varietas ludit? Cogita minuta multa, & panè infinita partim generari, partim corrumpi quotidie; sed humanis oculis nequaquam comprehendendi. Minuta? Imo, & magna quedam; rarius tamen, quia magna sunt. Quid igitur? Non ideo aut cælum esse cælum desinat, aut astra, astra. Omnino licet mutetur terra, Mundus tamen, Mundus est. Mundi enim*

*pars*

*par<sup>s</sup> quedam à Deo constituta. Sic mutetur calum, permanere tamen Mundus potest: pars enim Mundi & calum est. Et inter præteriti ævi Italos facile doctissimus, reprehendens Aristotelis de inalterabilitate cali ratiocinationem.*

*Aristoteles textu 22. lib. 1. de celo ita inquit.*

*Accidit autem & hoc per sensum sufficienter quoad humanam dixisse fidem, & omni præterito tempore secundum traditam in vicem memoriam, nihil videtur transmutatum, neque secundum totum ultimum calum, neque secundum partem ipsis propriam ullam. Vbi cæli incorruptibilitatem & inalterabilitatem probat Philosopher, quia idem totum ac easdem partes hodie videamus, quas in veterum Astronomorum & spectatorum memorijs signatas legimus. Sed videte, ut argumentum hoc infirmer Benedictus.*

*Hoc autem in loco, inquit, Aristoteles non consideravit, quod similiter de terra dici posset, quando ipsa ita eminus prospiceretur. Imò absque dubio, putandum est, quod si terra luce Solis prædicta esset, & aliquis ipsam ab octavo orbe vellet videre, nullo pacto cerneret: cum sidera illa quo prima magnit. vocantur, & qua plusquam centies maiora ipsa terrâ putantur, non nisi ut puncta videantur. Brevis ergo, Planetarum orbes detrimentum, aut mutilationem aliquam pati possunt, etiamsi ex tanto intervallo id oculis non sentiamus.*

Ad alterum, affero Planetas corpora dura, sed non adeò ut nihil inde radius Solis carpere aut exsugere valeat. Lapidès enim hīc ac metalla detrectantur, & aliquid abiciunt de pondere, si diu insolentur. Neque mirum, raptu illo non diffilire; quia ne Cometæ quidem tam rari & fungosi dissolvuntur. Imò spumarum globos & floccos, in columnes portari ac defluere videamus secundo & satis rapido flumine, nec nisi tardè dispergi. Ratio igitur est, quia Planetæ, Cometæ, & æther vehens, fluunt in eamdem Mundi partem, ab Ortu scilicet in Occasum. De motu altero, Planetis & Cometis proprio, dicemus, quod satis erit, postea.

De tertio, negare malim pluvias umquam ē halitibus Planetarum ibi concrescere; nisi cum Keplero, & quibusdam

Io. Bapt.  
Benedict.  
disp. c. 391

dam alijs, affirmares, in Lunâ ingentia, quæ vaporari & fumare possint, maria esse. Verùm fumos tantùm sicciores, non insigniter ad pluviam humidos, extrahi autumare malim. Quia Planetæ siccii & rigentes sunt, non humentes & fluxi. Sed an halitus eorum possint in ventos relabi? Putem, in regione illâ tot siderum luminibus fervidâ, difficulter fortasse ita posse frigore densari, ut magno & in flatum valente impetu, valeant defluere. Itaque sàpius erit, ut mollierter desidant, quâm præcipites & torrentes devoluantur. Verùm, quòd tunc recident? Ad terram nostram, an ad Planetam suum singuli, unde sunt extracti? Si hoc postremum fiat, hoc commodum nacti erimus, quòd habemus unde sarcire detrimentum, quod passi fuerant Planetæ per illam exspirationem, possimus. Ut enim terra se reparat per vapores & exhalationes, quæ in eam relabuntur, ita Planetæ facient. Sed tot centra gravitatis, quot Planetæ, sic statuenda erunt; ut cujusque scilicet Planetæ partes in suum, non in alienum centrum nitantur. Quod M. Tullius significasse videtur, cùm ait: *Aërem complexa summa pars cali, quæ ethra dicitur, & suum retinet ardorem tenuem & nullâ admixtione concretum, & cum aëris extremitate coniungitur. In aethere autem astra volvuntur, quæ & se nixu suo congregata continent, & formâ ipsâ figuraque sua momenta sustentant. Sunt enim rotunda, quibus formis, ut ante dixisse videor, minimè noceri potest.*

Vbi cernis, astra suo se nixu congregata in aethere liquido in quo volvuntur, continere. Veluti enim omnes undique terræ partes in idem gravitatis suæ centrum nituntur, & circa illud immobiles se continent; ita omnes partes Solis in centrum Solis, omnes partes Lunæ in centrum Lunæ, & sic in ceteris Planetis, concordi nixu circa centrum suum procumbunt, & in ipso sustentantur. Quâ ratione, longè promptius fuerit intelligere, quomodo ingentia illa corpora naturali libramento, in summo illo æthere dependeant sine lapsu. In quo sensu, aut prope, magnum Copernicum jam video. Evidenter existimo, gravitatem non aliud esse, quâm appetentiam quamdam naturalem partibus inditam à divinâ providentiâ Opificis universorum, ut in unitatem integratemque suam sese conferant, in formam

Lib. 2. de  
Nat. deor.

Lib. c. 9.  
Revolut.

formam globi coēentes. Quam affectionem credibile est etiam Soli, Luna, ceterisque errantium fulgoribus inesse: ut eius efficacia, in ea, quā se representant, rotunditate permaneant; quā nihilominus multis modis suos efficiunt circuitus.

Vel si pertinaciter contendis, siderum gravitatem ejusdem esse rationis cum elementari, omniaque in terram nitit; do tibi sidereas quandoque exhalationes eousque versus terram defluere, donec ætherem aut aërem se graviorrem inveniant: & quomodo validè satis hoc reijcias?

Historiae etiam quædam in cælestium exhalationum probationem attrahi possunt.

Septem continuis noctibus post cæsum in Curiâ Dictatorem Cæsarem, resplenduit Cometes, & circa totum illum annum Sol lugubri & pallidâ facie semper fuit: adeò ut malignâ, nec satis calorificâ luce vix ullos terræ fructus perducere valuerit ad maturitatem, ut in Cæsare scribit Plutarchus. Et Poëta Princeps:

*Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum  
Audeat? Ille etiam cæcos instare tumultus  
Sæpè monet, fraudemq; & operta tumescere bella,  
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,  
Cùm caput obscurâ nitidum ferrugine texit,  
Impiaq; aeternum timuerunt secula noctem.*

Georg.  
lib. I.

Et ille ingeniosus, de eadem cæde:

*Arma, ferunt, inter nigras crepitantianubes,  
Terribilesque tubas, auditaque cornu acelo,  
Præmonuisse nefas. Solis quoque tristis imago,  
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.*

Ovid. 15.  
Met.

Anno etiam Christiano 1547. quadrivio, à 24. ad 28. Aprilis, Sol ubique moestâ & ferruginea specie luxit, ut narrat Keplerus. Quod, ut jam in mentem venit, Galli trahere possint in funestum Apollini (in quo Poëtæ Solim intelligunt) & omnibus Litteratis fatum Francisci primi, qui pridie Kal. Aprilis eodem anno in Arce Rambletanâ excessit.

Hebetatio autem ista radiorum Solis, per totam Euro-

Aa pam

pam, & latius fortasse visa, videtur in altissimos & Soli propè admotos halitus rei cienda. Qui enim profundè infra Lunam eum subtexunt, nisi valde magnam latitudinem occupent, non possunt, propter aspectus diversitatem, in toto uno hemisphærio se illi obtendere. Video tamen hīc maculas solares, sive astra Borbonia, culpari posse, quæ insolenti concursu & multitudine se Soli tunc objecerint. Aliquando enim 30. simul visuntur: quidam potest, ut ( licet eveni raro ) etiam 50. aut plures? Nec statim etiam transvolant; sed quædam decimo, quædam undecimo, aliæ duodecimo, aut decimo tertio die diametrum Solis traiiciunt. Quidquid id est, quandoquidem sidera & cælos materiâ aqueâ constare, immo publicâ Mundi *expiçâre*, aliquando arsuros, probabilius secundum Theologiam videri, Lib. I. c. I. a. 7. ostenderimus, nihil jam est miri, si astra & præsertim Planetas, à Sole, aut mutuis alijs influentijs alterata, aliquid in vicinum ætherem, ad Cometas cælestes, aut novas stellas concinnandas exspirent. Nec enim ijs majus, quam elemento terræ, periculum imminet ne exhaustantur.

Deuter. 4.

Rom. 3.

Et modò usque ad completum numerum electorum & universi finem sidera durent, sufficit abundè fini ad quem creata sunt. *Nim Solem & lunam & omnia astra celi creavit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus quæ sub celo sunt.* Ergo finitâ hominum mortalitate, operis sui pensum jam absolverunt: & sicuti terra & elementa, ita sidera & cæli aliâ & venustiori facie induentur, & liberabuntur à servitute corruptionis, in libertatem glorie filiorum Dei.

Sed antequam discedam, non dissimulabo quid etiam me habet sollicitum. Dixi initio, Solem verius nil exhalarē, aut certè minimum. Quomodo autem, cum ejus materia caloris capax sit, & in tanta abundantia affluentissimæ lucis, oporteat etiam esse ferventissimum, si constet materia elementari? Si vero sic ardet, cur non etiam se in ætherem exspirat? Dic tamen, aut habere temperiem calori repugnantem, aut si calet, duritiem tam obstinatam esse, ut

nil

nil aut minimum finat detrectari. Nec id in cælo mirum. Audi Plinium de terreno adamante. *Invicta vis ( adamantis ) violentissima natura rerum, ferri ignisq; contemptrix , hircino rumpitur sanguine.* De ferro tamen negat rei gemmariæ peritissimus Anselmus Boëtius Belga. Quippe malleo frangi affirmat : sed ignis tamen injurias ita perferre, ut vividior & præstantior, nil diminuto pondere, eximatur. Item, ex amianto lapide molli & friabili texuntur mappæ ignibus inviolabiles. Olimque Regum inde tunicae funebres fiebant, ut cremata cadavera à rogi cinere separarentur. *Ardentes in focis conviviorum ex eo vidimus mappas,* inquit Plius, *sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis.* Vedit & Baptista Porta Venetijs. Quidni ergo simili corpore, & minus etiam ignibus obnoxio, universi illa lampas componi possit, *vas illud admirabile, opus Excelsi?*

Lib. 37.c. 4.

Eccles. 43.

## ARTICVLVS VIII.

Quomodo è halibus cœlestibus concinnandi ætherei Cometæ.

**H**oc est quod pallemus, quod quis non prandeat hoc est. Pers. Res enim perplexissima est, & omnem ferè conatum eludens. Sed cum aciem undique verso nil probabilius video, quam si Cometæ cœlestes generatione minimum à sublunaribus distent. Ascendant igitur propriâ levitate per vastissima illa ætheris spatia halitus Planetarij, & in lucidam nubem coëant, quem Cometam vocamus. Rarissimi ergo sunt, cum tam altè, & ad fornicem ipsum Firmamenti quandoque effugiant. Quid tum? Videri tamen, & reflectere lucem possunt, quia illæ exhalationes opacitatis aliquam mixturam habent. Innumeræ ergo halituum istorum superficies, per longam & multorum milliarium profunditatem, sibi invicem ultrò citroque lumen reddentes, & multiplicatum deorsum reflecentes, speciem illam stellæ flagrantis, aut coruscantis faciunt. Ingentis enim latitudinis & profunditatis nubes animo cogitanda est, per

quam radius solaris hâc illâc errabundus, & cum modicâ saltem ubique reflexione se contorquens, tandem in caudam aut barbam plerumque evadit & dispergitur; ita tamen, ut in illa profunditate nubis sat luminis relinquat, ut ipsa eo tingatur & reflectat usque ad terram. Cur igitur non magis frequentantur, inquies, Cometæ, cùm verosimile sit, ætherias ibi nubes, ut aërias circa nos & terram, toto anno pendere? Negare tamen id possum. Quia terra & aqua moliores sunt, ideoque Soli halitum evocanti magis obediunt, quâm sidera, duri & contumacissimi corporis. Deinde exhalationem amplissimam esse necesse est, ut hinc à nobis tam dissitis conspiciatur. Quod æstimare ex superioribus Planetis licet, qui terrâ majores, tam angustos tamen in speciem orbiculos nobis explicant. Itaque si in sphæris Planetarum degeneremus, plurima forte cælestium nebularum vellera, toto æthere passim dispersa videremus, quorum jam species nimiâ spatij intercapidine evanescit.

Sed quid de novitijs fixis, & Firmamento velut inhærentibus stellis censemus? In generéne Cometarum, an scorsim ea habemus? Obiter & raptim dico, è materiâ cælestium Cometarum videri. Ratio est quia carpuntur, languescunt, & finiuntur, ut Cometæ. Fiunt ergo tales stellæ cùm halitus extra omnem parallaxin, ad Saturnum & ultrâ ascendit, ut jam appareat à solo primo Mobili, si ne alio in Ortum proprio motu, rapi. Ita verò fulgent, quia materia cælestis avidè lucem bibit, & vera sidera fixa è propinquo certatim in eam radios coniiciunt. Sæpiùs autem in Galaxiâ, aut juxta, novæ stellæ visuntur; quia infinitæ ibi Sporades quæ confusis radijs viam illam lacte inalbant, suâ etiam aspergine ubertim halitum cælestem inebriant. Scintillant autem, & flammarum jactare videntur, ab eadem caussâ, quâ fixæ; propter distantiam, & ætheris aerisque ac exhalationum in ipsis fluctuantium mobilitatem. *Scintillatio enim stellarum*, ait Benedictus ad Disp. c: 28: *versus, ut credit, Aristotelem, neque aspectus nostri ratione,*  
*neque*

neque alicuius mutationis earumdem stellarum, sed ab inæqualitate motus corporum diaphanorum mediorum nascitur: quemadmodum clarè cernitur, quòd si inter aliquod obiectum & nos aliquis fumus, qui ascendat, intercesserit, videmus obiectum illud quasi tremere. Hoc autem tanto magis fiet, quanto magis distabit obiectum ab ipso fumo. Vnde admirationi locus non erit, si stellæ fixæ magis scintillare, quam errantes ceraamus. Lumen enim stellæ ad oculum nostrum accedens, perpetuò per diversas diaphaneitates penetrat, medio continuorum motuum corporum mediorum. Vnde continuò eorum lumen variatur; & hoc in longinquis magis, quam in propinquis stellæ apparet.

An autem etiam ex stellis fixis aliquid in Cometarum cœlestium & novarum stellarum materiam exhalari possit, majus est dubium. Si solidæ Firmamenti sphæræ infixa sint, uti existimo, talis exhalatio difficilius intelligitur. Et fortasse tam ipsæ quam tota illa Firmamenti sphæra solidiori corpore compactæ sunt, quam ut inde hilum carpi aut distringi valeat.

Non est etiam perpetuum quòd novæ stellæ Galaxiæ inserantur. Nam Simon Marius anno 1612. unam in cingulo Andromedæ, Iustus Pyrgius Lantgravij Hassiæ Automatopœus alteram in Antinoo, Keplerus anno 1602 aliam in Pisce, David Fabricius anno 1596. in Ceto, sat procul à Galaxiâ, nisi caligo aut lippitudines eos fefellerint, sunt conspicati.

## C A P V T III.

*De causâ formalî, efficiente, finali Cometarum.*



ÆC universa breviter, & in fasce dici possunt. Forma Cometæ tam cœlestis, quam sublunarî, est lumen & figura stellaris. Hæc enim duo fundant universim similitudinem Cometæ, mobilis, sive immobilis, comantis, sive calvi, cum vero sidere. Species deinde singulæ Cometarum, aliquid

aliud , ut motum , aut quietem , vel etiam partem integrantem , ut comam , caudam , barbam adiiciunt . Figura autem capitis , licet è longinquo sphærica appareat , quia distantia inæqualitates abscondit ( quadratum enim , aut triangulare , & omne angulosum , imagine rotundi procul appetat ) sæpius , tamen reverè non est talis .

Causa efficiens proxima est Sol , aut aliud astrum quod radio suo materiam Cometæ traiicit & colorat . Causa verò situs & loci , quem in aëre sive æthere obtinet , est impetus qui halitum in altum levat . Impetus verò iste est à levitate spiritus , ut statim , cùm de motu Cometu proprio , dicimus . Finis Cometarum sublunarium , est purgatio aëris à noxijs exhalationibus ; omnium verò , comminatio divini flagelli imminentis . Hoc tamen disquirere & latius differere oportet .

### ARTICVLVS VNICVS.

*An Cometæ aliquid præfigant , & quomodo .*

**N**ihil vulgo magis persuasum est , quām Cometas malorum prænuntios esse .

Oὐδὲν κορήτης , δεστις ὁν κακὸν φέγν .

*Nullus Cometes , qui malum nullum ferat .*

lib. 2.c. 25. caneabant illi Antiqui . Plinius Cometes , inquit , terrificum magnâ ex parte sidus , ac non leviter piatum : ut civili motu , Octavio Consule , iterumq; Pompeij & Cæsaris bello . Deinde ante pugnam Philippensem post cæsum Cæsarem Virgilius :

Georg. I. *Non alias celo ceciderunt plura sereno*

*Fulgura , nec diri tottes arsere Cometa .*

Lib. 1. de nat. deor. *Et M. Tullius , quas Græci Cometas , nostri Crinitas vocant . Que nuper bello Octavianō magnarum fuerunt calamitatū prænuntiae . Et Sibyllinum oraculum ,*

Lib. 7. ora cul. *— Splendentemq; Cometam*

*Appellant homines stellam mala significantem : Imminet ut multum bellum , vastatio , strages .*

Tria

Tria enim publicè ista mala, bellum, famem, pestem, & privatum Principum mortem, præfigire existimatur. Vnde cùm sub Nerone Cometes effulisset, vulgus passim, inquit Tacitus, quasi eo jam depulso, quisnam diligeretur inquirebat. Sed cùm multi toto ejus Principatu Cometæ exorirentur, ut cladem à capite suo depelleret, sanguine illustri solitus erat expiare, doctus id à Babilo Astrologo, ut narrat Suetonius. Institutum autem sit con- In Nerone  
farcinare omnes calamitates, & omnium Principum exi- c. 36.

tus, qui fuerunt cum hac denuntiatione. Romanos Cæsares Claudium, Vitellium, Vespasianum, Didium Iu-

lianum, Severum, Macrinum sic excessisse notat Dion.

Et ut ad propiora & nostra veniamus, Philippus I. ex Principe Belgarum, Hispaniarum Rex, ab intemperie novi Lib. 9.  
cæli, ait Iovius, cui Belgica epula minime congruebant, oborta febre surreptus est. Eius mortem luridus Cometes portendit, qui An. 1506.  
per aliquot dies ad occiduum plagam arserat.

Et de filio ejus Carolo V. Imp. Iac. Thuanus: Ante Ca-  
roli mortem Cometa Id. Sextil. sub vesperam sub coma Berenices  
apparuit, caudâ ad Hispaniam directâ, qui paullatim ad Ortum  
vergens, Non. Septembr. evannit.

Nulla etiam fere umquam publica belli clades, sine his cæli minis venit. Vnam aut alteram insignem, in tot aliorum exemplum, recensemamus.

Anno Dominicæ Incarnat 729. ait Beda, apparuerunt Cometæ Lib. 5.c. 24.  
duo circa solem multum intuentibus terrorem incutientes. Vnus Histor.  
quippe solem precedebat manè orientem, alter vespere sequebatur Angl.  
occidentem; quasi Orienti simul & Occidenti diræ cladis præfigi.  
Vel certè unus diei, aliter noctis præcurrebat exortum, ut utroq;  
tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant antefacem  
ignis contra Aquilonem, quasi ad accendentum acclivem. Appa-  
rebatq; mense Ianuario, & duabus fermè septimanis permanebant.  
Quo tempore gravissima Saracenorum luctus Gallias misera cede va-  
stabat. Et ipsi non multo post in eadem Provincia dignas sua per-  
fidie pœnas luebant.

Patrum nostrorum ætate, quas turbas Cometæ ille  
sive

sive stella nova Cassiopœæ An 1571. non dedit? Io. Ionstonus ad cladem Hugonottarum Bartholomæanam refert, sed eodem tempore Dux Albanus cum Regis sui rebellibus in Belgio luctabatur, & maxima pars Europæ erat in armis. Secutus paullò pōst feralis ille an. 1577 de quo Surius. Undecima mensis Novembr. hora post meridiem sexta. Cometes longè lateque accensus, visu horrendus apparuit, multisque post septimanis lucens, Belgis fatale malum minitabatur. Belgis tantum? De ceteris Europæ Provincijs sileo; ecce statim anno sequenti, clades internecina Sebastiani Regis & Lusitanorum in Africa, sceptriique ad Castellanos devolutio; ut non de nihilo vocarit Lucanus

— Crinemque tremendi  
Sideris, & terris mutantem regna Cometem. Et Silius,  
— Non unus crine corusco  
Regnorum eversor rubuit lethale Cometes.

De nupero verò Anni 1618. nihil opus dicere, Germania & Belgium nimium quantum flagella ejus adhuc sentiunt. Tot igitur exemplis convicti audacter scriptores olim pronunciant:

Manil.  
Claud.

Lib. 2. c. 7.  
Orthod.

Epist.  
Miscell.

Numquam futilibus excanduit ignibus ather.  
Et numquam celo spectatum impunè Cometem.  
Sancti quoque adstipulantur. Plerumque existunt Comete, ait D. Io. Damascenus, summorum Principum extreum vitæ diem portendentes. Qui tamen haudquam ex eorum siderum numero sunt, que in primo rerum ortu procreata sunt; verum Dei imperio certis temporibus conflantur, rursusq; dilabuntur. Vnde meritò I. Lipsius noster de illo anni 1577. Berchemium suum aliquoquens, Cometam & nos, inquit, per hos dies vidimus, immam, dirum, & facie haud sepe usitatā. Quid portendat, queris? Chaldaeus non sum, nec cali signa cognovi: tamen hoc vetus novi,

Oὐδὲς κομῆτος, ὅσιος δοκεῖ φέρει  
Cui versui magis quam Aristoteli credo, qui hac talia ad causas fortuitas refert & infernas.

Sed non existimo Aristotelem adversari. Nam exhalationes illas elementorum fortuitas, ex quibus Cometas

con-

conciannat, sapientior est quam ut manibus divinæ providentiae velit subducere. Sed de providentia ista, paullò post. Non omnes tamen Cometæ infausti ominis esse putantur.

Nam illum qui post necem Iulij Cæsaris, ludos Veneri Genitrici celebrante Augusto, horâ diei undecimâ effulgit, tam sibi faustum credidit, ut coli eum in Templo publicè edixerit Augustus. Et Seneca, alterum initio Neroniani Principatus (quem latissimum vocat) exortentem, Cometis ceteris detraxisse infamiam dicit. Quid ita? Lib. 7.  
Nat. c. 17.

Quia, credo, mors Neronis non respondit. Sed profectò, vel ideo infaustissimus, quod pestem illam humani generis non sustulerit, & tot illustrium virorum, & in ijs Seneçæ ipsius cedem non præverterit. Interfaustos etiam numerari potest ille anni 1607. qui Belgis duodecim annorum inducias tulit. Sed ecce tamen tunc statim arma in Cliviâ & Iuliaco suscitata, exitu, sine herede relicto, defuncti Principis. Ita fit profectò. Si Orbem terrarum universim circumspicis, lata semper alicubi cernes permixta tristibus; nec ullum credo tam nocentem Cometam fuisse, qui nulli Regioni parceret; imò qui multis etiam non potuerit videri nova gaudia attulisse. Qui enim victor est lugubris, victori in bello est lætus.

Sed non in istum tamen, puto, finem, sed ad luctum & tristia mittitur. Solet enim benignissimum Numen, ubi mensura flagitorum nostrorum ad plenitudinem venit, & vindictam hic potius temporariam quam aeternam parat, naturalium istorum effectuum occasione uti, & terrorre illo ad poenitentiam & sui respectum convertere.

Itaque cum Clar. nostro Thomâ Fieno, in Cometâ anni 1618. nego, Cometam, maximè cælestem, calamitatum physicam causam (quomodo enim exhalatio illa, sive Sole tantum perfusa, sive ignis etiam est, ex illo intervallo tantum efficere valeat?) Non nego tamen, signum ex institutione divinâ esse; quod omnium temporum historię affinavit. Igitur Cometa res quidem naturalis est, ut Iris;

utraque tamen supernaturalem à Deo significationem habet. Et hoc verba ista D. Damasceni, *Cometae Dei imperio certis temporibus confluant, rursusque dilabuntur, duci possunt.* Dicitur enim specialiter effectum illum, et si naturalem, producere Deus, quem ex meo arbitrio mittit & destinat ad finem planè extrinsecum, quod causæ talis effectus naturales, nulla ratione aspirare possunt. Ut alii cibi dicit, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fæderis inter me & inter terram.* Arcum tamen istum non solus, & digito suo depiugit, sine penicillo radij solaris, qui concaussa ejus est, & quidem pure naturalis.

Gen. 9.

Lib. I. c. I.  
Variet.

Aristoteles tamen autumat Cometas esse signum naturale ventorum & siccitatis; non quia efficiant, sed quia exhalationes aliæ plurimæ & confertæ, quæ una cum materia Cometarum, è terrâ (quam arentem, ideo & exsuc-  
cam destituunt) in aëra scandunt & miscelâ suâ inqui-  
nant. Inde enim mors imbecillium, inquit Cardanus, qui non  
exercentur, qui curis multis distrahabuntur, qui cibis delicatoribus  
utuntur, qui Veneri indulgent, quicq; facile agrotant, & ad se-  
nium inclinant, & parum dormiunt. Tales igitur cum sint multi  
Principes, mori aliquem eorum, in quem omnia hec magis conve-  
nerint, plerumque contingit. Adde, opinione illâ nocituri  
& in mortem ipsorum missi sideris, perturbari aliquando  
fortè Principes, cum valetudinis jacturâ. Sed imbecillæ  
hæ caussæ sunt; & si quid in Cometis sublunaribus fortas-  
se valent, in cælestibus tamen, qui terra filij non sunt, vix  
aliquid possunt. Igitur, aut non potius quam turba vilis,  
cadunt tunc Reges, videnturque tantum, quia sublimum  
casus est insignior; aut certè tal ostento nuntiat Deus  
mortem ab alijs caussis, jamjamque paratis, inferenda.

Porrò ad præslagium & terrorem, Cometæ cælestes  
magis idonei sunt elementaribus. Cum enim altissimi &  
in omnium oculis fulgeant, latius & ad plures Numinis  
metum spargunt. Colorem etiam huc referre aliquid pu-  
tant. Atrati enim aut saquianentes, Saturniij aut Mar-  
giales existimantur, & argenteis illis ac Venereis nocen-  
tiores.

tiores. Fixæ deinde quibus Cometes subrepit, item aspectus Planetarum mutuus, & Signum ubi ortum & incubacula habuit, non negliguntur à divinatōribus. Barba denique aut cauda censetur mucronem intendere in eam Provinciam, cui dirissimè minatur. Verū hæc incerto fundo concepta sunt & nimisquam vacillant. Barbam enim in hoc aut illud cæli punctum dirigit, quod contigerit opponi Soli. Sol quippe, caput, & Barba Cometæ in eadem linea circuli maximi ferè sunt. Et necdum satis expertum est, an Deus cuspidē illâ Barbæ velit ostendere, in quam maximè partem desævitura sit ira. Sed ad quos ergo pertinere debet metus? inquies. Dico, ad omnes & universos; quia omnes peccamus. Est tamen, cur ijs cerebrius arteria micet corque palpitet, qui pluribus aut gravioribus sceleribus sunt cooperti.

Hoc etiam festinanti ferè exciderat. Keplerus in libro Cometarum anni 1607. & 1618. censet Cometas causas esse turbarum sublunarium, per sympathian quam elementaria cum Cometis & cælo habent. Vnde Sebastianum Lusitaniz Regem à Cometâ anni 1577. stimulatum, ut in Africam & suam perniciem traiiceret. Facultas Mundi sublunarî, inquit, Cometam persentiscit & obstupescit, unaque facultates ceteræ omnium rerum sublunarium. Ac deinde: Facultas telluris insolenti Cometæ apparitione consternata, uno terrestris superficie loco multum exsudat vaporum, pro qualitate illius partis sui corporis. Hinc diurna pluviae & eluviones. Quæ ridenda paullominus hic scio; quia ad istam sympathian, oporteat unam & eamdem cæli & rerum elementarium esse animam. Sic enim anima pedis cum dolorem percipit in pede cor suum contrahit, per sympathiam, quia eadem est in corde. Deinde quodd Keplerus terram ingens quoddam, & siderum etiam ac Cometarum intelligens animal facit, non dubito palam à modestissimis etiam decachinnandum fore. Et reverà Vir ille in Mathesi tantus, tanq; pertinaci tot jam annorum quibus in eodurat, de Telluris anima & animali motu, paradoxo, magnam ceteræ sci-

tiæ suæ aspergit labem.

In summa igitur, de Cometarum prognosticis sic sentio. Materiam eorum ex corporibus elementaribus, & fortasse etiam cœlestibus, per solem & caussas alias naturales educi. Sed caussas istas naturales ita à divina sapientia & providentia sic ab initio Mundi dispositas esse, ut tum ex ipsis naturaliter Cometæ nascantur, quando Deus imminentium malorum admonere vult mortales. Veluti enim totus Mundus in habitationem hominum conditus est; ita singulæ ejus partes, tanquam magnæ familiæ supplex, sic compositæ & dispositæ sunt, ut ad usum commoditatemque inquilini spectent.

Vnde non solum Cometarum ortus, sed etiam tam regulares & solemnes siderum eclipses, à cœlestium motuum ordinatore sic moderari & modulari possunt, ut in ea tempora incident, quando ad aliquid divinitus significantium utiles esse valeant. Ut proinde dubitem, an infausti ominis opinionem fatis diluerit Claudius Cæsar, qui cum Natali eius defectus Solis futurus esset, veritus ne quis inde tumultus existeret, ait Dion, publicè ediderit, non modo futurum illud deliquium, & tempus, & quantitatem eius; sed etiam caussas ob quas necessarium eventurum esset. Quia nempe Luna respectu aspectus nostri rectâ sub solem ventura esset, ac infra eius radios curreret, splendoremque eius, qui in terram defertur, absconderet. Nam etsi caussa ista & effectus sint naturales, Deus tamen qui cœlestis horologij rotas & motus regit ac temperat, ita olim in antecessum, calamitatum tempora providere & disponere valuit, ut eas solis aut Lunæ comitarentur eclipses. Quorumnam tamen hominum distinctè & in particulari designentur clades, in abdito divinæ sapientiæ est, nec certò hoc attingere Astrologorum conjectura potest.

Quod de solemnibus luminarium eclipsibus dico, etiam ad infuscationem illam extendi debet, quæ maculis seu astris Borbonijs densiori cœtu & agmine Solem subeuntibus, rarius evenit. Ad talēm Solis offuscationem refero quod.

quod narrat olim Tertullianus: *sol in conventu Uticensi, ad versus Christianos, extincto panè lumine, adeò portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati positus in suo hypsomate & domicilio. Habetis Astrologos.* Nec valde me erraturum putem, si in similem omnium gregatim Borboniorum sub solari facie coitionem, in totum, vel partim referam colorem illum lugubrem, quo inter prodigia temporum Antichristi S. Ioannes Solem tinctum & extinctum vidit. *Sol, inquit, factus est niger, tanquam saccus ciliatus.*

Etsi autem ordinarijs istis naturæ effectibus sapiens & sagax Dei providentia, ad futurorum malorum significatus, & mortalium terrores, utatur, quandoque tamen, non expectatis caussis naturalibus, aut ipse immediatè, aut Angelorum operâ insolentes Cometarum facies, vel aliquid aliud præter solitum naturæ ordinem in elementis, vel cælis, ad majorem admirationem, & tremefacienda panico quodam terrore corda mortalium operatur. Talis, ut opinor, Cometes ille xiphidias, gladio similis, qui per totum annum supra Ierosolymam, Iosepho teste & vidente, pendit, antequam à Tito excideretur. Tale illud Anni 1499. portentum quo Luna circa Occasum mutata est primò in nigredinem, post in duas divisa partes, quarum una alteri insultabat retrorsum, utraque rubidine conspersa. Vnitæ postea & tanquam unâ occidere. Insecutæ multæ confœderationes. Et Nobiles qui Anno 1496. confœderationem iniverant, Regi Romani- rum se opposuerunt. Talis quoque redditus umbra per decem gra- dus retrorsum, quibus iam descenderat in horologio Achat. Tale & illud in stella Veneris portentum, quod à M. Varrone accepit, & credit S. Augustinus. Nam Ogyge Rege mutasse dicitur, ait, colorem, magnitudinem, figuram, cursum: quod fa- etum neque antea, neque postea sit.

Si denique me interroges de stellis, quas Christus & discipulus ejus Ioannes, ac ante ipsos Isaías, inter ultimas Mundi calamitates, de celo casuras super terram, sicut sicus emittit grossos suos, cum à vento magno moveret, prædixerunt;

B b 3. dicam

Ad Scapul. c. 3.

Lib. 7. e. 9.

Lintur.

Reg. 20.

Matth. 24.  
Apoc. 6.  
Ila. 34.

dicam stellas elementares de genere Cometarum futuras, quibus insolenti & numerosissimâ multitudine tunc cælum totum collucebit, nec ceterorum Cometarum more, in cineres suos paulatim consumentur, sed ad prodigij terrorisque incrementum, integri & flagrantes in terram usque decident.

## C A P V T I V.

*De proprietatibus Cometarum.*

RÆCIPVÆ, & quæ in difficultate insigni, sunt color, figura, magnitudo, motus. De colore tamen, uno verbo absolvo. Tota enim diversitas venit à materiæ opacitate aut transparentiâ. Hæc enim transparentia radium Solis resolvit, digeritque in clarum & argenteum colorem; opacitas astringit, declinatque in ruborem, aut etiam quandoque infuscat in atrum. A figurâ sumuntur omnes species Cometarum. Aristoteles duas tantum recenset, Crinitum ( qui propriè Cometes, sparsis in orbem commis ) & Pogoniam, sive barbatum : ad quas reduci possunt omnes, quas Plinius ad decem multiplicat. Quicunque enim comantes & rotundi, proprij Cometæ sunt, alij Pogoniæ quidam vocari possunt.

Lib. 2.c.25.

Ad Cometen ergo pertinent, Δισκοῦς; qui colore eletri, & figurâ disci, ratos crines è margine mittit. Πύρην, doliari figurâ, in concavo, fumidæ lucis, inquit Plinius. Λαμπάδια, facis ardantis æmulus. Ἐπιτόῦς, qui equinas jubar celerrimi motûs, atque in orbem eentes imitatur. Αργυροχόμης, argenteo crine ita refulgens, ait Plinius, ut vix contueri liceat, specieq; humanâ Dei effigiem in se ostendens. Quæ verba nebulae sunt. Et nescio, an ad Cometen, sive stellam, quæ Magorum ad Christi incunabula dux fuit, referri non possint. Fortasse enim fama, & res fuit, sub

Aug<sup>z</sup>

Augusti Principatu, Cometam in Oriente & Iudeâ visum, in quo imago pueruli expressa, quem Christiani dicserent hominem Deum. Certè, dum cetera cælestis hujus Nativitatis admiranda cogito, hoc non pro maximo, sed in minimis, ducere non vereor.

Hi verò ad Pogoniarum classem spectant. Ξιφίας, brevi & in gladij mucronem fastigiato crine. Hic autem omnium palliissimus est, ait Plinius, & quodam gladij nitore, sine radijs. Αὐχετίας, jaculi modo vibratus, ocyssimo significatu. De tali Titus Imp in quinto suo Consulatu, præclaro carmine scripsit. Nec aliud Cometa post hunc visus est Plinio, qui cinere Vesuvij suffocatus brevi illo Titi Principatu. Κεφαλίας, cornu speciem habens. Qualis fuit, cùm Græcia apud Salamina depugnavit. Λογχίτης, hastæ effigie. Qualis anno v. c. CCCIIIC. Caudatus autem à Pogoniâ, sive barbato, non distinguitur. Solus enim aspectus ad Solem facit hanc differentiam. Nam si raptu primi Mobilis manè prævertat Solis ortum, barbatus est, quia cincinnus prior supra horizontem surgit, & spectat in Occasum, ut novissimus iste anni 1618. Si verò vesperi in hemisphærio nostro relinquatur ab occidente Sole, caudatus erit, & syrma trahet retrò, ut alter anni 1577. de quo tam multa scripsit Tycho. Caussa est, quod cauda, sive barba plerumque aut semper jaciat in partem Mundi contrariam Soli. Sed hæc crinium & barbarum materia spargi debet in longiorem disputationem.

## ARTICVLVS I.

*Caussa barbarum & villorum in Cometis.*

**R**OTHMANNUS, & plerique vetustiores existimavunt, barbas Pogoniarum, esse tenues & villosos capitis floccos, huic aut illi parti, temporibus scilicet, occipiti aut siucipiti, casu adhaerescentes: Keplerus, & Snellius, effluvium quoddam esse, quo materia capitis se exonerat in partem à Sole averlam.

Dico

Dico Primo: Negari non potest, quin in Cometis, tamen sublunaribus quam cælestibus, tam ardentibus quam solâ siderum luce conspicuis, flocci quidam rariores dependere, & crinire quasi capita possint. Patet exemplo saltantium capraturum, & quia Cometæ omnes in circumferentia magis fungosi & lanares, quam in centro capitum apparent.

Secundo: Caudæ pleræque omnes illæ longæ, barbæ, jacula, hastæ, sive quo alio nomine censeantur, radij solares sunt per cerebrum (ut sic dicam) capitum Cometæ transverbérati. Ita Appianus, uterque Gemma, Tycho, & plerique jam universi. Probatur, quia in omnibus Cometis, qui à centum jam amplius annis effulserunt, observatum est, caudas à Sole avertisse. Igitur signum pænè evidens, radios per medium transadigi, & aversâ parte exire. Primus autem qui hujus rei publicum indicium fecit, ceterisque oculos aperuit, fuit noster Petrus Appianus, ut Tycho & Gemma Phrysius testantur. Hic deinde in octo continenter idem obser-

*Gemma in vavit. Hoc enim, ait, jam inde ab anno 1532. à nobis jugiter Radio Altior.*  
 observatum est, quod cauda sive coma semper rectissima procyriatur in contrariam Soli partem. Quod etiam diligenter à Petro Appiano est primo in lucem emissum. Cornelius Gemma, filius ejus, in Cometâ anni 1556. & aliquot alijs, id est, omnibus à se visis, experientiam patris adfirmat & universi quotquot huc usque secuti sunt. Imò talem etiam fuisse caudam illius, Anni 1475. ex historiâ ejus apud Regionalium intelligi potest. Contingebat, inquit, ut statim post Solis occasum, cauda Orientem respiceret: appropinquante međio noctis, respiciebat Meridiem: post medium noctis respiciebat Occidentem. Similis denique caudæ fuisse videtur iste in Principatu Macrini, apud Dionem. Sidus, ait, ab Occasu versus Ortum multis noctibus caudam porrigenſ, gravem nobis perturbationem attulit. Sol enim ante ipsum occidens, caudam ei in Ortum intendebat. Quod verò non in pluribus id Cometis animadversum, oscitantia spectatorum factum est, qui de ingenio caudæ & totâ naturâ Cometarum parum

parum solliciti, vix hilum posteriorum solertiam adjuverunt. Nostra demum & proxima ætas in magnâ curâ rem istam habuit, & ad securitatem adminicula transmittet, quibus fortè pervenier ad hoc arcanum.

Verùm experimenta quædam regeri in nos possunt. Lantgravius enim Hassiæ, inquit Rothmannus, notavit caudam Cometæ anni 1558. decem etiam gradibus deflexisse ab opposito Solis. Et Tycho caudam famosí, Anni 1577. Veneri, non Soli, directe respondisse; quod Snellius etiam in Cometâ anni 1618. initio saltem, factum affirmat: postea tamen ad Solis oppositum se correxisse. Ita denique Michaël Moestlinus advertit in altero anni 1580. qui primò devians, deinde in eundem circulum maximum reduxit se cum capite suo & Sole. Sed paucæ istæ exceptionis legem generalem frangere non possunt, qua se cauda solemniter & ferè constanter avertit à Sole. Caussa igitur alia potius quærenda hujus varietatis. Sicut licet Sole lucente, acerrimè quandoque gelet, non statim idè glaciem à lumine / quod alias plerumq; calorificum esse experimur) dicimus stringi, sed aliam hujus rei caussam solemus investigare. Itaque axis caudæ cometæ, sive linea ducta per medium longitudinem aliquando declinat paullisper in latus, à linea quæ ē centro Solis per centrum capitis Cometæ, in oppositum circuli maximi punctum tenditur; quia radius propter materiæ capitis profunditatem, & variam opacitatem, avertitur ne exeat directe in oppositum. Unde statim initio id evenire solet, quando scilicet cerebrum Cometæ maximè opacum est, crudum, & indigestum. Vbi autem opacitas se pallisper diduxerit, & laxaverit exitum, radius tunc emicat in directum. Hæc eadem videtur caussa, cur cauda sub principium ortus Cometæ, non effundatur statim prolixissime: quia, inquam, radij solares cunctanter, difficulter, & malignè per obstantia & nimis adstrictam capitis opacitatem eluctantur. Postea vero, digesta nonnihil materiæ, longius se ejaculantur: donec

halitu rarescente, & vanescente, accidatur paullatim cauda, & tandem unà cum capite exspiret.

Quòd autem caudæ axis aliquando in oppositum Veneris exeat, ideo fortè est; quia Venus argenteâ & satis uberi luce, propinqui Solis radium juvat, unaque se per Cometæ caput transfundit. Non fuit etiam verum, Cometam anni 1558. tot gradibus à Solis opposito divertisse. Nam Cornelius Gemma Lovanij eodem tempore, quo Lantgravius Cassellis, eum observavit, caudamque fermè in oppositum Solis spectasse dicit. Et Tycho Gemmæ potius credit, suspectatque Lantgravij observationem; quia Torquetum, quo usus, vidisse se, & vitiosum deprehendisse affirmat.

Ex superiori etiam doctrinâ, non difficulter intelligi potest, cur aliquando cauda discindatur, & in ramos plures se spargat, quod in illo anni 1577. Cornelius Gemma tradit. Cur etiam aliquando subito in caput retrahatur, & iterum se explodat, ut in novissimo anni 1618. semel factum Cysatus asleverat. Hæc enim omnia dispositio partium capitis Cometæ, item agitatio & motus, quo nunc viam radijs obstruit, nunc rursum aperit, efficere valet. Similis causa Pogoniam in proprium Cometen, aut retrò, transformare potest. Ita Olympiade cviiij. jubæ effigies mutata est in hastam, ait Plinius. Generatur quippe in orbem undique crinitus Cometes, quando radij confertim & universi caput pertundere non possunt, sed hanc illac disperguntur, & rebulliunt in superficiem eamque coronant. Evenit autem aliquando, ut qui initio materiam non perruperint, postea halitu se dissolvente, viam reperiant.

Alio etiam modo è crinito Pogonias, aut contrà, fieri potest. Per accessum videlicet, aut recessum à Sole. Si enim Cometes Soli oppositus secundum Zodiaci longitudinem fuerit, sine syrmate aut barbâ, capite tantum comanti appareret; qui tamen motu proprio ad Solem, barbam paullatim promittere incipit, aut egerere caudam.

Sicut;

Sicuti retrò, sit ut barba sensim attondeatur, quò propius ad oppositum Solis accedit. Id enim Tycho in Cometā anni 1580. & Rothmannus in anni 1585. notavit. Hic enim ubi ad oppositionem pervenit, perfectus Cometes factus est, cano capite, dependentibus undique villis. Ratio esse deber, quòd & radij Solis per tantum intervallum trajecti, debiliores, & si quis est, prolixior cincinnus, per capitis verticem directè in cælum è regione Solis exeat; ut non facilè à nobis hinc cerni valeat, præsertim si Cometes fuerit valdè excelsus. Caput enim tunc cirro comæ in altum surrecta obstat, ne prolixitas ejus à nobis videri possit. Deinde situs ille stans & in cælum erectus etiam impedit. Nam columnā etiam longissima, si oculo sit multò altior, brevissima tamen, aut etiam in globum contracta procul intuentibus apparet; quia rectitudo ejus non satis longitudinem suam ad oculum explicat, cùm omnia longitudinis puncta sub acutissimis Angulis conspiciantur. Et hinc etiam sit, ut talis Cometæ caput, caudā suā, tanquam coma orbiculari & coronante involutum esse videatur.

Hoc etiam argumentum ferè mihi effugerat, quo nuper in Cometā Anni 1618, ostendi barbam radiorum solarium fascem fuisse. Die enim duodecimā Decemb. mirabat horā nonā, decimā, & porrò ad mediam noctem, ne pilum barbæ sub rotis Plaustrī à me videri, ubi tamen manū prolixissimam conspiceram. Tandem verò post mediam noctem, cùm Sol, & Cometa qui Solem paulum antecedebat, ad horizontem nostrorum Ortivum reverti inciperent, barba juxta Plaustrum paullatim redire & formari coepit, tenuissimo primū & albente tractu, ut planè matutina crepuscula solent: qui tamen procedente incremento sensim incendebatur, quò propius Cometæ caput & Sol ad horizontem & ortum accederent. Dixi tunc, nec jam muto: hoc argumentum nullā specie eludi posse, quin evincat, barbam illam radios Solis fuisse per Cometæ cerebrum cuneatos. Nulla enim alia vel apparens causa fingi potest. Ideo autem albentes

illi barbæ tractus tanto tempore auroram prævertebant, quia Cometæ caput longè altius omnibus vaporibus erat qui prima manè crepuscula rapiunt, & nobis ostentant; ideoque necesse erat barbam, quæ ex tali capite per altissimi ætheris spatiæ effundebatur, ante crepusculum apparet. Quid enim aliquid excelsius est, eò citius excritur, atque in oculos venit.

## ARTICVLVS II.

*In quâ materiâ lux illa caudæ Cometarum sustentetur.*

**E**Tiam hoc difficulter extricamus. Keplerus existimat effluvium quoddam exhalationum ex capite Cometæ, à radijs Solis in plagam oppositam expelli, illudque effluvium esse Cometæ caudam, & lucis illius subiectum. Verum cùm radij corpora non sint, quæ instar cuneorum adacta, materiæ partem ante se extundant, sed sint accidentia quæ rarefaciendo solum Cometæ caput tenuiore & leviore spiritu illud exonerant, non est facile intellectu, cur non undique, & maximè per partem capitum Soli vicinissimam, quæ acrius primo ingressu radiorum ura videtur, se spiritus illi exspirent. Deinde, quomodo caput non statim excerebratur & evanescit tam largo & perpetuo multorum dierum effluvio? Certè enim Cyfatus barbam Pogoniæ anni 1618. aliquando spatium 445. terræ semidiometrorum, id est 382700. mill. Germanicorum occupasse putat; adeò ut totum terrarum Orbem septuagies potuerit circumligare; cùm tamen caput, unde flumen illud effundendum erat, non supra 550. mill. Germanica habuerit in circuitu. Denique, cur cauda illa tenuissimis spiritibus contexta, capite unde expellitur toties levior, non resupinat se sursum & supra caput erigit se semper in cælum?

Alij ergo malunt, inter exhalationes & strigmenta ætheris latissimè circùm diffusa, caput Cometæ incedere, iisque velut innatare. Hæ autem exhalationes licet riores

riores sint & magis transparentes ipso capite Cometæ; reliquum tamen ætherem densitate & opacitate vincunt, ideoque lumine Solis colorantur. Sed quare igitur, inquietus, color iste non undique in orbem circa Cometam sparsus appetet, cum tota illa exhalatio lumine per fundatur? Respondet ingeniosè Licetus: Quia à fronte, quâ Cometa respicit Solem, & à lateribus opacitas exhalationis nimia luce diluitur, ut reliquo ætheri similis esse videatur; non ita trans Cometæ caput, ubi umbra capitis opacitatem exhalationum quodammodo intendit, ideoque lumen in umbratum irruat, ut nigriori & à circumfluo æthere specie discolori appareat. Indignor profecto, tam pulchram rationem, falsitatis mixturâ esse deformatam. Nam quantum hîc cernimus, remissius in umbrâ lumen, specie rufi minime se oculis obijcit. Et deinde, cum Cometarum plerumque capita orbe solari longe sint minora, umbras jacent pyramidales, latissimas statim à capite Cometæ, consumentes se deinde paullatim & finientes in conum. Quod tamen minime respondet figuris caudarum: quæ imagine potius scoparum plerumque visuntur, in exitu capitâ angustissimæ, ubi thyrsum satis gracilem habent, in fine vero dispersæ in muscarium. Itaque in oppositam totâ diametro sententiâ (pedentim tamen & morose, ut in re anxiâ) discedimus. Nempe, plurimam & uberrimam lucem, à radijs Solis intra cerebrum capitâ Cometæ refractis & aggregatis, caudæ putamus infundi. In nodum enim quasi unum contricantur radij in materia capitâ quæ tenuissimâ veluti scobe & ramentis infinitisque superficiebus, lumen sibi invicem dantibus redditibusque, constat. Radij tamen Solis non toti in illâ capitâ materiâ hærent & consumuntur, sed longius in caudam traiiciuntur, adjuti insuper & intensi à luce secundaria quæ capiti adhæsit. Cauda vero è capite, æquali circiter cum ipso latitudine emicat, deinde radijs se diffecantibus rarescit & dispergitur, eo ferè modo, quo cælo post pluviam adhuc guttante

& substillo, Sol per quædam nubium formina, radios & virgarum veluti fasces effundit, in exitu strictos & compressos, sed paullatim se diducentes & spargentes usque ad terram.

Sed quomodo in raro & liquido æthere appare po-  
test lumen caudæ? Quia, opinor, minima densitas sufficit  
ad reflectendum huc usque illud lumen. Quod exemplo  
istò credibile ostenditur. Nam color ille cæruleus, quem  
putamus habere in fornice cæli, lumen est ab altissimo  
aëre, sive æthere ad nos reverberatum, non autem Fir-  
mamenti, aut etiam Empyrei fulgor, ut quidam Theo-  
logi nostri nimis simpliciter crediderunt. Nam licet una-  
quæque pars illius aëriæ profunditatis paucum nec satis  
sensibile lumen hue reflectat, universæ tamen simul in  
unam summam tantum conferunt, quod possit cerni.  
Quia verò deinde plurimæ minutæ umbræ & infinita-  
rum partium aëris, etsi modicæ opacitates se adjuvant, &  
quasi in unam confunduntur, ideo lucem, quæ alias can-  
dida est, in colorem cæruleum declinant. Si autem con-  
tingat tractum aliquem ætheris uberiori & velut inculca-  
to lumine perfundi, ut in Cometarum caudis usu venit;  
tunc discrimen illico se prodet, & interlucebit ille tra-  
ctus candoremque suum in cæruleo aut virenti utrimque  
ætheris campo ostendet.

Sic ergo caudas barbasque Cometarum colorari ima-  
ginor. Adde jam, non ambiri Cometam purissimo æthere,  
qualis ille quem serenissimo cælo, nos cæruleum, Plinius  
viridem, appellamus; sed multos exhalationis rioris flo-  
culos, vel tenuissimum pulvisculum qui capite exspiratur,  
ei circumfundи. Hic autem pulvisculus extra caudam  
Cometa lumen Solis non ita plenè, ut insigniter luceat,  
bibit, sed siccius & dilutius quam cauda, quæ & à capite suo  
& à Sole abundantius perfunditur. Hæc tamen non om-  
nino mihi mentem implent. Da tu aliquid plenius & me-  
lius, si potes, & avidè accipiam.

Sed fortasse hæc in genere eorum sunt, de quibus mo-  
net

net sapiens, Altiora te ne quasieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ praecepit tibi Deus, illa cogitas semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Rerum enim istarum naturam scientia ad æternam felicitatem necessaria nobis non est, & quæ Gentiles olim Philosophos evanescere fecit in cognitionibus suis, etiam multos hodie Christianos inflat, & vanitate in altum levat.

Eccl. 3.

Rom. 1.

## ARTICVLVS III.

## Caussa curvaturæ caudæ in Cometis.

**C**VM ex Opticâ doceamur, ait Keplerus, radios luminosos, arcus non esse, sed lineas rectas; curvatura syrmatis Cometarum in motum materiæ è capite in caudam ebullientis referenda videtur. Sed non mihi. Nam veluti fumi & spiritus incendio exhalantes non uno modo sinuosi sunt, sed in variis spiras & figuræ se torquent; ita caudæ Cometarum non eodem schemate curvæ aut directæ tot diebus permanerent. Cauda Cometæ anni 1618. initio Decemb. cum primùm vidimus, in Austrum falcata erat, directæ se deinde, postremò concavum obverrit Septemtrioni, & sic porrò perseveravit in finem. Similis ferè mutatio accidit in caudâ Cometæ anni 1596. & 1580. & 1577. Imò Keplerus, nec sine ratione, existimat curvaturam seu gibbum caudæ, constanti lege ad eam Mundi plagam extuberare, in quam tota cauda ab opposito Solis deflectit. Adeò, inquit, ut deflexus cauda à Solis diametro, nihil aliud quam pars curvaturæ sit. Hæc ergo caudæ sinuatio tribuenda non videtur turbido & incondito effluvio materiæ è capite Cometæ.

Guiduccius refractioni potius imputat: quomodo etiam remus in aquâ incurvus appetet. Sed aliud reperire oportet. Nam sic juxta horizontem, ubi major & plenior vaporum abundantia, maximè curvam & arcuatam esse oporteret. Non est tamen. Imò non alibi, quam circa horizontem;

Astron.  
Optic. c. 6.  
nu. 13.

rizontem, caudam Comæ anni 1618. Cysatus & ego directorem aspeximus. Rectissimo enim radiorum tractu surgebat, qui paullatim in ascensu versus Meridianum se falcabat. Nec in hoc tantum, sed solemne etiam fuit in ceteris Pogonijs.

Tycho ergo & Cysatus censem, reveræ caudas omnes rectas esse; arcuatas tamen videri, quia pars una oculo vicinior, obtusiori angulo, altera remotior, acutiori certinatur. Ita enim in tabulato aliquo quod oculus suspicit, pars capiti imminens, altior, quam alia remotior, apparet. Nam oculus in totâ tabulati longitudine duo puncta æquæ distantia non reperit, sed remotiora acutiori angulo, ultimum verò acutissimo omnium conspicit. Quod proinde pavimento propinquissimum appareat, licet totum tabulatum rectum & horizonti ac pavimento parallelum sit, ut ex Vitell. lib. 4. theor. 31. sumi potest. Sed hoc difficultatem non exhaustit, immo integrum & plenam relinquit. Explicat enim solùm, quomodo pars caudæ horizonti vicinior, depressior & terræ magis admota apparet, curvaturam in Austrum aut Septentrionem deflexam non expedit. Nec caussa ista adhiberi potest curvitati illi (quæ tamen est maxima) quam Cometa per verticem transiens, dum in Meridiano ipso jacet, ostendit. Denique sunt, quibus satis est, curvaturam hanc, similitudine candelæ celeriter per aërem raptæ, depinxisse. Motus enim iste, flammulæ pyramidem sinuat, & conum retro reflectit. Sed frustra. Sic enim semper curvatura caudæ à linea motus se averteret: cum tamen caput Cometæ & caudæ cuspis arcum aliquando faciant circa nervum per quem Cometes rectâ incedit; ut in illo anni 1618. vidimus. Item si cauda radij Solis sunt, defendi ista opinio non potest. Quid ergo dicemus? Ignorantiam hic fatebimur (quod ingenuè faciunt Tycho & Keplerus) & latè etiam caussam in Naturæ arcanis? Aliquid tamen, ne obmutuisse videamus, leviter conjectemus. Quid si quispiam quandoque, è cælesti aut aliâ exhalatione,

lenis

Ienīs ventus barbas illas affando finuet? Quod tamen non omnino placet. Quia aliās etiam Cometæ caput fluctuat, & barba in unam eandemque curvaturam tam pertinax non esset. Quid si igitur ( ut in caudis longis avium, & præsertim picarum, cernere est ) quædam radiorum pennæ, in latere hoc aut illo medijs breviores, ante finem caudæ deficiant? Ibi enim latior, & gibbo quodam intumescere cauda apparebit. Sed cur tamen in opposita parte sinum facit, & se cavat? Accipe hoc, & abi, neque pluribus ignorartiam meam interroges. Quia radij in illa caudæ aut barbe concavitate nulli, aut rariores sunt quam ut evidenter, sicut ceteri densiores, videri à nobis possint. Cavitas igitur ibi appareat, quia ista caudæ pars floccis quibusdam magis discinctis & rarioribus constat, ideoque tenui & semiplena luce oculos non aliter feriunt, quam ceteræ partes aetheris cærulei & nigrescentis. Hinc enim est, ut non statim à capite, ubi radij magis compressi & uberiores, sed aliquanto post, & circa medium caudæ sinus & curvatura insignior se aperiat. Sicut ergo longitudo aut brevitas; ita rectitudo & curvitas, omnisque alia figuratio caudæ, à capitis interna dispositione provenit. Prout enim radij Solis in cerebro, ut sic dicam, Cometæ franguntur & intricantur, tali schemate & figurâ ex aversâ parte in syrma caudæ egerantur.

Sed quam neque hoc, neque quidquid aliud cogito, mihi intellectum in tranquillo ponit! Ite nunc mortales, & acie istâ humani intellectus, rimamini & penetrate di-  
vina, quam unius etiam Cometæ barba vobis hebetat & obtundit. Verè mirabilia opera Altissimi, & gloria, & abs-  
consa! Hic fructus Philosophiæ nostræ, & studij quod in  
omnem Mundi partem mittimus; confessio inquam, im-  
becillitatis, & spontanea intellectus nostri in tenebras  
Fidei divinæ abjectio, quem alibi ferè ubique etiam sic  
caligantem experimur. Quid in arcanis illis & abditissi-  
mis divinæ Triadis, Incarnationis. Eucharistiæ, Præde-  
stinationis recessibus evidentiam à me exigis, quam in  
uno Cometæ, imò tuæ barbæ crine, mihi præstare  
non potes? Dic enim, quâ materia è mento suspendas

Eccl. 12.

illam barbam? Dic, quæ cauſſa, ubi criniſ ē cute emi-  
cuit, duritiem iſtam ei faciat & colorem? De hac enim la-  
nā caprinā animosē rixantur Galenus & Argenterius, ce-  
teraque columna Medicorum. Quam ſubſtantialem for-  
mam in barbā tuā collocasti? Fateberis, ſcio, ignoran-  
tiam tuam. Sed audi, quid magni Medici hīc autument.  
Plurimi barbam inanimatam putant, multi vegetativam,  
Fienus noſter rationalem etiam animam ei donat. I jam  
noctua, & iſto oculo cælum & Solem poſtula inſpicere.  
Nec tamen ideo ſtatim effodiendus eſt, quod Athei &  
ſcelerati quidam faciunt. Humanæ, inquam, mentis im-  
becillitatem in mortalitatē ejus ducunt. Scilicet, quia  
Angelis pares non ſumus, ſuppare manere non poſſumus,  
ſed ad porcos ſtitim, cum ſocijs Vlyffis deſcendere oporteat, & intrare haram. Audiamus veracem potius & cæ-  
leſtem linguam. Minuisti eum paullō minūs ab Angelis, gloria  
& honore coronasti eum, & conſtituisti eum ſuper opera manuum  
tuarum. Ita eſt, non tam acutūm quām Aquilæ illæ cæ-  
leſtes, quām Angeli, inquam, cernimus; noctuae tamen  
plurima in tenebris noſtriſ videmus, quæ non poſſunt  
oculis & omni luce humanæ rationis capti talpæ. Cogi-  
ta quam multa de cælo & Mundo, Deo & Angelis, præ-  
teritis, præſentibus, futuris, æternitate ipsâ, virtutibus  
& vitijs philoſophemur, & infinitum inter nos & totum  
brutorum genus intervallum deſpicies, nec ſalivam conti-  
nebis, quin impurissimo Epicureorum iſtorum ori in-  
ſpuas. Digni medius fidius, qui cum Nabuchodonofore co-  
medere fœnum, aut cum Afino Apuleiano ſarcinas dorſo  
geſtare cogantur. Nos homines eſſe perſeveremus.

## ARTICVLVS IV.

## De motu Cometarum.

**C**ometarum motus poſteſt eſſe verus, vel apparens.  
Apparere enim moveri Cometæ elementares igneſ  
poſſunt, licet revera non faciant, ſi exhalatio una aliam  
accendat,

accendat; ut in stellis discurrentibus est explicatum. Ita fortasse aliquando Cometæ visi ad terram decurrere, aut subito & diffuso incendio comprehendisse magnam cæli partem; nisi hoc tamen factum trajecto derepentè per caput Cometæ radio solari, & in cincinnum aut profusas comas disperso; cum antea capiti intricatus se extricare & effundere non posset.

Veros motus plerique Cometarum duos habent. Primum ab Ortu in Occasum, secundum primi Mobilis & aëris sive ætheris in quo natant, raptum: alterum, proprium, ab Occasu in Ortum, aut à Septemtrione in Austrum, aut retro, ab Austro in Septemtrionem.

Ab Occasu in Ortum Cometa Vogelini anno 1532. & Tychonis anno 1577. reciprocabantur. A Septemtrione in Austrum, duo à Senecâ, unus sub Claudio, alter sub Nerone, conspecti. Eodem enim Septemtrionis loco enati, Claudianus per Occasum, Neronianus per Ortum deflexit ad Meridiem.

Sed plurimi iter intendunt in Septemtrionem. Fecit hoc magnus ille sub Theodosio, de quo lib. 12. cap. 37. Nicephorus. Alter item anno 1475. à Regiomontano celebratus, & alias anno 1533. de quo Gemma pater, in Radio Astron. *Vidimus*, inquit, *Cometam anno 1533. in Iulio, ab Hirci sidere secundum via Lactea ductum, motum per Cassiopeia sidus, hoc est, simul in præcedentiâ Signorum, & longe in Boream.* Talis etiam ille initio saeculi lapsi visus à Vico mercato ( annum non signavit ) qui juxta Virginis Vindictricem natus, inde in Septemtriones elapsus, volvitur inibus Draconis implicitus exspiravit. Talis denique nuperus & famosissimus noster anni 1618. Et simul observo plerosque affectare iter per Booten & Ursam maiorem. Aliqui etiam juxta Polum exorti, per medium ipsum transgressi in partem alteram. Ut ille apud Clau-dianum, de Bello Getico:

*Qui primū roseo Phæbi prolatus ab Orta,  
Quā micat astrigerā senior cum coniuge Cepheus;  
Inde Lycaoniā paullatim expulsus ab Arctō,  
Crine vago, Getici fædavit sidera plaustrī,  
Donec in exiguum moriens vanesceret ignem.*

Sed quæ causa hujus proprij motū? Res iterūm in abditō & nebulosa. Vicomercatus tam simplex est, ut putet ignem Cometæ prioris, quasi per stupam, venā pabuli invitatum, longius serpere, generariq; semper novum perpetuā serie Cometen, non eumdem ex uno in alium locum transgredi. Sed si universim ita est, numquam diu sub eodem circulo maximo Cometa incedere parebit; sed incerto & fluctuanti motu huc illuc, quo materia vocabit, discurrere ut volantia sidera solent, videbimus.

Rothmannus, nec displicet Tychoni, Angelo Cometæ rectori hanc curam adscribit, & unico i&du expedit se omnibus molestijs. Et profecto, si Cometæ motu proprio circulum circa Solem decircinent ut astra Borbonia, imò Mercurius, Venus, & ceteri omnes Planetæ, præter Lunam faciunt; vis post longam fatigationem, aliam caussam reperiam, quam Angelicam manum: nisi fingam, à propriâ formâ moveri. Sed incredibile est, omnes Cometas formâ substanciali differre, qui diversum iter carpunt. Et quidni ergo Angeli qui Planetas regunt, etiam Cometarum (qui temporanei quidam Planetæ) habenas accipiant? Quo fine? inquies. Incerto nobis. Et quā multi alij fines nos latent? Vele certè isto. Ad mortalium terrorem, & impendentium malorum incutiendum metum. Si enim malefici dæmones fulmina in homines, pecudes, domos & templa nostra, tam libenter & avidè jaciant, quoties Deus permittit; quidni benefici Angeli, ut poenas peccatorum temporales aut æternas à nobis avertant, varia iræ Dei signa, & præcipue Cometas, in cælo aut elementis forment, vel aliunde formatos tornatosque, ante ora mortalium ad terrorem moveant & aurigentur? Huic enim certè fini, acies in aëre & nubibus inter se quandoque

que committunt, & futurorum bellorum simulacra in sublimi præludunt.

Verumtamen in Cometis & effectibus istis tam natilibus, ultimum effugium, & ubi nullæ aliæ viæ aut semi-  
te sunt, ad Angelos & caussas occultas esse oportet.

Galilæus & Guiduccius verò hæc conantur perrumpere. Cometam rectâ lineâ à centro terræ in cælum à propriâ levitate portari existimant: nec ullo alio motu circulari quâm raptu primi mobilis, circumferri. Motus autem ille rectus proprius habet imaginem circularis; quia quo Cometa terræ vicinior & majorem parallaxin subit, eo depresso appareret: cum verò ascensu parallaxin diminuerit, versus zenith & verticem nostrum se admovisse judicamus. Imaginem hujus rei tenuem, sed facilem intellectu, in alaudâ ave habemus. Quæ se rectâ in cælum levans, speciem subvolantis circulo cœli maximo præbet. Vbi enim primùm terram deserit, segmento circuli horizon- tem tangentem respondet; deinde paullatim ascendendo, reliquis ejusdem circuli superioribus segmentis subvolare appetet. Idem fit in sagittâ sursum rectâ, ac per axem ip- sum horizontis emissâ.

Hæc sententia prope verum est, sed nondum attingit. Nam, ut recte advertit Camillus Gloriosus, nullus sic umquam Cometa per verticem nostrum transire pareret; quod tamen novissimus iste anni 1618. fecit. Sequens enim oculo, aut imaginatione alaudæ aut sagittæ illum rectum volatum, & ad ipsum etiam Firmamenti forniciem, si vis, extendas, numquam tamen trans zenith & caput tuum ire videbitur. Deinde Cometæ supra Lunam nati, vix uno aut altero gradu sic gressum promovere apparebunt motu proprio, toto tempore durationis.

Itaque verius est, quod Keplero & Cysato nuper visum, Motum Cometarum proprium, trajectorium & transver- salem esse, non circularem aut rectâ sursum. Similis, inquam, est trajectoribus illis ignitorum, quæ non lineâ ad terram perpendiculari, sed obliquâ, &, ut Aristoteles

loquitur, per diametrū quadrati deferuntur. Probatur quia  
hac unā ratione, & cauſa efficiens illius motū, & incelsus  
sub eodem circulo maximo, & quidquid aliud est, quod  
tam impensè omnes admirantur, ut cumq; sic expediri po-  
terunt. Nam sic Cometa à proprio & eum quodammodo  
animante spiritu sursum auferuntur. Obliquè autem, à si-  
mili cauſā, quā trajectiones aliae, ut fulmen & stellæ ca-  
dentes, transversim devolant in terram: id est quia gra-  
vitas in capite Cometæ residua, rixam aliquam bajulo &  
succollanti spiritui tenuiori facit. Itaque Cometes linea  
transversaria per ætherem in altum ascendit, si linea per-  
pendiculari à centro terræ recta sursum educta scandere  
non potest. Medium deinde secundum & nonnihil fortè  
resistens, obliquitatem aliquam creare potest.

Vni verò eidemque circulo maximo subrepere Come-  
tes apparet; quia linea illa trajectoria, recta est, quantum  
saltē hinc ex tanto intervallo cernere licet, & subtensa  
segmento circuli majoris. Imaginare globum tormenti  
obliquè è cælo Lunæ in polum Arcticum explodi, om-  
niumque Planetarum vias traijcere; sub circulo maximo  
& in mediâ semper Firmamenti cameratione volantem  
hinc aspiceres, si sat magnus esset. Existima jam sic ver-  
sus polum Arcticum traijci à propriâ levitate Cometam,  
& quò te deducere volebam, tenes. Interea tamen etiam  
motu ætheris ab Ortu in Occasum Cometes fluit. Nec  
dissolvitur, quia æther tenuissimus est, & facile se dividi  
patit ac cedit. Ita in alvo spaciose navis à prorâ ad pup-  
pim inambulans nullum aëris ibi conclusi renisum expe-  
ritur, etiamsi aër cum tota navi in contrariam ambulanti  
partem tendat.

Initio autem celerrimi sunt Cometæ, quia spiritibus  
tunc magis turgent, & viribus integris sunt; quæ paulla-  
tim deinde hac illac, halitu à calore & radio solari rare-  
scente, se exspirant. Quia verò quandoque circa medium  
durationis plurimi spiritus simul & subito in raritatem  
soluntur, qui antea materia densioris & pignoris erant,  
ideo

ideo in saltus tunc quosdam visi aliquando sunt se con-  
citasse Cometæ. Deinde in principio , quando nempe  
terræ propinquior est , æquales partes lineaæ ejus traje-  
ctoriaæ majoribus circuli in cælo maximi segmentis sub-  
tendi videntur , ideoque Cometæ caput ocyùs moveri;  
ut à paullisper in Opticâ exercitato facilè intelligitur.

Sed quare plures Cometarum in Septemtrionem motu  
proprio nituntur & vadunt? Hic hæreo. Nec scio quî extri-  
cém, nisi hoc sit. Raptus ætheris à Planetis eum secantibus,  
aut si mavis, à primo Mobili ab Ortu ad Occasum, circa  
Æquinoctialem & cæli medium , quâm circa polos Mun-  
di, rapidior est. Hinc Cometa in æthere Zonæ torridæ  
v. g. natus , & eum traijcere sursum obnitens , in latus,  
ubi clementior raptus , & æther veluti stagnans est , sen-  
sim deducitur : sicque levitate Cometæ molliorem tran-  
situm veluti quæridente, ad polos Mundi Austrinum aut  
Boreum submovetur, extra rapidissimi ætheris torrentem.  
Nisi tamen hîc iterum plorare & implorare mavis opem  
Angelorum.

## ARTICVLVS V.

*De magnitudine, & duratione Cometarum*

**C**ometæ primo exortu plerique omnes maximâ  
mole apparent, quia tunc sunt terræ propinquissi-  
mi. Postea carpuntur & rarescente capite, cerebrum &  
spiritum vitamque postremò exspirant.

Si autem veræ sunt hypotheses Astronomorum de am-  
plitudine Planetarum , & inter eorum orbes Cometæ  
quidam cælestes penetrant, non potest fieri, quin hî etiam  
ingenti mole sint, cùm ex tam longiaquâ distantia & facie  
satis amplâ ac insigni à nobis conspiciantur. Hinc Come-  
tam anni 1577. die 13. Novemb. cùm primum ab eo vi-  
sus, eratque apprens diameter 7. minutorum distantia ve-  
rò ab oculo ut putat 210. terra semidiameorum , statuit

Tycho

Tycho bis ferè Lunā minorem , habuisseque in verâ dia-  
metro, millaria Ger. 368. Novissimum autem istum anni  
1618. Cysatus 550. milliaribus Germanicis per ambitum  
capitis circumscribit. Quem proinde duobus vix mensibus  
quis circumcurrisset quotidiano decem milliarium Ger.  
itinere. Diametro autem ejus millaria Germ. 175. do-  
nat. Regiomontanus vero diametrum Cometæ an. 1475.  
ad 16. mill. Ger. Vogelinus alterius Cometæ, anni 1532.  
ad unicum mill. & quadrantem, restringit. Sed Tychoni &  
pluribus videntur aberrasse in metiendâ distantiâ à terrâ,  
ideoq; capitella istorum Cometarū nimium circumcidisse.

Longitudo cometæ etiam est inconstans. Tycho in cau-  
dâ sui Cometæ anni 1577. sex & nonaginta terræ semi-  
diametros (quarum quælibet 860. millaria Ger. conti-  
net) Cysatus in barbâ anni 1618. cum prolixissima fuit,  
quadrinventas quadraginta quinque, id est millaria Ger.  
382700. invenisse se credit. Vnde septuages totum ter-  
rarum Orbem circumligare per circulum maximum po-  
tuit. Suffecit tamen Vogelino, syrmati Cometæ anni 1532.  
millaria Ger. 182. dedisse. Verum quia vera altitudo ca-  
pitis Cometæ, inter variantes tot spectatorum & Astro-  
nomorum sententias, in incerto est, exacta quoque  
longitudo caudæ , aut promissio barbæ est hactenus in-  
compta.

De duratione Cometarum, sic decernit Plinius: *Brevi-  
sum quo cernuntur spatium septem dierum annotatum est, lon-  
gissimum, octoginta. Mendum tamen hic sabeiſſe, & litteram  
C. numero excidiſſe putat Muretus, & Plinium ſcripsiſſe,  
longiſſimum, C. octoginta. Consentienter ſciliſſet magno Se-  
neca, qui lib. 7. Nat. cap. 21. Sex mensibus hic, inquit,  
quem nos Neronis Principatu latiſſimo vidimus, ſpetandum ſe-  
præbuit. Reverà enim hunc ignorare non potuit Plinius,  
qui tunc etiam vixit, & omnia ſcivit. Dies autem 180. sex  
mensium æquant ambitum. Iosephus Xiphiam quem-  
dam toto anno ſupra Ierosolymum pependiſſe narrat, an-  
te ejus excidium. Sed tam pertinax duratio eſt inſolens*

in Cometis. Astra verò quæ novitia, & attonso capite sine comâ fulgent, vitaliora sunt. Nam Cassiopænum anni 1572. solidum annum & trientem, alterum in pectori Cygni annos jam 26. eduravit, apparentque non valde festinare ad interitum. Tota diversitas durationis in materiae contumaciâ, & propinquitate viribusque Solis reponi debet. Tam diu enim Cometes vivit, quâm materia contra digerentes dissipantesque Solis radios se continere valet. Novitia autem sidera longiorem fortasse ætatem ferunt, quia altissima & ipsi Firmamenti concamerationi fermè adhærent, adeoque non pleno illo (uti Cometæ) & urente radio Solis, è vicino perfunduntur; sed extremo solùm mucrone, ac blando insuper Fixarum lacte inalbantur. Porro ætas Cometarum magis solemnis, est trium aut duorum mensium, aut sex hebdomadarum. Tanta enim ferè Cometæ anni 1475. 1577. 1618. & aliorum passim.

## ARTICVLVS VI.

*Quo tempore anni plures Cometæ.*

**O**MNIBUS anni mensibus Cometas quandoque extiri, sed plurimos tamen autumno & hieme, historiarum fide ostendi potest. Caussa obscura: & quæ sine dubio Aristotelem pertraxit, ut Cometas omnes, terrestres esse decerneret, trabium scilicet & caprarum igneos fratres: qui, ut cetera meteora ignita, ideo autumno præcipue visantur, quia multæ tunc æstivorum halituum reliquæ in aëre etiamnum pendent, quas Sol imbecillus & ad Capricornum recedens, absumere, aut dissipare in hoc Mondo Septentrionali non valet, ne in Cometarum nodos coëant.

Et hoc profectò argumentum pro sententia Aristotelis, qui omnes Cometas ignes elementares facit, validum prima facie apparet. Sed tamen bene inspectum, non est; siquidem cum Tychone & tot recentibus Astronomis permittimus Cometas quosdam aut novas stellas ascendere

supra Lunæ orbitam. Tales enim, cùm etiam ad ipsum pænè Firmamenti fornicem quandoque scandant, si Tychoni, Keplero, alijsque credere volumus, non tantum paucis æstatis & autumni mensibus, sed nec annorum multorum spatio, ad illam altitudinem pervenire poterunt. Globus enim tormenti rectissimâ linea & per axem horizontis in cælum explosus, vix annis nonaginta ad Firmamenti contactum pertineret, ut Astronomis quibusdam ejus rei calculatoribus placere video, etiamsi horis singulis milliaria ducenta pervolaret; cùm tamen centum solum & octoginta circiter faciat. Expertum enim est, singulo quoque horæ minuto, tria circiter millia pass. ab eo percurri. Vide ergo, quot annos exhalationem terræ tantò sæpè globo illo lentiore, & transversario non retro motu ascendentem impendere oporteat, ut ad istam excelsitatem, vel dimidiā, aut quartam ejus partem pertingat. Non ergo illa exhalatio quæ initio autumni, aut æstate antecedenti adhuc in terrâ fuit, potest in fine illius, aut post hiemem totam eousque pertigisse.

Deinde Cometae quos autumno hîc adspicimus plerumque non *πτόγασοι* & hujus nostræ terræ sunt, sed è Zonâ torridâ, ut nuperus anni 1618. aut aliunde ad Septemtrionem veniunt. Igitur si exhalatione terrestri constant, non è climate nostro aut Zonâ hac temperata, sed ex aliâ, ubi autumnus forte non erat, in cælum ascenderunt.

Dico igitur Primo: Autumno plures apud nos Cometae terrestres & sublunares, eâdem de caussâ, quâ frequentiora alia meteora ignita, apparent.

Secundo: Etiam Cometae cælestes, si qui tales aliqui sunt, autumno faciliter concrescunt, quia Sol à Signis Septemtrionalibus discedens, halitus corporibus Planetarum extractos, in nubes & Cometarum globos coire finit.

Tertio: Aliquando è vicinia solis circa æquinoctium autumnale, evadunt in Septemtrionem Cometae; quia materia ibi resoluta, vires radiorum citius effugit / Sole in

in contrariam partem tendente / quām dispergi valeat,  
aut digeri.

Quarto : In magnis Planetarum conjunctionibus enas-  
cuntur non tard cometæ; quia cœtu illo suo & mutuâ  
irradiatione Planetæ spiritum fortè eliciunt, in materiam  
Cometarum.

Finieram, nisi hæc etiam clausula venisset in mentem.  
Cur motus proprius quorundam Cometarum in fine,  
cochlearē instar, se torquet, & paullisper à circuli maximi  
segmento deflectit? Hoc enim Cysatus, hoc Godefridus  
Wendelinus noster, Vir ampliore fortunâ dignissimus, in  
Cometâ anni 1618. notavit. Non existimo, quia plures  
stellulæ, ex quibus Cometa compactus fuerat, in unam  
Mundi partem, quām in alteram discedant, ut putat Cy-  
satus ( hanc enim Cometarum è sideribus quæ nunc gre-  
gatim, nunc sparsim incedant, concretionem jam ante re-  
jecimus ) sed quia Cometa morti propinquus, evanidus  
& vacui ferè capit, tenui & imbecillo spiritu vectus,  
facilè motu raptus primi mobilis, aut ab aliâ causâ, in  
latus se depelli finit. Vel certe, quia circa Cometæ fi-  
nem reliquiæ spiritus se hæc illâc displudentes, aut effun-  
dentes titubatione agitant velut ebrium caput. Imaginem  
hujus rei in pyrobolis sive Fusæis nostris videmus. Pulvis  
enim initio multus & accensus rectâ sursum eos aufert,  
qui deinde in fine reætitudinem motus torquet ac depræ-  
vat.



LIBERTI FROMONDI:  
METEOROLOGICORVM  
LIBER QVARTVS:

De Ventis.

Psal. 134.



Eccles. 11.

Ioan. 3.5

ENTORVM scientiam in difficiili & abdito esse significat Regius Psaltes: *Qui producit ventos de thesauris suis*, id est, potentia Dei secretissima, & ditissima, quæ numquam exhauriri potest, ut interpretatur Illust: Card. Bellarminus. Et Ecclesiastes: *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus*, id est venti, & quæ ratione compingantur ossa in ventre pregnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. Et Veritas: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis unde veniat, & quò vadat*. Nos tamen quod meditatio & longa observatio docere potuit, enarrabimus.

Ac in primis, quod solemus, doctrinam Aristotelis, & caussas ventorum in compendium dabimus: omniaque deinde in disputationem longiorem mittemus.

Caussa ventorum materialis Aristotelii, est *exhalatio secca & cruda*. Formalis, *motus ille transversalis per terram*. Vnde ventus compositum quoddam accidentarium est ex halitu & motu illo locali. Caussa efficiens proxima est illa quæ producit immediatè venti formam sive motum. Est ergo impetus quidam, si verum est, impetum distingui à motu, & esse instrumentum generale omnis motus localis. Ille vero impulsus, vel ex repulso nubium, vel à propriâ exhalationis refrigeratae gravitate resultat, ut statim docebimus. Caussa finalis est, *eventilatio aeris, & utilitas animantium*. Præter alios effectus, ad quos, ut fines, adhiberi possunt venti, ut infrà cernere erit.

CAP.

## C A P V T I.

*De causâ materiali ventorum*

## A R T I C V L V S I.

*Materiam venti non esse aërem.*

LVRIMI Veterum, ut apud Aristotelem & Plutarchum videre est, aërem in materiam ventorum traxerunt. Quos postea nuper sequi Card. lib.  
Card. lib.  
I. c. 1. Var.  
Coper. lib.  
I. c. 8. Re.  
vol. Bedin.  
lib. 2. Theat.  
Seneca lib.  
5. Nat.  
S. Aug.  
Psal. 103.

cuti Cardanus, Benedictus Epistolâ ad Pan-  
crat. Mellanum. His omnibus placet vetusta Hippocra-  
tis definitio, Ventum nil aliud esse, quam aëris fluctum. Et disertè dudum ante ipsos Seneca affirmat, aëta tranquil-  
lum hōc à vento distare, quod à flumine lacum. Ex ea. dem disciplina S. Augustinus, *Ventus, inquit, est motus qui-*  
*dam & quasi fluctus aëris.*

Vt ergo aqua lacustris, si per alveum effluere incipiat, fluminis accipit nomen; ita aëris silens & stagnans, ventus fiet, si in unam aliquam partem impetum ceperit, & spiret. Et profectò ventum aut ventulum sæpè sumi pro flu-  
ctu aëris flabellati, non est dubium. Terentius:

*Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito.*

In Eunucho

Quod Græci πνίσσει dicebant, ut ad Varronem notat Ios. Scaliger. Imò Aristoteles ipse Sect. 23. Problem. con-  
sentienter Veteribus, quos tamen in Meteor. refellit, Ventum definit, ἀέρος σύναντι aëris impulsu. Et facilimè omnium hanc sententiam defendere possunt, qui ventos omnes etiam ordinarios ab Angelis cieri docent. Quis enim tam hebes, ut non facile intelligat, quomodo cœlestes illi Æoli aërem hac illuc impellere, & in ventum flabellare possint?

Aristoteles tamen lib. 2. c. 4. Meteor. materiam venti exhalationem & vaporem statuit, non aërem Elementa-

rem. Cūm verd in Problem. ventum, aëris impulsū dicit, aërem, ut sāpē etiam in Meteoris, pro spiritu & exhalatione capit, ut recte in Theoriā ventorum Adrian. Romanus notat.

Refelluntur ergo Veteres, & eorum hodie consequanei, quia fluxus ille aëris transversalis, vel naturalis est, vel contraria, aut præter naturam. Non naturalis; quia aëris animal non est (ut somniant Campanella & Stoici) quod sponte se in omnes differentias sitū impellat; sed corpus inanimum, quod in medio graviori, levitate suā sursum, in leviori, gravitate deorsum recte tendit.

Si autem motus ille contra, aut præter naturam est, ergo ab aliquo extrinsecus impellente fit. Quod autem erit illud? Certi quidam Planetarum aspectus, & ventos

Suar. Lib. 4  
c. 31. de  
An. gel

sæ influentiae, inquietant Astrologi & inter Theologos consentit Franciscus Suarez. Si enim Luna mare ab Ortu in Occasum, Sol tot flores & heliotropia circumducit; cur non etiam ipsi, aut certè alia sidera aërem in ventos valeant commovere? Sed profecto sideribus non inesse vim aëris attractricem aut expultricem, inde patet, quod alias omnes venti semper aut diutissimè in unam Mundi partem inclinarent. Si enim attraherentur, semper sequentur sidera exorientia, ab Ortu ad Occasum, ut mare Lunam, & heliotropia Solem. Si repellerentur, sidus quod vim exstimalandi aërem in Septentriones haberet, illorum omni die propelleret. Hoc autem experientia longè respuit. Sāpē enim sub omnibus ijsdem sideribus aëris contrarijs ventis jactatur. Ut hodie flat Auster, cras eodem horæ puncto Boreas, ut sāpē observavi, nullā in ullo siderum aspectu factā insigni mutatione.

Theologi quidam malunt ab Angelis concitari & ventilari aërem. Sed eos ab hoc ministerio removebimus, ubi caussam efficientem ventorum disputabimus. Alij rarefactione aut condensatione huc illuc diffluere, & sic in ventos & fluctus abire. Sed eos etiam ibidem refellemus. Itaque præter aërem spiritus aliis qui per ipsum fluat & terebrat,

M E T E O R O L O G I C O R V M L I B . IV . 223  
bret , necessarius est , ut proximo Articulo ostende-  
mus.

A R T I C V L V S II.

*Halitum , venti materiam esse .*

**N**Vlla enim alia statui potest, si aëris elementaris, quem  
jam antè rejecimus, materia non est. Deinde, venti  
procellosi, ut Lib. II. docuimus, exhalatione calidâ & sic-  
câ, instar fulminis, generantur; igitur verisimile est, eam-  
dem esse ceterorum ventorum materiam. Tertiò, nautæ  
vehementissimos & turbulentissimos ventorum circa Pro-  
montoria & littora experiuntur, ut Ios. Acosta fatetur.  
Acosta lib.  
3. c. 8. Hi-  
ter. Indic.  
Quia seilicet halitu è vicinâ terrâ resoluto constant, qui  
initio & juxta terram integris viribus validissimus est,  
lassatus verò longiori fluxu & spatio debilitatus pervenit  
ad altum mare. Vnde Christoph. Columbus, Indiarum ille  
repertor, coniecit terram ultra Oceanum Atlanticum esse,  
quia inde venti satis validi & feroceſ affluenter. Quartò,  
nisi exhalatio materia ventorum sit, nulla cauſa est, cur  
Etesiae & alij venti solemnies, certis anni temporibus ad-  
ſpirent. Item, cur post pluviam plerumque ſequi ſoleat  
ventus. Terra enim mollita & tabefacta, facilius Soli obe-  
dit, & diſſolvitur in exhalationes, quæ deinde ventis in  
materiam cedunt. Exhalatio tamen terrestris mera num-  
quām est tota materia venti. Multos enim unā vapores  
implexos & permixtos trahit. Aëris etiam aliquam partem  
ante ſe agit; ſequiturque deinde alia à tergo, ut vacuum  
repleat. Breviter, cogita flumen aliquod rapidum aut tor-  
rentem in mare incurrere, aquas ejus, canali per eas facto  
longè terebrantem, & undam ante ſe propulsantem, &  
venti per aërem fluentis imaginem habebis. Denique, ru-  
bedo cæli, & omnia signa ventorum, indicant spiritus  
aliquos in ſublimi hærete, qui brevi in hatus defluent.

CAPVT

## C A P V T II.

*De caussâ efficiente ventorum.*

## ARTICVLVS I.

Rarefactionem, aut condensationem, caussam efficientem  
ventorum omnium non esse. Adversus Vitruvium,  
& Io. Bapt. Benedictum.



AVSSAM efficientem ventorum remota-  
tam hic non quærimus. Illa enim eadem  
est, quæ omnium Meteororum; Sol nem-  
pe, aut alia caussa resolvens exhalatio-  
nem. Proximam ergo investigamus, quæ  
motum illum obliquum imprimit, qui  
est ultima forma venti. Et quidem si im-  
petus est qualitas secundæ speciei, & potentia naturalis  
immediate efficiens omnem motum localem, ut plerique  
Lovanieses hodie censem; etiam motus ventorum erit  
proximè efficient. Sed alibi ostendam, impulsu[m] illum  
non esse qualitatem, sed ipsum localem motum. Volumus  
ergo nunc scire caussam, quæ det vento transversalem  
illum impulsu[m].

Vitru. lib. I.  
cap. 6.

Vitruvius putat eum à calore aërem rarefaciente exci-  
tari: & probat hoc exemplo. Fiunt, inquit, Aecolipile æree, ca-  
ve. Hæ habent panarium angustissimum, quo aqua infunduntur, col-  
locanturq[ue] ad ignem, & antequam incalescant, non habent ulli spiri-  
tum. Simul ac ante fervore cœperint, efficiunt vehementem flatum.  
Ita scire & iudicare licet è parvulo brevissimoque spectaculo de ma-  
gnis & immanibus celi ventorumq[ue] naturæ rationibus. Existimat  
ergo, ut aqua in pilâ seu sphærâ illâ ærea rarefacta, per  
angustias foraminis se exspirat; ita aërem subitâ rarefa-  
ctione diffluere in ventum. Ideoque ventum defuit,  
Aeris fluentem undam. Idem ferè Benedictus: Nec Aristoteles,  
ait,

ait, ne calius ex eius fautoribus animadvertisit, varum mediante calore, & densum mediante frigore, esse causam ventorum. Et probat, quia si nubes solem lucentem subeat & obscuret, statim aliquâ aurâ perstringi nos & afflari sentimus. Non quia aliqua tunc exhalatio magis adspiret, quam Sole ante extra nubilum splendente; sed quia aër circa nos subito à nube inumbratus, se frigore colligit & condensat, quiq[ue] remotior erat, ad nos convolat & circumfluit. Et in parte saltem accedit Seneca, *Aliquando per se ipse Sol,* Senec. lib.  
5.c. 6. Nat. inquit, *causa venti est fundens rigentem aera, & ex denso coactoque explicans.* Ostenditque in flatibus antelucanis, qui moveri & extimulari solent sub auroram. Quia etiam, antequam Sol appareat, lumine ipso valeat, inquit, & nondum quidem aera radijs impellit, iam tamen lacebit & irritat, luce præmissâ. Orto autem Sole, vis ventorum relanguescit, quia spiritus nimis tenuatur, & tepore diffunditur. Unde numquam usque ad meridiem tales auræ produncuntur.

Verum licet Sol, aut etiam Aurora exoriens, aëra nocturnum, frigore rigentem & densatum, item vapores & exhalationes in infimâ regione hærentes, in blandam & lenem auram tepore suo relaxet; hæc tamen validissimum flatuum causâ esse non potest.

Probatur Primo: Quia pleno sæpè meridie, v. g. quando aër plenam & totam raritatem suam habet, quam illo die à Sole accipere potest, repente existunt venti: nec tamen à rarefactione aëris, quæ nulla est; neque à condensatione, quia suppono etiam nullum ei accedere novum frigus, quod condenseret.

Secundo: Incredibile est, ventos autumnales validos & feroces, qui tantas sæpè edunt strages, solâ aëris rafactio-  
ne aut densatione commoveri. Recordor tamen etiam  
(ne oblitum putas) quantis viribus fulmina & procellæ  
è nubibus, flamma pulveris accensa, è tormento, ob  
subitam rarefactionem, erumpant. Sed maxima & ignea,  
repentinaq[ue] rarefactio, item angustiæ loci in quo exhalatio

vel flamma constringitur, vehementiam illam faciunt aut intendunt. Aër verò quem in ventos rarescere volunt, liber & solutus per totam infimam regionem expanditur, nec tantà celeritate & impetu rarescit, quantà flammæ fulminum, aut exhalatio procellarum ac turbinum fumida, fervida, & pænè flammans; sed molliter & sine angustiarum ullâ resistentiâ funditur.

Tertiò: Æstate, quando calore maximè rarescit, aut hieme, quando frigore validissimè densatur aër, plurimi & acerrimi venti eum exercerent. Contrà tamen est, & plures ac acriores per ver & autumnum discurrunt.

Quartò: In omnem differentiam positionis, sursum, deorsum, antrorum, retrorsum, & undique in orbem, calore rarescit aër: ergo quando Lovanij rarescet, Thennenses (qui nobis siti ad Orientem) ab Occasu Zephyrum; Bruxellenses, ab Ortu Subsolanum; Mechlinenses, à Meridie Austrum; Namurcenses, à Septemtrione Boream, Lovanio tamquam omnium ventorum istorum centro spirare sentient. Quod tamen palam falsum. Tam vicinæ enim civitates eundem ut plurimum & ab eodem cæli cardine flantem ventum eodem tempore sentiunt.

Si verò aëris condensatione venti excitentur: sit ergo iterum Lovaniensis aër qui condensatur. Huc igitur ab Ortu, Occasu, Meridie, Septemtrione, rario aër confluet, veluti in centrum circa quod fit condensatio: atque ita ab omni parte cæli undique simul venti nos incurrent. Quod etiam experientia refutat. Si dicas, numq; iam contingere, ut Lovanij tantum, & non in alijs circâ regionibus, sic aër condensetur; demus hoc: tantumdem enim conficiemus. Itaque totius Brabantie, aut etiam Flandriæ, vel Belgij aër gelu constringatur, venti sanè tunc ab omni Mundi cardine in Belgium concurrent. Cùm tamen unicum tunc plerumque ventum, ut Boream, aut alium frigidum, regnare experiamur.

Quintò: Venti gelidi & hemales, ut plurimum, frigore

gore & densitate aërem constringunt: ergo prius est, ventum hiemantem spirare, quām aërem addensari; ac proinde condensatio causa venti non est, sed effectus.

Denique: Quando aer condensatio colligitur in minus spatium, ille qui circumcircà est, aliquantum quidem se promovet, metu vacui, ut impletat locum ab eo qui condensatur relictum; sed non instar torrentis se per aerem illum densiorem effundit, nec sicut venti solent, transcurrit integrā regionem, sed in vicino consistit, quia periculum vacui non flagitat motum ulteriorem.

## ARTICVLVS II.

*Motum venti non propriè fieri repulsi exhalationis à nubibus, ut plerique existimant.*

**P**Erípatici pænè omnes ventum à nubibus, aut frigore mediæ regionis, deorsum repellere docent; ideoque motum obliquum esse, quia exhalationis levitas sursum nititur contra repercuſſionis iactum, qui rectâ deorsum torquet. Ex quā rixâ motus in latus deflectitur & fit transversalis.

Dico Primo: Nubes non repellit deorsum exhalationem venti, ut pilam luforiam paries. Probatur: quia licet exhalatio maximo impetu sursum ferreretur, nubes tamen, quia mollis est & rara, non ita se ei rigidè obiicit, ut transitu arceat. Vapor enim nubium, quamdiu non depluit, rarer est aere insimilæ regionis, ut Lib. V. ostendemus. Itaque ventus potius nubem pertundet, & se transcribrabit, quam deorsum, impetu præfertim tam valido, resiliat. Deinde, primo statim exhalationis iactu turbabitur & confundetur figura nubis; unde secunda exhalatio in aliam figuram nubis impacta, in aliam quoque partem quām prima reflegetur; fietque ut numquam diu ab eodem cæli punto & per eamdem lineam spiret ventus.

Secundò : Nec frigus mediæ regionis habet propriam vim repellendi exhalationem calidam. Probatur, quia inter qualitates primas non est talis antipathia , quâ se virtute aliquâ loco motivâ abigant & repellant; ut magnetes aliqui ferrum. Aliàs enim calor ignis aquam frigidam statim repelleret, & aqua ignem, ante qualitatum primarum actionem & reactionem; quod non experimur. Calor ergo non aliter abigit frigus, quâm calefaciendo & rarefaciendo subiectum ejus, dandoque ei levitatem , quâ fugiat & mutet locum; frigus contrà movet calorem refrigerando, densando, & aggravando caloris subiectum. Sententiam tamen quam jam oppugnamus, quidam credunt esse Aristotelis in libro de Mundo. Sed liber iste, sine dubio, Aristotelis non est, ut docti pænè omnes fatentur. Libro autem 2. c. 4. Meteor. hanc caussam reddit obliquitatis motûs ventorum: *Quia omnis, qui in circuitu est aér, latitudinem consequitur.* Id est, licet exhalatio rectâ sursum, ut ibidem ait, feratur, deorsum tamen oblique retorquetur ab aëre supremæ regionis, qui raptum cæli sequitur ab Ortu in Occasum. Sed Alexandro Aphrodisio, summo Peripatetico, displicuit hæc Aristotelis ratio , & egregiè oppugnat. Sic enim , inquit , omnes venti ab Oriente spirarent, quia à motu illo supremi aëris detorquerentur ad Occasum, cùm suprema regio motu primi Mobilis rapiatur in illam partem. Adde nunc, in altissimorum montium vertices flatus vix pervenire, ut Sect. 26. Problem. fatetur ipse Aristoteles: quomodo ergo inde ab aere, qui ibi incipit in orbem cum cælo verti, deorsum repelliri possunt ventorum exhalationes? Deinde aer supremæ regionis qui sub polis est, languidiis ad terram retorqueret flatus, quia tardius circuit motu cæli: cùm tamen à Septentrione ferocissimi ventorum irruant. Denique, probabilius fortassis est, ut Lib. I. docuimus superiorem aerem non tam profundè à cælo trahi, ut motus descendat usque ad aërem, qui circumfunditur cacuminibus excelsissimorum montium. Itaque Sect. 26. Problem. aliam caussam affert Aristoteles, quæ deinde placuit discipulo.

cipulo ejus Theophrasto , multisque recentioribus , cum nostro Adr. Romano, lib. de Theoriâ Ventor. Affirmant, exhalationem partibus heterogenijs, unâ calidâ, subtili ac levi, alterâ frigidâ, densiori & gravi, constare. Cum autem, inquit Aristoteles, alterum sursum, alterum deorsum versus nitatur, & neutrum alterum superet, nec fieri possit ut ibi pendulum hereat, oblique ferri necesse est. Igitur ex rixâ partium elevantium & deprimentiū oritur motus ille transversarius ventosae exhalationis. Quia enim levitas, non sat virium habet, ut rectâ sursum gravitatem renitentem auferat; nec gravitas, ut levitatem lineâ perpendiculari ad terram ducat; hinc utraque junctis & permixtis viribus, motum lateralem, ex motibus rectis sursum & deorsum quasi compositum facit. Verum si tantoper levitas gravitati resistit, ut tantam curvitatem in motu venti efficiat, qui fieri potest, ut vehementiâ illâ ad terram se allidat, quâ domos sâpè & arbores evertit? Deinde, si gravitas absolutè levitatem superat, (quod necesse est, ut ad terram exhalatio veniat) cur non rectâ deorsum potius, licet tardiori motu, eam detrahit? Dices: Rariores spiritus materiæ graviori permixti, & eam rectâ à centro terræ sursum sublevantes, impediunt ne rectâ recidere possit, ideoque defluit oblique in latus. Verum, licet id intelligiqueat, si materia illa venti densior & gravior, solida sit, & impedit, ne liberè transspirent inclusi spiritus; tamen cùm tota fluxa sit, & rixâ illâ qua discepitur & dissilit, laxissimum exitum omnibus det partibus levioribus; non satis capio, quomodo contra partium graviorum propensionem sic renitantur, ut necesse sit motum obliquare.

Conimbricenses igitur cùm viderent hæc non planè satisfacere, ad influentias siderum recurrunt. Sed anté id rejecimus Attic. i. cap. i. hujus Libri. Nec etiam Eru-diss. illis Viris usquequaque placuit. Addunt enim: Verum, ut ingenuè fateamur, hoc unum (motus ventorum) est ex ipsis, quæ in naturâ contemplatione, magna ex parte latent. Ideoque aliquis forte inveniatur, qui in Deum immediate referat; quia dicuntur venti produci de thesauris psal. 134.<sup>e</sup>

*Amos 4.* ejus. Item Amos. Formans montes, & creans ventum, faciens matutinam nebulam.

*Psal. 73.* Sed tales & tam ordinarios effectus non solet operari causâ illa prima sine ministerio secundarum; licet ei pa-  
sim tribuantur. Ut Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus  
es auroram & Solem. Tu fecisti omnes terminos terra, æstatem  
& ver tu plasasti ea. Diem tamen, & auroram, æstatem,  
& ver, non facit nisi per Solem & sidera. Alij ergo paullò  
molliùs & probabilius onus movendi ventos in Angelos  
reclinant.

## ARTICVLVS III.

*Angeli non sunt ventorum ordinariorum Aeoli. Adversus Bodinum, & quosdam alios.*

*Ionæ 1.* **D**vbium non est, quin Deus operâ Angelorum uta-  
tur quandoque in excitandis tempestatibus, & in-  
solente motu ventorum. Ut apud Ionam: *Dominus misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari.*  
*Exod. 10.* Et alibi: *Dominus induxit ventum urentem totâ illâ die & nocte, & manè facto ventus urens levavit locustas.* Quæ sine  
*Psal. 77.* dubio patrata sunt ministerio Angelorum, quos in talibus  
adhibere solet. Vnde plagæ illæ Ægypti vocantur, *immis- fiones per Angelos malos.* Daemones enim aut permissione,  
*Iob. 1.* aut jussu divino, sœpè véntos & procellas movent, ut  
quando apud Iobum, *Repenie ventus vehemens irruit à regio- ne deserti, & concusit quatuor angulos domus,* &c. Magi quo-  
que Septemtrionales, ventos secundos navigantibus ven-  
dunt: & Rex Sueciæ Erricus, undecumque collubuissef, flatus adspirantes evocabat; unde & ipse, *Pilei ventosi cognomentum accepit.* Aristæus in Cæa maris Ægæi in-  
sula, deficiente aliquot annis Etesias, sacrificio Iovi per-  
acto, revocavit, ut auctor Theophrastus libro de Ventis.  
Plutarchus etiam in Lucullo illustre exemplum habet.  
Cùm Mithridates Rex Ponti validâ classe urbem Cyzicum  
preme-

premeret, laboraretque eum depellere Lucullus, Proserpina, cui forte dies tunc festus erat, Aristagoræ Magistrati urbis à secretis nocte apparuit; &c., Cras, inquit, tibicinem Lybicum cum tubicine Pontico committam. Ænigma non intelligebatur, donec luce insequente, Auster ferox & truculentus à Libyâ adsppirans, tempestate commotâ, Ponticam classem & omnes machinas Mathematici Niconidis collisit, & diffregit.

Ad similes quoque malos Genios referri debent venti & tempestates, qui in mari mediterraneo sevissimè excitari solent, quotiescumque Europæ Mumias, sive humana cadavera balsamo olim condita, Ægypti arenarijs effossa, ad medicinam huc transportare tentant. Vnde nautæ Alexandriâ solventes, sollicitè inter onera scrutari solent, ne quis Mumiam navi imposuerit. Cujus rei non inscitam historiam in Peregrinat. sua Ieroſolymit. narrat D. RADZIVILVS, Nobilis Polonus. Alexandriâ enim in Europam renavigans geminam masculini & feminini sexus Mumiam capsâ furtim inclusam incio navarcho asportabat. Sed ecce non dudum post, Africo & Aquiloniè somno quasi excitatis, & intumescente pelago, sœvifima, intermicante fulgere, exoritur tempesta, quæ navarchum & omnes in extremam desperationem conjecit. Sed sidere S. Germani, inquit (quod veteres Castorem, aut Pollucem vocant) septies ventos componente, quietvit tandem tempesta. Quam tamen altera etiam mox excepit.

Spumante verò ac furente utraque tempestate, sacerdos quidam pius orans & Horas precarias in fundo navis recitans, magna animi conturbatione, pallore & tremore clamabat se à duobus nigris spectris viro & femina obversantibus, identidemque recurrentibus infestari; cùm tandem de Mumijs navi illatis penitus nihil sciret. Vnde cum ex ejus querelis & lamentationibus, Mumiarum tandem RADZEVILO in mentem venisset, capsas, quibus Mumiae inclusæ erant, in mare abjecit. Quod ubi factum, inquit, manar-

*nauarchus statim ad me accurrit, percunctans quidnam abie-  
cissim? Nunquid Mumiam? Fassus sum. Expavit illico vehementer.  
Sed postea se recolligens, recreatus est, & certò promittebat, nos  
tempestatem amplius non habituros.*

Non de nihilo igitur Bodinus, Mirabile est, inquit, quod  
si cadaver ex Ægyptiorum sepulchris erutum navibus alio trans-  
vehatur, violentissima tempestates tamdiu navem iacent, quo-  
usque demergatur, aut cadaver in mare projiciatur, aut iactum fe-  
cerint vectores.

Nec tantum Mumiae, sed alia interdum cadavera  
mare illud in ventos & tempestates exagitant. Vn-  
de Seneca inter materteræ suæ laudes ponit, quod cùm  
viri sui Praefecti Ægypti, Vetrasij Pollioñis, ut Lipsius no-  
ster opinatur, cadaver ex Ægypto mari reueheret, non  
metus mortis eam exarmata navi naufragium suum spectantem,  
deterruit, quo minus exanimi viro haerens, quereret, non quem-  
admodum inde exiret, sed quemadmodum efferret.

Additque Lipsius Commentator, Notatum hodieq; mare  
cadavera egrè ferre, & tempestates suboriri.

Bodin. lib.  
2. Theat.

Tales ergo extraordinarij status, sine dubio, Angelorum  
bonorum, an malorum effectus sunt. Sed de omnibus alijs  
etiam, qui ordinariâ lege fluunt, idem existimat Bodinus,  
& hîc Lovanij Philosophi quidam; à quibus aliquando  
propriùs, quam nunc, abfui.

Sed tamen id ostendi potest, Primò, ex Scripturâ sa-  
crâ. Psal. 17. dicitur Deus ascendere super Cherubim, & vo-  
lare super pennis ventorum. & Psal. 103. Qui ponis nubem af-  
censum tuum, qui ambulas super pennis ventorum. Currus ergo  
& quadrigæ divinæ, sunt nubes; equi vectores, venti;  
aurigæ, Angeli, quos Cherubim vocat; sagittæ, fulmina  
quæ è nubibus jaciuntur, ut Illustriss. Card. Bellarminus  
commentatur. Veluti ergo equi ab aurigis insidentibus,  
ita Pegasi illi ventorum ab Intelligentijs rectricibus inci-  
tantur. Idem etiam fortasse significatur Psal. 134. Qui  
producit ventos de thesauris suis. Thesauri enim Dei, Ange-  
li dici possunt, in quibus ipse tot divitias recondidit.

Denique

Denique Apoc. 7. S. Ioannes vidit quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos, ne flarent super terram, &c. Ergo penes eos est ventorum arbitrium & fatus.

Secundò: Angeli, opinione Aristotelis & D. Augustini, movent cælos; quidni etiam idem faciant ventis? Certè enim utilitas quæ animantibus provenit à ventis, flagitare videtur, ut res tanta non committatur nisi causis intelligentibus.

Tertiò: Huc trahi potest, quod narrant quidam in toto littore Perùano, seu illâ Americæ longitudine quæ mari Pacifico adjacet, duos tantum ventos, Australem & Occiduum regnare. Item regiones multæ ventos quodam peculiares & Provinciales habent, ut Gallia Narbonensis Circum, Apulia Iapigem, &c. quorum caussa penes Angelos locorum illorum Præsides esse videtur, qui aëra vel exhalationem in hanc vel illam partem, pro libitu flabelant. Cur enim aliàs non omnes regiones omnes ventos promiscuè sentirent?

Sed hæc sententia displicet. Primò: quia non satis Philosophicum, & imbecillitatis signum est, tam sæpè ad invisibilium caussarum opem, quando aliter potest, con fugere. Deinde, nullâ certâ lege fiant venti; sed eodem aliquando die ter, quater, & sæpius variant. Modò etiam acrius, modò languidius veniunt ab eodem horizontis puncto. Quæ irregularitas satis significat, non regiimmediate ab aliquâ substanciali intelleculi, in cuius operacionibus constantia major & lex certior animadverti solet. Tertiò, cùm in omni terræ puncto incipiatur aliquis horizon, ubique disponendi erunt Angeli, aut nullib: cùm nulla sit major ratio unius horizontis, quam alterius. Quartò, aliqui venti tantum die, alij nocte; sunt qui vere, aut autumno, vel aliâ parte anni flare amant. Quorum ratio reddi non potest, si Angeli ventos arbitrio suo frenant aut laxant: potest verò, si statuatur alia caussa movens.

Ad Primum ergo fateor cum D. Damasceno, *Angelos curare*

S. Hieron.  
Ezech. 28.  
S. Aug. lib.  
83. q. 74.

*curare terrae certas partes, praefectosque gentibus & locis. Et cum D. Hieronymo Traditas esse Angelis ad regendum Provincias, quasi Iudicibus, ab Imperatore. Et cum D. Augustino, Vn. in quamque rem visibilem in hoc Mundo habere Angelicam potestatem sibi præpositam. Quod plerique omnes de speciebus rerum visibilium, non individuis interpretantur. Apoc. etiam 14. fit mentio Angeli ignium, & Apoc. 16. Angeli aquarum. Addamus Angelum aëris & terræ. Nego tamen, naturales elementorum operationes plerumque per Angelorum ministerium exerceri. Ignis calefacit, aqua frigefacit, aut per aluum flumen delabitur, sine operâ Angelorum. Præsunt ergo solum elementis ad operationes*

D. The. 1.  
P. q. 110.  
a. 1. ad 2.

*extraordinarias per ea excedendas, ut docet D. Thomas, & secundum modos quibus res corporeæ subsunt divinae regulæ, in ordine ad finem prædestinationis, ut ibi Cajetanus.*

Ventorum autem fatus tam naturalis est, quam lapsus fluminum, ut postea videbis. Ex illis igitur Psalmis nihil aliud solidè colliges, quam Deum Cherubinis, velut equis velocissimis, vectum, subito Davidi & amicis suis contra hostes opem tulisse, id est, per Angelos extraordinariam fugam aut cædem fecisse; aut excitatis undique ventis, & mota tempestate, præsentiam suam ostendisse, ut pulchre Psal. illum 17. Iansenius noster interpretatur. Non vult ergo Psaltes, à Cherubinis esse ordinarios & quotidianos ventorum fatus. Adde, ascensum super Cherubim, à D. Hieronymo intelligi de ascensu corporeo Christi super omnes choros Angelorum; & à D. Augustino, de ascensu super plenitudinem scientiæ (hanc enim significat vox Hebraica, Cherubim) quia Christus charitatem omnem, quæ est plenitudo scientiæ, superavit, dum pro nobis animam posuit. Thesauri etiam de quibus Deus ventos producit, non Angeli, sed potentia Dei abdita, sunt, ut initio hujus Libri diximus; aut certe loca subterranea & ignorata nobis: hæc enim propriè significat vox, thesaurus. Patet ex vetusto Epitaphio Poëtæ Nævij:

*Itaque postquam est Orcivo traditus thesauro,*

*id est,*

id est, Orco subterraneo,

*Oblitis sunt Romæ lingua Latina loquier.*

Tertull.

Apolo-

cap. 47.

Et Tertull. in Apolog. *Si gehennam, inquit, comminemur, quæ est arcani ignis subterraneus ad pœnam thesaurus, decachinnamur.* Sic etiam sumpsit versor Psalmorum, *Ponens in thesauris abyssos, id est, aquæ molem, quæ initio totam terram operiebat, in subterraneis antris & cavernis. Locus etiam Apoc. tantum ostendit, Angelos extraordinario Dei jussu frænare posse, aut incitare ventos, quod nemo negat.*

Psal. 32.

Secundum argumentum retorqueri etiam potest in Auctores. Angeli enim movent ( si tamen etiam faciant ) cælos maximè regulari & compositissimo motu; nihil verò inconstantius vento. Signum ergo est, huc illuc à caussâ fortuitâ , non ab Angelis ventos impelli. Nec premit, quod additur, de utilitate ventorum : quia caussæ naturales sunt sic ab Auctore naturæ dispositæ, ut necessè sit ventum aliquando in hanc aliquando in istam partem inclinare ; sic ut unaquæque Regio valeat perflari, nisi montes aut alia obstantia flatibus obijciantur.

Acostalib.  
3. c. 21. Hi-  
stor. Indic.

De Tertio, audiendus Iosephus Acosta Americæ scien-  
tissimus & incola. Ait enim littus Peruvianum ab Ortū  
cingi duabus catenis altissimorum montium ( priores  
Sierras, alias Andes vocant ) qui ventos Orientales &  
Septentrionales arcent. Trans verò illos, in Orientali  
Americæ parte, perpetuò Subsolanus flat ab Ortū. Non  
ergo Angeli hanc ventorum diversitatem faciunt, sed lo-  
ricæ illæ montium. Imò mihi ecce hinc in Æolos istos  
cælestes novum nascitur argumentum. Si enim locorum  
Genij ventos faciunt, cur nullus in montibus illis positus  
est, qui Peruanis ab Ortū spiret? Vtis certè fuerit is  
ventus, cùm , ut idem Auctor narrat, ejus defectu num-  
quam toto anno circa illud littus pluat. Venti etiam Pro-  
vinciales , in altitudinem aut humilitatem regionum, ob-  
stacula montium, aut plana camporum, aut aliam caussam  
reiiciendi, non in operam Angelorum.

## ARTICVLVS IV.

*Causam efficientem motus ventorum, non esse terrae pulmones. Adversus Keplerum.*

Kepler. lib.  
4. c. 7.  
Harmon.

**I**O. Keplerus, Mathematicus Cæsarius, terram ingens quoddam animal esse, multis argumentis & serio affirmat, quæ per montium crateres & caminos, velut os aut nares, ventos nobis exspiret. Itaque veluti nos aërem, & interaneorum fuligines ore, ministerio pulmonum transversim effundimus; ita putat ventos à terrâ efflari, vitali actione, quâ pulmones, quos in visceribus ingentes habet, identidem dilatat & contrahit. Quod autem certis Planetarum aspectibus venti aut tempestates commoven- tur, inde, inquit, est; quia terra sympathiam cum cælo habet, & naturali instinctu siderum polituram cognoscit.

Verum terræ animationem Lib. sequenti, circa æstum maris, & longius in Libris de Animâ fortasse refellemus. Deinde, sœpè venti ab alto mari, aut partibus etiam mediterraneis advolant, ubi terra nullos caminos aut insignia spiracula habet. Tertio, crateres & spiracula montium & terrarum plerumque, non in latus, sed sursum in cælum spectant. Quid ergo spiritus in cælum directe euntes, in latus reflectit? Hæc autem est proxima caussa motus ventorum, quam tamdiu quaerimus.

## ARTICVLVS V.

*Ventos gravitate suâ in terram defluere, ut torrentes & flumina per alveos.*

**C**AUSSAM enim aliam, post longam meditationem, reperire nullam valui.

Probatur Primo, quia pluvia, grando, nives, & alia ferè cæli missilia, gravitate suâ delabuntur; cur non & venti?

*Certum*

Certum enim est, exhalationes non minùs in nubibus & mediâ regione refrigescere & condensari, quàm vapores, sive a naturâ terræ, quam nondum amiserunt, sive à frigore vaporum & illius regionis. Ergo sublato gravitatis æquilibrio exhalationes tunc recident; cùm in medio liquido & fluente, id quod propensius & gravius est, cadat semper infra levius aut minus grave.

Secundò: Non in aliâ caussâ facile acquiescam, cur autumnus plerumque ventosus; nisi quia exhalationes plurimæ æstate collectæ, tunc refrigescuntur, & refluent deorsum.

Tertiò: Rubedo nubium & Lunæ, ventos significat, quia per confertas exhalationes aspiciuntur, quæ paullatim frigore densantur in ventos.

Quartò: Dic quare Sol calore suo comprimat ventos, & meridie non raro sopiantur diurni flatus? Certè quia, credo ego, insigne frigus & densitas necessaria est ad gravandam exhalationem, ut in ventos defluat, quam nimius saepe meridiani Solis fervor dispergit.

Quintò: Ideo à polis & frigidis cæli cardinibus plures & ferociores venti, Aristotele & Theophrasto teste; quia ibi plus frigoris spiritum condensantis. Hinc etiam fluctus ab Aquilone excitati, simul ac flatus cessat, sternuntur & conflaccescunt, ut ex Homero & experientiâ notat Agellius: cùm tamen post spiritum Austri mare diu undabundum permaneat. Caussâ enim est, Aquilonis frigidioris & gravioris delapsus in mare magis præceps & rectus. Vbi contrâ Auster, quia leuior & obliquior, propellit undam in latus; ideoque hæc diutiùs imperum & vacillationem retinet, quàm si directe supernè ictum excepisset. Fallor, aut idem significavit naturæ consultissimus Poëta:

*Incubuere mari totumq; à sedibus imis*

*Vnâ Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis*

*Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus.*

Nam eruere mare à sedibus imis, & voluere ad littora fluctus, est ventorum oblique magis incidentium: quales

Agell. lib.  
2. c. ult.

Virgil.  
Aeneid. I.

Eurus, Notus, & Africus, qui in Europam non veniunt à frigido cardine.

Sextò : Matutinæ auræ, quæ à fluminibus aut lacubus molliter aspirant, planè videntur esse vapores antè sublati, & leni frigeratione contracti ac pondere suo relabentes. Ergo simile erit in ventis illis grandioribus & legitimis.

Iob. 28.

Septimò : S. Iobum deduco in hunc sensum: *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensurā.* Veluti enim Deus per caussas secundas aquis gravibus levitatem dat, & in nubibus suspendit ; ita levissimæ exhalationi gravitatem & pondus reddit, ut in ventos delabatur.

Iob. 1. c. 3.  
Meteor.

Denique, videtur id sensisse Aristoteles, ubi negat in su-

Lib. 2. c. 4.  
Meteor.

premâ aëris regione nasci ventos, quia nimius ibi calor coagulum & condensationem exhalationis impedit. Deinde alibi docet, Austrum à Tropico Cancri & Zonâ torridâ facilius ad Septemtrionem & polum Arcticum, quâm Boream ad Meridiem & eamdem Zonam torridam pervenire. Cujus una videtur ratio, quod Boreas à polo, rectori & breviori linea in terram, ut pote gravior decidat; Auster verò calidior & levior per lineam obliquiorem & longiorem in Septemtriones effluat. Et in Problematis comparat ventum cum aquâ fluminum. Ut sicuti in Atho & excelsissimis illis montium, nullæ aut parcissimè aquæ fluunt; ita venti ibi rarissimi. Caussa utriusque eadem: quia insigne frigus abest, quod & vapores in aquam, & exhalationem in ventum cogat. Vnde non pessimè lib. de Mundo Apuleius ventum defuit, *Multum & vehemens in unum coacti aëris ( melius tamen, exhalationis) flumen.* Ven-  
ti enim reverâ flumina quedam aëria sunt; quæ tamen non certo aucto feruntur, sed per vastum cali spatium, lato impetu,

Sect. 26.  
Problem.

ut eleganter Seneca.

Video tamen, his aut similibus argumentis oppugnari posse nostram opinioem.

Primò : Cur tam oblique, & non ut pluvia aut grando, ad perpendicularum, venti in terram cadunt? Deinde : Cur tam procul per superficiem terræ se evoluunt, ut patet in

turbini-

turbini bus illis quibus pulvis per ingentem aliquando  
camporu m planitem æstate contorquetur?

*Ille volat, simul arua fugâ, simul aquora verrens.* Georg. I.

Certè aqua pluvialis delapsa eodem loco adhæret, nisi  
eam torrens aliquis per declive provoluat.

Tertiò: Cur impetu tanto exhalatio aërem secat, cùm  
aqua gravitate longè eam superet?

Quartò: Cur ab eodem cæli cardine tot aliquando die-  
bus aut septimanis cadunt & effunduntur venti?

Vltimò : Venti passim omnibus dicuntur leves.

— *Fugit ocyor aurâ*

*Illa levi.* —

Ovidius  
Met. 1,

Hæc aliquando visa mihi difficilia ; sed non ob quæ ve-  
ritatem deserere velim.

De Primo respondeo, obliquitatem illam venti effici  
ab exhalationibus aut vaporibus, vel partibus aëris levio-  
ribus, quæ perpetuò in sublime scandunt, ut statuatur  
æquilibrium inter partes Mundi Elementaris. Cùm enim  
venti exhalatio , propter ipsas sibi obvias , non possit sta-  
tim rectâ deorsum præcipitari, moræ impatiens , motum  
obliquat in latus. Quod etiam conferunt quædam exhalationis  
partes leves & nondum satis refrigeratæ, quæ per-  
mixtæ & intricatæ vento graviori, deorsum vi detrahun-  
tur. Denique aër multâ & latâ exhalatione decidente per-  
cussus & resistens, eam declinat & excutit potius in latus,  
quâm sinat rectâ deorsum ferri. Vnde etiam quia aër jux-  
ta terram est densior , motum venti etiam magis obliquat,  
quâm in sublimi. Grando verò , aut guttæ pluviales exi-  
guitate & rotunditate suâ obstantia facile secant. Etiam si  
tamen ob easdem caussas, ut equidem existimo , eorum  
casus paullisper abeat à rectitudine perpendiculari.

Ad Secundum: Ventus post casum non statim quie-  
scit , quia mobilitate suâ à terrâ resilit , & alia exhalatio à  
tergo præcedentem delapsam in obliquum urget ac pro-  
pellit. Iuvat etiam, quod exhalatio fugientem ante se  
aërem prosequatur, ut vacuum repleat. Potissima tamen  
caussa

caussa consistit in impulsione sequentis exhalationis. Unde si frequentetur plaga plaga & superveniens, in longissimum spatium urgere & extundere spiritum potest.

Ad Tertium respondet, ventos, qui tantas vires ostendunt, & arbores ac aedificia sternunt, saepè non ordinarios esse, sed procellosos; qui ab ipsis caussis moventur, quibus fulmina, ut Libro I I. enarrabamus.

Deinde venti ordinarij etiam, qui à refrigerio exhalationis nascuntur, maximum impetum colligere possunt, tam ab insigni gravitate, quam à multitudine materiae, cuius una pars alteri supervenientis impulsu addit, & intendit motu celeritatem. Ut enim ille aciei cuneus maximo impetu ruit, & hostem facile rumpit, in qua posteriores praecedentium tergum urgent & propulsant; ita in vento sit. Vnde ubi exhalatio prior exitum non reperit, alia à tergo premente, saepè per obstantium stragem viam effringit. Sic Paschate illo ventoso anni 1606. & morte Iusti Lipsij nostri famoso, ventus Occidentalis areæ & porticibus Illustris Monasterij S. Gertrudis Lovanij inclusus, nec ab Oriente exitum inveniens, magnam & novam aedificij molem arietavit, & tandem impulsu in plateam. Aqua tamen (fateor) gravior est vento; sed etiam majori impetu caelo decideret, si conferta, & non guttatum dispersa, proueret. Aspice vires torrentium, qui non tantum domos, sed integros aliquando pagos, aut regiones proluunt, & mecum dices.

Ad Quartum, Cur ab eodem cæli cardine tamdiu quandoque spiret ventus, ratio est, quia quo principium exhalationis incubuit, & viam secuit, cò ceteræ partes sequuntur. Durat vero pertinaciter tanto tempore unus ventus, quia vel exhalatio ibi simul refrigerata, multa est, vel quia alia & alia è terrâ aut aquâ cōdē jugiter ascendit, statimque frigore correpta & condensata, eādem semita defluit, quâ praecedens, & aëris in illam partem incitatus dicit. Priori modo, ventus velut è lacu; posteriori, velut aqua fontana è cavitate subterraneâ aërem aut vaporem in

in aquam perpetuò densante, fluit.

Ex dictis etiam sequitur, quod notat Theophrastus, ventos initio, & ubi origini propinquiores, & magis densos & confertos esse, & frigidiores. Ut enim halitus effatus ore animalis, aut fons in rivum aut flumen se exonerans, in principio compressior est, deinde dispergitur; ita est in vento. Frigus autem augetur majori densitate aut vicinitate frigidarum partium exhalationis. Nisi forte ardentes aliquos spiritus exhalatio contineat, qui motu executiantur; & ita ventus refrigerescat in cursu, sicut puls & calidæ sorbitiunculæ, motu & agitatione.

De ultimo, nulla difficultas. Aura & venti dicuntur leves, sicuti aves; quia celeres. Vnde etiam singuntur penati. Silius libro 1. de Boreâ:

*Nunc ipsas alis frangit stridentibus Alpes.  
& Iuvenalis Sat. 5.*

— *Dum se continet Auster,*

*Dum sedet, & siccatur madidas in carcere pennas.*

Hinc Alius Verus Cæsar, teste Spartiano, cursoribus suis alas apponebat, & unum Boream, aliud Notum, & ceteris nominibus ventorum appellabat. Quidam tamen venti leviores aëre inferiori sunt, ideoque ad terram non perveniunt, sed per medianam regionem aëris, vel supremam partem insimæ discurrent. Testantur id mihi nubes, quæ quandoque ventis agitantur, nullo tamen apud nos flante. Item duplex sæpè earum in contrarium, ab oppositis ventis, agmen est; cum tamen unicum hic flatum experiamur.

Lucr.  
lib. 5.

*Nonne vides etiam diversis nubila ventis*

*Diversas ire in partes, inferna supernis?*

Alter ergo illorum ad terram non descendit:

Scio tamen multis incredibile fore, tantam in vento gravitatem esse, quæ tam validum impetum deorsum facere possit. Sed talibus corrigenda imaginatio est, quæ sola corpora opaca insigniter esse gravia putant. Hi enim numquam etiam credant, truncum arboris aquâ fluidâ &

H h

pelluci-

pellucidissimâ leviorem esse, nisi vidissent supernatantem: aut aquam marinam, omni fontanâ pellucidiorem, & tamen longè propensiorem, nisi vocassent ad libram & examen. Neque hodie etiam adduci possunt, ut mecum affirment ( quod tamen mihi certissimum est ) aëra insimilæ regionis transparentem & invisibilem, plus ponderis quam opacas mediæ regionis nubes habere. Vitrorum etiam ac crystallorum perspicuitatem, & unâ gravitatem cogitent; & minus utramque junctam mirabuntur in vento. Fluiditas enim non repugnat cum pondere, ut aqua, & metalla fusa faciunt fidem. Igitur ventus, corpus diaphanum & fluidum, & tamen grave, ac aëre inferiori quem traiicit, ponderosius esse nihil vetat.

## C A P V T III.

*De causâ formalis ventorum.*

E causâ formalis nihil ferè præcedentibus addo. Forma enim venti substantialis eadem est quæ exhalationis & vaporis, quando vapor permixtus est vento sae exhalationi. Unde quia vix, aut numquam ventus purâ exhalatione constat, multiplex est forma ejus substantialis; prout scilicet terræ, & aliquorum mixtorum exhalationes, vapor deinde & aëris confusæ in unum venti agmen confluxerint. Forma venti, ut meteorum est, statuit vulgo cursus ille transversalis circa terram. Hic enim compositum accidentarium, quod ventum vocamus, ultimò constituit & consummat. Unde ventus non currit & movetur accidentaliter, tamquam subiectum motus, sed prædicatione essentiali: quomodo sedes v.g. figurata dici potest; quia figuram essentialiter includit. Cum ergo ventus exhalatio appellatur, prædicatio causalis est, huic (sedes est lignum) similis. Nisi tamen quis malit ventum in recto significare exhalationem, & in oblio-

quo

quo connotare solum motum illum transversalem. Verum sic motus non erit propriæ forma constituens venti, ut meteorum est; quia non componet id quod in recto denominatur ventus. Quod à receptâ loquendi formulâ abire videtur. Hinc non inepte, prorsus, & ἀφιλοσοφῶς versus istos Virgilij admodum Seneca:

— *Hic vasto Rex Aeolus antro  
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras  
Imperio premit, ac vinculis & carcere frenat.*

Lib. 6.  
Nat. c. 18.

Ad quæ Seneca: Non intellexit, inquit, nec id quod clausum est, esse adhuc ventum, nec id quod ventus est, posse iam claudi. Nam quod in clauso est, quiescit, & aeris statio est. Omnis in fugâ ventus est. Sic ergo nec Ulysses habuit unquam ventum in utre.

## C A P V T I V.

*De causâ finali ventorum.*

INIS ventorum, eorum utilitas est, quæ multiplex. Primo, aërem contra situm & putredinem exercunt. Hinc causas morborum, & pestem discutiunt, cui regiones stagnantes, nec perflatæ ventis obnoxiae sunt.

Vulgatum etiam olim, è cistâ diu clausâ, & apertâ pestilentiam latè sparsam Babylone. Et Cardanus Cardan. lib. 1. c. 9. Va- narrat, omnes in Vico quodam juxta Mediolanum intra r. c. 9. Va- triduum exspirasse, qui adfuerant, dum duæ cistæ 30. an- nis metu bellorum reconditæ, referarentur, quique res inclusas, etiam dudum post contrectavissent. Tantam pestem & noxam contrahit diu silens nec ullis auris exercitatus aër.

Nubes deinde è mari, lacubus, fluminibus elevatae, & suprà pendulæ, ad partes Mediterraneas flatu ventorum adducuntur, ut repluant & terram irrigent. Vnde absque ventis foret, necesse esset maximam terræ partem sterilesce. Hinc Ribera & quidam alij scripturæ Interpretes,

Riber.  
Apoc. 7.

quatuor ventos, in quatuor terræ angulis, à totidem Angelis retineri existimant Apoc. 7. *Quia si venti penitus cohibentur, omnia que sunt in terra & in mari, citè interire necesse est. Quanquam non eo fine, meâ sententiâ, Angeli illi Apocalyptic ventos vincis & carcere frenent, ut omnia terræ marique, cessante flatu marcescere faciant; sed potius ut collectâ materiâ & impetu majori ventorum, insigniores mox tempestates excitent.*

Lib. 7. c.  
ult. Polit.

Respirationem etiam animalium venti refrigerant. Deinde jactatione suâ, plantarum radices, ut altius desigantur & liberius ac laxius eliciant alimentum, juvant. Ut enim Aristoteles suadet, pueris permittere ploratum, quia id meatus corporis diducit, & facit ad incrementum; ita arbores ventis agitatæ patentioribus venis & avidius terræ succum bibunt, spatioiusqne adolescunt. Hinc qui Belgio futuros arborum fructus in flore aut gemmâ suâ emunt, ad veris aut hiemis ventos maximè respicere solent. Si enim ver aut hiems ventosa præcessit, signum futuræ libertatis habent, quia arbores agitatæ plus succi & nutrimenti alendis fructibus trahunt.

Breviter, nihil certius, quam cœli terrarumque temperiem maximè per ventos regi, hocque unicum ferè esse serenitatis, aut hiematuri mox aëris signum.

Commercia etiam humana permiscent, Oceanumque & totum terrarum Orbem pervium venti faciunt. Deus Chrys. Homil. 34. enim, ut qui procul sunt, facilius congrederentur, mare in medium in 1. Cor. expandit, ait Chrysostomus, ventorumque celeritatem ad expeditas peregrinationes, dedit.

Molas deinde, quas Veteres olim tanto brachiorum labore, venti hodie circumagunt. Præterire, ait Cardanus Cardan.lib. non possum, quod adeò est admirabile, ut antequam viderem, credere non possem. In Italie multis regionibus & in Gallia pañim molendina sunt, que ventorum flatibus circumvertuntur. Atque adeò vehementi impetu, ut tres equos cum equitibus circumagere possent: adeoque præsenti utilitate, ut modios 8. Mediolanenses in singulas horas, id est, libras circiter ter millefrumenti molere possint.

E. C. 10.  
Varier,

Ratio-

Rationem deinde confiendi ex Hieronymo Giravâ Hispano docet; quam longum & nimis mechanicum hīc attexere.

In tantā tamen ventorum utilitate , noxæ quædam &  
 & tam graves sunt, ut Seneca dicere veritus non fuerit:  
*Quod de Cæsare olim maiore vulgo dictatum est, & à T. Livio*  
*positum, In incerto esse, utrum illum magis nasci Reip. profuerit,*  
Lib. 5.  
Nat. c. 18.  
*an non nasci; dici etiam de ventis potest. O bellè! Sed veluti*  
*seditiones olim Tribunitiæ, & factiones Optimatum satis*  
*indicabant utiliorem Romanis futurum Cæsarem & Mo-*  
*narchiam; ita venti plus commodi, quām noxæ in Vniver-*  
*so habent.*

## C A P V T V.

*De numero ventorum.*

## A R T I C V L V S I.

*Quot, & quibus nominibus recensiti venti.*

 CRIPTVR A sacra sæpè quatuor ventorum meminit. Dan. 7. *Quatuor venti pugnabant in mari.* Zachar. 2. *In quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus.* Et Veritas, Matth. 24. *Congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Hi autem quatuor venti cardinales sunt, à quatuor Mundicardinibus / utroque scilicet Polo, Ortu, & Occasu / flantes. Præter quos, alij collaterales interisciuntur. Et quidem, quia infinitæ lineæ à circumferentiâ horizontis, ad centrum, in quo nos sumus, trahi possunt, infiniti etiam venti Mathematicè diversi, per alios & alios spirationis axes, spirare ad nos valent. Ad disciplinam tamen & distinctionem, in numerum certum redigi debuerunt.

Athenienses olim inter utrumque cardinalem, unicum lateronem immiserunt; ut facerent octo universim ventos.

In turri etiam marmoreâ octangulari Tritonem æreum versatilem collocarunt, dextrâ manu virgam porrigentem; qui contra flatum consistens, supra imaginem flantis venti, lateri turris insculptam, indicem virgam teneret. Fuitque hoc Andronici inventum, ut narrat Vitruvius.

Vitru. I. b.  
I. cap. 6.

Numerus deinde ad duodecimum auctus est; quem recepit Aristoteles, & passim Philosophi. Alij tamen valde concinnè sedecim statuunt: ita ut inter quoslibet duos cardinales, tres alij laterales interlocentur. Qui numerus abundè sufficit ad observationes & usus ventorum in terrâ. Nec tamen etiam ferè minor esse potest; quia inter duos cardinales, manifestè flat aliquis, qui pari intervallo ab utroque est dissitus; quem tamen Aristoteles neglexit, contentus duobus lateralibus. Nautæ verò, quorum valde interest, quo præcisè flatu impleant sua vela, in plura segmenta horizontem dissecant, & in pyxide suâ duos & tringinta ventos notant, ac observant. Inter enim duos quosque cardinales, septem collaterales interponunt. Nomina putantur à Carolo Magno inventa, & Belgica sunt; utunturque omnes pænè Europæ nationes, Germani, Angli, Hispani, Galli (etsi parum in pronunciationem suam frangant) præter Italos.

Nomina eorum apud Latinos varia, & perturbatè leguntur, dum alij Cæciam, alij Boream vocant Aquilonem. Quidam Eurum cum Subsolano, quidam cum Vulturno

Agell. lib. 2.  
c. 22. Plin  
lib. 2 c. 47.

confundunt. Nos nomenclaturam Phauorini apud Agellum, Plinij, & Senecæ ferè sequimur.

Senec. Lib.  
§. Nat.

Itaque Aristoteli à polo Arcticō flat Boreas sive Aquilo, ab Antarcticō Auster sive Notus, ab Ortu æquinoctiali Eurus sive Subsolanus, ab Occasu æquinoctiali Zephyrus sive Favonius. Atqui hi quatuor vocantur principales & cardinales, quia à principibus Mundi cardinibus spirant. Duobus versibus sic eos complectitur Iovianus:

*A summo Boreas, Notus imo spirat Olympos.*

*Occasum infedit Zephyrus, venit Eurus ab Ortu.*

*Qui Boreæ à dextris Trascias, à sinistris Meses, dexter  
Austri*

Austri Phoenicias, sinister Libonotus. Qui ad dextram Subsolani Cæcias, qui ad sinistram Vulturinus. Zephyri dexter Africus, sinister Caurus, appellatur. Aristoteles tamen Libonoti non meminit, Austrumque sine laterone sinistro reliquit. In obscuro caussa est. Quia fortè, ut quidā credunt, non insigniter in Græciam spirabat. Sic Belgæ Vulturum ferè negligere possemus, quia h̄ic imbecillis, & rarus est. Verū inter duos quoilibet laterales tertius, ut antè monui, inferendus est, pari distantiâ ab utroque cardinali. Itaque inter Boream & Eurum medius erit Boreapeliotes, ut Guil. Casanates vocat, qui 32. ventis nomina Latina fecit, ) voce ex Borea & Apeliote sive Subsolano compositâ: Flandris *Nord Oost*, Italîs *Graco dictus*. Inter Boream & Zephyrum *Boreolibycus*, Belgicè *Nord West*, Italicè *Maestro*. Inter Eurum & Austrum *Notapeliotes*, quem Belgæ *Zuyd-Oost*, Itali *Syrocco*. Inter Zephyrum & Austrum *Notolybicuſ*, apud Belgas *Zuyd-West*, apud Italos *Lebecchio* aut *Garbino*.

## ARTICVLVS II.

*Quomodo Indices ventorum describendi.*

**I**N descriptione ventorum, primò invenienda est linea Meridiana, decurrens directe à polo Arcticō versus Antarcticum; cuius inventio facilis est ex Vitruvio lib. 1. cap. 6. per observationem umbræ gnomonis solaris, aliquanto ante & post meridiem. Vel certe potessic ruditer. Observa longitudinem umbræ tuæ, cùm datur signum horæ meridianæ, quæ apud nos est duodecima; vel certe umbram styli alicujus tenuioris, ac per eam medium, ducito lineam à radice styli versus Septentrionem. Hæc enim meridiana erit, nisi horæ perpetuæ regebantur. Aut noctu adspice stellam polarem per cuspides duarum, si vis, hastarum, aut baculorum in terram intervallo aliquo defixorum. Linea enim iterum inter utrumque protracta, erit

erit Meridiana. Alia deinde per hanc medium ad angulos rectos, ab Ortu ad Occasum ducenda: & habes jam quatuor puncta istarum duarum linearum extrema, à quibus flant versus centrum seu punctum intersectionis, quatuor venti cardinales. Deinde pro ventis collateralibus aliæ lineæ, quæ priores ad angulos obliquos in eodem punto intersecant, protrahendæ. Ut una à punto medio inter Boream & Eurum, quæ à vento Boreapeliote in Noto libycum, qui inter Austrum & Zephyrum medijs est, cadat. Et ita in ceteris. Sic ut pro quoque pari oppositorum ventorum una tantum linea ducatur, quæ sit axis spirationis ipsorum, & à cujus extremis punctis flent & reflent in ora mutua. Hæ autem omnes lineæ circulo uno circumscribendæ sunt, qui imaginem horizontis habeat, & cujus centrum sit punctum illud in quo omnes ventorum lineæ se decussant.

Talem circulum in villis suis ab agricolis deformari, suadent rei rusticæ Scriptores. Vel potius, Andronici illius Atheniensis imitatione, duodecim, aut magis sedecim angularum turriculam concinnent, angulo uno quoque in suum ventum prospectante, Tritonemque, aut gallinaceum in culmine, qui rostro angulum ostendat, & inde flantem ventum. Vel si id nimium habet operæ, current saltem operum publicorum præfecti, ut cruces Temporum (quod ferè observare solent) ita locentur, ut una pars transversalis subjaceat loci Meridiano, cornuaque protendantur versus utrumque polum. Sic enim altera necessariò monstrabit Ortum & Occasum: habebuntque ab extremis illarum linearum punctis quatuor ventos cardinales, quorum supersedens gallinaceus index erit. Collaterales etiam inter cornuum intervalla, mente designare, difficile non fuerit.

## ARTICVLVS III.

*A quo horizonte sumendum initium ventorum.*

**V**itruvius horizontem, unde ventos rectâ lineâ ad nos spirare imaginamur, facit maximum terræ circulum, sive est ei horizon naturalis, qui terram in duo hemisphæria æqualia secat. Vnde, quia octo tantum ventos statuit, dat unicuique in circulo horizontis amplissimum spatium, scilicet octavam circuli terrestris partem, quæ secundum ipsum & Eratosthenem est, inquit, *ter millies mille & noningenties trigesies septies mille, & quingenti passus.*

Vitru. lib. I.  
cap. 6.

Verùm necesse non est tot millaria uni vento tribuere; præsertim cùm numquam, puto, eveniat, ut aliquis idem ventus à lineâ horizontis naturalis, id est, per totum terræ quadrantem, ad nos usque fluat.

Alij ergo meliùs, lineam visibilis horizontis in terrâ sumunt, & inde lineas & axes spirationis ventorum ad nos, id est, ad centrum horizontis adducunt. Quanta autem sit semidiameter horizontis visibilis in terrâ, sive linea ab oculo nostro ad punctum terræ remotissimum, quod ablatis omnibus montium, ædificiorum, impedimentis videre possumus, est adhuc incertum, quia non omnes in dimensione Orbis terræ conveniunt. Proclus existimat esse 1000. stadiorum, id est, 125. milliarum Italorum, sive ferè 42. Belgicorum. Sed hæc longitudo est longè major justo, si oculum non è monte, sed è superficie terræ spectantem accipiamus, ut statim patebit. Vnde etiam Daniel Barbarus in Vitruvij lib. 8. cap. 3. nimis liberalis est, cùm ad 500. stadia extendit. Longè parciор Bodinus, qui 14. tantum millaria donat: quousque (putat ipse) apes, cùm longissimè ab alveari, ad florilegij labores evolant. Macrobius 180. stadia statuit, id est, millaria Italica 22. seu Belgica paullò plus 7. Satis consenserunt Alhazeno lib. de Crepus. qui ait, *cum videns, est*

Bodin.lib. 2.  
Theat.

Macrobius.lib.  
1. Somn.  
Scip.

super aequalitatem terra, non pervenit visus eius, nisi quasi ad 23. milliar. ab omni parte. Nautæ tamen nostri parum minuunt, & intra sextum milliare Belgicum, demum emergere summa vela navium in mari referunt. Hos ergo, ut duces certiores, sequamur. Ita tamen, ut physicam solùm & pinguioris Minervæ, non Mathematicam & præcisam hanc dimensionem esse credamus. Nam si res ad Geometricam præcisionem vocetur, Keplerus oculum sex pedibus ( quanta ferè est altitudo viri staturæ mediocris ) à superficie tranquilli maris elevatum, non ultra millaria Ital. 3. sive leucam Belgicam 1. posse punctum superficie maris conspicere, definit.

Verum nautæ ex altitudine tecti suæ navis, & vela navium è longinquo venientium, aliquot passibus supra superficiem maris extantia intervallo 6. leucarum videre possunt. Si ergo semidiametrum 6. leucarum, fini nostro satis accommodam, accipiamus, tota diameter horizontis visibilis erit 12. millarium Belgicorum, sive 36. Italorum. Quæ longitudo triplicata efficiet circiter circumferentiæ ambitum, 36. Belgicarum leucarum. In quo si 12. venti Aristotelis ordine disponantur, quisque tres spatij leucas; si sedecim, duas & amplius; si triginta duo ( quot solent à nautis ) unam, & quod abundat, obtinebit.

Quæ tamen non sic accipe, quasi omnis ventus à circumferentiâ horizontis illius visibilis inceperit flare, & versus nos recidere. Multi enim è longinquieri veniunt, alij etiâ juxta nos orti sunt, citra illum horizontis limbum. Omnium tamen fatus in aliquam illarum linearum tamquam axem spirationis incident, quæ ab illâ 36. leucarum circumferentiâ ad nos rectâ protenduntur, & indidem venire censentur. Idem etiam ventus de una linea in alteram transilire potest. Ut qui initio secundum axem Boreæ, directe à Septentrione spirabat, in viâ, & antequam ad nos perveniat, in axem Thraciæ, vel alterius collateralis deflectit. Montes enim objecti, & difformitas aëris secandi,

Kepler.  
lib. I.  
Epit.

secandi, exhalationem hanc illac detorquet, & motum ejus, instar torrentis, turbidum facit & inconditum.

Sed è quanto intervallo, inquies, potest exhalatio eadem ad nos pervenire? Macrobius putat, Austrum gelidum esse, & Boreæ nostro simillimum, in suo ortu, fervorem autem contrahere longo per Zonam torridam traje-  
ctu. Vnde censet, eundem ventum ab uno polo ad alterum, per 180. gradus posse transvolare.

Macrobi.  
lib. 2. c. 9.  
Somn. Scip.

Sed hic campus est nimis magnus. Probabilior Aristoteles, qui Austrum Græciæ suæ, circa Tropicum Cancri credit exoriri. Cùm enim ex ipso ante docuerim, ventos instar fluminū & torrentiū per aërem gravitate suâ delabis, consequens videtur, ut non ex quantolibet intervallo in nos possint recidere. Dupli autem de causâ fieri potest, ut alius alio longiusferatur: vel quia gravitas exhalationis minor est, vel quia locus originis est altior. Prima enim causa facit, ut linea spirationis sit obliquior, & tardius tangat terram. Major autem gravitas per lineam breviorrem & magis præcipitem, ventosam exhalationem deorsum trahit. Sic Aristoteles dicit Austrum, quia leviorem, longius fluere, quam Boream. Si etiam exhalatio è loco eminentiori decidat, plus spatij ( ceteris paribus ) confere debet, antequam pertingat ad terram. Ex utrâque causâ venti Australes per spatiū longius, quam Boreales, spirant. Gravitas enim eorum minor, quia calidores & rariores sunt: & quia exhalatio rario scandit, ideo ex altiori loco cadunt. Nisi tamen vapes multi permixti spiritum suppressant & pregravent. Vnde venti Occidentales, qui ab Oceano Flandrico nobis spirant, majori pondere in Brabantiam decidunt, quam Subsolani, qui à vastissimis illis & mediterraneis Germaniae regionibus veniunt. Postquam autem exhalatio in terram cecidit, non statim componitur & quiescit, sed per multas adhuc leucas aliquando ab aliâ superveniente propellitur.

Arist. lib. 2.  
c. 4.  
Meteor.

Dices, hinc sequi, ventum semper in remoto quam in propinquuo esse longe ampliorem & validiorem. Respon-

I i 2 deo,

Arist. lib. 2.  
cap. 4.  
Meotet.

deo, plerumque saltem id esse verum, & ab Aristotele assertum, ubi docet, flatus initio invalidos, supplementa & vires, ut flumina influentibus rivis, colligere in progressu. Bona tamen pars exhalationis deciduae hæc illac diffundit, aut montibus, ædificijs, arboribus, alijsve obstantibus hebetata, alterius cadentis impulsu non sequitur. Vnde accidit, ut aliquando longitudine viæ non fiat ei magna accessio. Ibi autem exspirat & immoritur ventus, ubi ultima exhalatio delapsa aliquamdiu voluta fuit & fracta per terræ superficiem.

4. Esdr. 4.

Plin. lib. 2.  
cap. 103.

Dion. lib.  
66.

Ex his patet, non posse certò definiri distantiam terræ, è cuius vertice in nos decidit, aut quousque prolapsa evolvatur ventosa exhalatio. Quod significat Esdras: *Vade, pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, ant revoca mihi diem qua præterijt.* Mensura enim longitudinis axis per quem spirat ventus, reverè non potest à nobis sciri. Vnde Salvator Ioan. 3. *Nescis unde veniat, aut quod vadat.* Quia tamen Ætnæ cineres, Plinio teste, ad 150. millia pass. inde recidunt, & apud Dionem Vesuvius Campaniæ mons, sub Imp. Tito cinerem Romam usque, imo trans mare in Ægyptum & Syriam ructavit; nec videtur cinis vento adjutus ad hæc omnia loca, quæ contraria sunt, pervenisse: ventus è supremâ mediæ regionis parte (ubi Ætna verticem habet) tam procul in obliquum etiam recidere potest, quia sæpè non est gravior cinere. Vnde cùm 150. mill. pass. colligant 50. leucas Belgicas, patet, ventos sæpius oriri ultra horizontem nostrum visibilem, cuius semidiametrum ante tantum fecimus 6. leucarum. Et hinc est ut venti & nubes videantur nobis supra horizontem ascendere. Et certè vix mihi dubium, quin humili illi & frequentes Zephyri & Africi nobis ex Oceano Flandrico & Gallico surgant. Id enim & qualitas indicat, & assiduitas; quia facilius Sol è mari & humentibus spiritum, quam è sicco resolvit. De Austro etiam probabile est, aliquando è mari Mediterraneo huc usque pervenire. Nisi tamen (quod, puto, sæpe accidit) è Provinciâ, & viciniore

viciniori nobis Galliâ , imbribus propinquai utriusque maris ( Oceani scilicet & Mediterranei ) humectâ , spiritus ille pluvius surrexerit.

## C A P V T VI.

*De Ventis anniversarijs.*

EN IVS generaliter in procellosum, & non procellosum dividii potest. De procelloso Lib. II. circa materiam fulminum diximus. Non procellosus est, qui vulgariter appellatur ventus, & ab Aristotele definitur, *Exhalationis siccæ copia per terram currens*. Hic vel anniversarius est, vel non talis. Anniversarius, à Græcis Etesias dictus, flat statis quibusdam & solemnibus anni temporibus. In Græciâ quidem & plerâque Europæ regione, æstate à Septemtrione. Vnde Aristoteli, Plinio, & alijs Etesiæ passim dicuntur venti Septemtrionales. Non ubivis tam indidem spirant. Scaligerum audi. *Hic in Gasconiâ, Scalig. inquit, eos, ( Etesias Aquilonares ) numquam sensimus, sed Exerc. 47. Austros, tum crebros, tum perniciosos. Quin etiam in orâ Carnorum ad Adriaticum, eorum nullum sensum cepi, sed potius Subsolanos, qui secundo Sole flant, ut loquitur Nigidius, id est, ut observavimus, Solem comitantur. Vbi paullisper etiam resisto super isto Nigidianæ phrasis interpretamento. Verba ejus sunt ex lib. 2. de Ventis, apud Agellium. Et Austri Agell. lib. 2. anniversarij secundo Sole flant. Vbi considerandū, ( ait Agellius, nec resolvit ) quid sit, secundo Sole. Non ergo de Subsolanis, cap. 22. sed Austris, loquitur Nigidius: qui flant secundo Sole, id est, ut existimo, Solem comitantur, ad nos motu proprio à Brumali Tropico revertentem. Etesiæ enim Australes & Ornithiæ spirant, ut statim dicam, post hiemale Solstitium. Sic dicimur secundo flumine navigare, id est, aquâ obsecundante, & comitante navem.*

## ARTICVLVS I.

## Tempus Etesiarum.

**E**TESIÆ Septemtrionales flare occipiunt, inquit Ari-  
stoteles, post Solstitium æstivum, circa exortum  
Canis. De Cane verò minore sive Canicula id intellexit  
Plin. lib. 2. cap. 47. Plinius. Dicit enim: *Ardentissimo æstatis tempore exoritur  
Canicula sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente; qui dies  
decimus quintus ante Augustas Calend. est. Huius exortum diebus  
octo fermè Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. Post  
biduum autem exortus, idem Aquilones constantius perflant die-  
bus 40. quos Etesias vocant.* Verum in Belgio aliter experi-  
mūr, & mensibus vernis, dudum ante Canis exortum ad-  
spirant nobis Prodromi, & eorum sequaces Etesiæ. Vnde  
An. 1627. cum Etesiæ alsiosi & secchi per Aprilem & Ma-  
jum totum flavissent, nullum floridis illis mensibus in  
Belgio fulmen aut tonitru fuit; cùm tamen hīc solempne-  
sit, quando arbores sunt in flore, micare semel iterum-  
que fulgura, & cæli tumultum exaudiri.

Anni quoque 1634. 1635. 1636. supra hominum me-  
moriam secchi ab Aquilonibus Etesijs, per ver & æstatem,  
in autumnum usque pertinacibus. Vnde annorum isto-  
rum autumnitas seccha fuit & solaris.

Anno verò 1625. à 30. die Augosti ad 24. Septembris,  
pertinaces, & vix alio brevi subinde flatu interpellati  
Etesiæ. Qui etiam Lovanij 7. Septembris incendium  
latissimè sparserunt. Cum etiam celebri illo Encæniorum  
dic, imprudens aliquis igne bombardario stramineum te-  
ctum incendisset, Etesiæ Aquilonares in adversam & Au-  
stralem plateæ regionē scintillas difflayerunt, & integrum  
duarum & triginta circiter ædium insulam, cum horreis  
multis plenis, funditus & sine remedio absumperunt.  
Nos enim hīc, ut scias, velut in viridi illâ & suburbanâ  
Platonis Academiâ habitamus, & (ut Lipsius noster in  
suo Lovanio) *Rus in urbe habemus.*

Præter

Præter Etesias Aquilonares, sunt alij Australes, quos Aristoteles ἀνονορότες, id est albos Austros, alij ὄψιδας, seu Aviculares vocant. Leuconotos quidem, quia sereni & innubes, inquit Theophrastus. Auster enim tenuis & invalidus, quales verni illi Etesiae, solet serenare. Aviculares autem, quia procreandis avibus maximè faciant, ita ut aves solo eorum afflato ova concipient, ut Vicomercatus ( non ego ) credidit. Vel potius ab adventu avium, ut Plinius. Aut etiam, quia venti Australes circa initium veris, aves imbecilli & brevis volatūs ( quales coturnices, aliæque è peregrinis

— *quas frigidus annus  
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis* —

ex Africâ & locis Zonæ torridæ vicinis, reflant in Europam. Vnde quia lato Maris mediterranei trajectu, multæ viribus defectæ, & in mare deciduæ, aquis suffocantur, accolæ quotannis punctionem coturnicum instituunt, si Bodino credimus. Hinc à me observatum, anno 1619. rarissimas apud nos fuisse coturnices, quia toto vere Aquilones in Africam respiraverant. Sæpe tamen non in Africam usque avolant, sed in Insulis maris Mediterranei coturnices hibernant. Nec invenustum quod narrat Ni-  
colaus Perottus. *Caprea, inquit, Insula est, ultra Surentum Cornucop.*  
Campania urbem circiter 8000. pass. Tiberij Principis arce quondam nobilis, nunc contornicum multitudine, quæ ex Italia evolantes, illic principio autumni capiuntur, quo tempore pinguissime sunt. Findunt eas à superiori parte, & detrahe adipe reliquum corpus sale condunt, adipem liquant, servantq; in alabastris, condiendis epulis jucundissimum. Quod genus ganeæ antiqui ignorarunt. Ornithiæ post Solstitium brumale, ut Etesiae post aestivum, incipiunt flare, sed tardius, & septuagesimo demum die, inquit Aristoteles: flatu etiam invalidiori, & saepius interpolato. Circa ergo initium Martij nobis redeunt.

## ARTICVLVS II.

*Cauſſa efficiens Etesiarum.*

**A**ристoteles & Theophrastus docent, Ethesias Aquilonares gigui à liquatione nivium & glaciei sub ultimo Septemtrione. Toto enim medio anno quo Sole carent, plurimum nivis decidit, & mare sic glaciatur, ut Hollandi, dum nuper viam illac in Sinas quærunt, in ipso Solstitiali die glaciem marinam 6. pedes altam repererint.

Non statim autem à Solsticio Etesiae adspirant; quia longa mora Solis (præsertim quia radius ibi ejus valde obliquus est & inefficax) tanta concretio dissolvi potest. Canis, & Canicula etiam, quibus tunc Sol jungitur, fortasse aliquid in commune conferunt ad illam nivium & glaciei tabem. Ex spiritu ergo nivali in altum sublato, & deinde post frigerationem relabente, est illa materia Etesiarum. Notavitamen non uno anno, & præsertim proximis istis 1624. & 1625. Ethesias istos Aquilonis, non semel tantum, sed bis, velut ad constitutum, redire, & pertinaciter satis edurare. Primo, mense Majo, deinde Augusto, aut initio Septembris. Cauſſa videtur esse, prima tabes & liquatio summarum aut rarissimarum partium nivis, quæ diu tollerare nequeunt Solis temorem. Aliæ vero partes densiores & compactæ, tardius liqueſcunt, & aliquantò post Solstadium. Necenim verum est, quod Seneca, mense Iulio dispoliata esse omnia, aut pauca adhuc jacere ibi sub nive ait. Hollandi enim & experti palam dissentunt. Cum præsertim plurimi etiam alibi montes vix toto anno se exuant nive. Deinde, sint etiam fane omnia dispoliata nive; ex aqua saltem illa multa nivali, quæ terrâ illa computruit, resolvi possunt Etesiae.

Cauſſa vero inconstantiae eorum, reiicienda, ut facit Theophrastus, in liquationis & resolutionis dissimilitudi-

Senec. lib.  
5. c. II.  
Nat.

nem⁹

nem; aut quia certè exhalatio aliorum avertitur. Ipsa enim in sublimi pendula, diffluere in orbem potest, & in quamlibet Mundi partem. Pronius tamen e Septemtrione versus Torridam recidit; quia aëris hinc rarius & solutior, & exhalationi se dividere conanti facile obediens. Dubia ergo exhalatio, quānam defluat, potius inclinat, ubi inventura est resistentiam minorem. Cūm enim undique se exonerare tentet, partem infirmiorem impellit, & illāc effluit.

Delicati autem & somniculosi à nautis Etesiae vocantur, ut ait apud Senecam Gallio, quod manè nesciant surgere. Ut enim Plinius, noctu desinunt ferē, & à tertia diei horā oriuntur. Somniculosi ergo sunt quos tribus integris horis prevertit Sol exoriens. Sed cur potissimum interdiu spirant? Quia, inquit noster Aristoteles, internoctru aquæ concretæ non liquefunt, nec exhalationes funduntur, sed aliquot horis ( quando etiam siccantur & diffugiunt rores ) post Solis ortum. Sed ecce mihi scrupulus, & lapis offensionis, ubi omnia plana rebar. Sol enim sub polo, toto illo medio anno numquam occidit; cur ergo etiam nocte nostrâ, quæ ibi dies est, non exspirantur ē nivibus illis, & in nos recidunt Etesiae? Dic ergo, eos qui die tantum spirant, ex vicinâ v. g. Hollandia, non ab ultimo Polo nobis advolare. Cūm enim venti Aquilonares, ut Aristoteles etiam & Theophrastus nos docuerunt, graviores & propensiōres sint ceteris, non longè cadunt: unde saepius in terram decidere oportet exhalationes sub Polo elevatas, & denuō resurgere, ut tandem in nos recidant. Venti enim postquam in terram delapsi, in superficiem ejus effunduntur instar invisibilis aquæ, ibique hærent; aut certè, si paullò leviores, in aëre tamen infimo penduli oberrant & fluctuant. Hinc autem radio surgentis Solis icti, denuō in sublime retracti & in nubibus refrigerati, longius recidere possunt. Alias enim fieri non potest, ut à Polo Arctico, spatio trium aut quatuor horarum, per gradus ferē 40. pervenire ad nos Etesiae, languidi præsertim, ut solent,

lent, & remissi valeant. Dupliciter autem Sol exoriens ventorum affluxum adjuvat. Aut excitando materiam, quæ statim in sublimi densetur & defluat; aut aërem nocturnum tenuando, ut facilius in illam partem exhalationi delabenti cedat. Tam citò autem, inquietes, exhalatio scandens refrigescit & densatur, ut statim recidat? Ita. Et ne mireris; vide halitum hieme in aërem frigidum exspiratum ore animalis, subito sic addensari, ut palam sit visibilis, & lumen reflecat; cùm tamen æstate propter raritatem nemo eum videat.

Ceterum Ornithiæ Australes tardius & interpellati spirant, inquit Aristoteles; quia circa Solstictium hiemale Sol nimis a nobis abest, nec per hiemis rigorem, sat multas exhalationes ex locis circa & citra Tropicum Cancri jacentibus, ad ventum saltem constantem, excitare valet. Itaque Ornithiæ differuntur ad initium fermè veris.

## C A P V T VII.

*De Ventis Provincialibus, Apogæis, & Auris.*

ENTVS Provincialis est, qui Provinciam aliquam specialiter, non alias vicinas perflat. Talis Iapix sive Atalbulus in Apulia, Circius in Narbonensi Gallia, Olympias in Eubœâ, Sciron Athenis.

Phauoritus apud Agell. Iapiga, pulchro argumento, existimat esse Caurum; quia Virgilius Cleopatram è navali ad Actium prælio in Ægyptum Iapige vento fugientem facit. Fallitur ergo noster Lemnius, qui West Zuyd West, inter Zephyrum scilicet & Austrum, medium putat. Circio autem, etiam ædificia quassanti, gratias tamen agunt Narbonenses, ait Seneca, tamquam salubritatem cœli sui ei debeant. Templumque illi, ut benefico, Cæsar Augustus, cùm

Agell. lib.  
2.c. 22.

Lemni. lib.  
3.c. 3 de  
Occult.

cum in Galliâ moraretur, & vovit & fecit. Hodie etiam & nomen & vehementiam retinet, ut in Notis ad Senecam testatur M. Ant. Muretus. Hic quoque Caurus, aut prope ipsum est. Qui in Occidentalibus etiam Nortwegiæ & Islandiæ littoribus omnia evertit, ut scribit Olaus. Galli Picardi, teste Bodino, excoriatorem vitulorum appellant: nomenque idem, ut jam intelligo, apud rusticos nostros habet; quia per Martium aliquando debacchans, vitulis frigore necem affert, & corium detrahit. In Hannoniâ & Artesiâ passim ventum Scotum nominant; quia à Scottiâ pœnè ipsis venit.

Subsolanus etiam toti Zonæ torridæ dici potest quodammodo Provincialis. Circa enim totum anni circulum molliter spirat. Adeò ut Iof. Acosta, diligens rerum Americanarum Scriptor, censeat non esse exhalationem, sed aërem motu primi Mobilis in orbem circumvectum. Sed tamen fallitur; nam raptus cæli, ut Libro primo docui, usque ad terram non descendit.

Causæ ventorum Provincialium in primis sunt montes, qui à vicinis Provincijs avertunt flatus. Ita Circum arcet modicum jugum, ut ait Plinius, ne in proximam Vienam penetret. Sic etiam ab Olympo & Ossâ Aquilo ita Plin. lib. 2. cap. 47. reflectitur, ut sibi ipsi reflectet, & nubes inferiores agat in Septemtrionem contra seipsum, ut docet Theophrastus. Venti autem sic in se reflexi, Tropæi, aut Vensorij appellantur.

Angustiæ deinde regionis quam perflat ventus, facere cum possunt magis insignem & Provincialem. Inter enim montes v. g. spiritus densior & torrentior est, ut fluxus aquæ in angusto. Pari modo, ventus per rimulam fenestræ in cubiculum inspiratus, appositâ manu, densius & frigidius sentitur, quam si toto ostio admittas.

Denique, vicinia terræ fungosæ, aut perpetuò humentis, item maris, aut insignis alicujus lacūs, ventum pertinaciorem & ferociorem, in illam Provinciam expellit.

Apogæi, quos Plinius Altanos, Apuleius Terrigenas vocat, sunt venti è certâ Provinciâ natî, & in eam recidentes.

Auræ verò, molles quidam & humentes ventuli è mari, lacibus, aut fluminibus vaporati, & in vicinum refluentes.

Manè autem potissimum exoriuntur, humore in altum, tempore primi Solis, exsucto, ac deinde frigore superioris aëris leniter densato, & sic per aëra leviora relabente, ut Theophrastus & Aristoteles verissimè. Si vero spiritus è sinu aliquo profiliat, Encolpias, quasi Sinualis, vocatur, ut Auctor Libri de Mundo docet.

## C A P V T VIII.

*De proprietatibus Ventorum.*

**V**ARIA, perplexa, & confusanea pleraque ab Auctoribus de proprietatibus & qualitatibus ventorum scribuntur. Ratio mihi esse videtur, quia quisque patriam suam aspicit. Non ubique autem venti ab eodem cardine cœli flantes eandem habent & fundunt temperiem. Fabr. Paduanus Philosophus Foroliviensis affirmat, Eurum in Italâ esse calidum & humentem, & Austro nostro similem: Fracastorius, Vulturnum & vicinos Syloccos, effusè pluviosos, qui hîc sæpius aridissimi sunt. Et Plinius: *Auster Africa serenus, Aquilo nubilus est.* Et Poëta celsus.

*Tanta quatitur nec grandine Syrtis,*

*Stat. lib. 8.*

*Cum Libye Boreas Italos niger attulit imbres.*

Vbi Libyæ, sive Africæ Boream dicit è mari mediterraneo & vicina Italia nubes & imbres inferre. Cum tamen è contrâ Boreas Italis serenator, Auster imbricitor sit. Iosephus Acosta narrat, inter Æquatorem & Tropicum Capricorni, Austrum esse Hispanico Boreæ, frigore cognatum. Itaque, ut omni confusione & perplexitatibus me expediam;

Dico

Dico Primo: Naturales qualitates omnium ventorum, quā exhalatione constant, frigus & siccitas; quā vapore, frigus & humiditas sunt. Ratio est, quia probabile est, exhalationem adhuc retinere formam terræ, & vaporem aquæ; illæ verò qualitates, terræ & aquæ naturales sunt.

Secundò: A terrâ tamen & aquâ, aut alijs corporibus, unde venti resolvuntur, item ab aëre, & locis per quos traiiciunt, varias alias peregrinas qualitates contrahere possunt. Patet, quia hæc omnia contagione suâ alterare & inficere valent exhalationem.

Tertio: Omnis ventus simpliciter frigidus est. Testor experientiam, & caussam efficientem; quam antè docui, esse frigus mediæ regionis aëris, condensans & prægravans exhalationem, ut recidat versus terram.

Quartò: Alij tamen alijs frigidiores; vel quia per loca algentia, ut Aquilonares, transeunt; vel quia è mari sublati, & insuper nubes inde secum vehunt, ut Occidentales. Horum comparatione, Orientales & Austrini, calidi dici possunt. Et Aristotelem volentem in hanc sententiam abduco; cùm Aquilonibus frigus & siccitatem, Austris calorem & humiditatem, Subsolani calorem & siccitatem, Zephyris frigus & humiditatem, id est, singulis alicujus Elementi naturales qualitates distribuit. Aquilo enim terreus, Auster aërius, Subsolanus igneus, Zephyrus aqueus sic erit.

Quintò: Venti omnes qui exhalatione constant, reverâ siccii, qui vaporem trahunt, humecti sunt. Vnde qui à mari vel aquosis, multum humoris, qui à mediterraneis & arentibus afflunt, multum siccii habent. Sed de singulis manifestius aliquid dicamus.

### ARTICVLVS I.

*Ventorum Septentrionalium qualitates.*

**A**Quilones ubique ferè in Europâ celebrantur algentes & siccii: quia frigida loca permeant, & ex K k 3 subtilissimâ

subtilissimâ & aridissimâ nivium frigidæ Zonæ parte resoluuntur. Hinc etiam sereni, & corporibus humanis salubres existimantur. Homero Odyss. E. Boreas ~~diffidit~~<sup>diffidat</sup> serenator appellatur. Experientes in Belgio Architecti eum in cæde lignorum observant, sed tamen magis eos qui paullisper declinant in Ortum. Non minus enim contra teredinem, venti siccitatem quam Lunæ silentium, putant referre.

Serenat autem Boreas, ut equidem existimo, & quia frigore aërem densat, ne facile coire, & in unam guttam majusculam, quæ sat ponderis ad relapsum habeat, confluere vaporis particulæ valeant; & quia nubes è longinquo multas & aquosas non adducit,

Virgil. lib 3. Georg. *sed tantum — Arida differt Nubila*, ut Virgilius ait. Cum enim præcipiti casu, tamquam gelidior & densior, in terram se exoneret, nec in longum, ut Auster, spiret; in latus etiam nubium non incurrit; sed vel origo ejus infra ipsas & prope terram est, vel si est supra, perpendiculari propemodum lapsu casu incidit, nec inde procul aspellit. Hinc in regionibus à Polo remotis, & ferociâ & frigore longè sibi dissimilis est.

Plutarchus in Sertorio caussam temperiei Fortunatarum Insularum potissimum in Aquilonem retulit; qui eò fractus & elumbis, ac rigore per spatia tepentia mollito, pervenit. Hincque Sertorium sumpsisse impetum, ut reliktà Romanis Hispaniâ, in beatas illas Insulas demigraret, molliorem fortunatamque extra bellicos tumultus ac inter blandimenta regionis exacturus vitam.

In Belgio tamen Aquilo cardinalis non semper serenitatem, imd sæpiissimè nubes adducit & humorem; ut docuit nos longa & certa experientia. Ratio, sine dubio, est; quia à mari Deucalionæ & Hollandico nos hic afflat, unde nubes è vaporibus illius Oceani concretas in verticem nostrum propellit. Manifestius tamen id Thrascias & alij ad occasum inclinantes faciunt; quia ab ingentibus Oceani Scotici spatijs, ubi Sol etiam præsentior plures nubes

nubes evaporat, adspirant. His ventis Boreolibycis annus nuperus 1624. & 1625. aliosus, & perpetuò per multis dies profuse pluens fuit, circa æstivum Solstitium; adeò ut Solstitiali ipso die, frigore pænè diriguem, dum inter Duacum & Valencenas curru forte vehor.

Longe vero sicciores, & unici ferè serenatores nostri sunt, Meses, Boreapeliotes, Cæcias; qui scilicet arcum illum obsident inter Boream & Subsolanum: quia nobis à siccio fermè & terreno flant.

Salubres etiam Aquilones, ubi frigidi & siccii sunt; quia purum sine nebulâ aërem vehunt, & impuros Austros abigunt. Frigore deinde cutem animalium stringunt, & calorem naturalem in interaneis & partibus vitalibus quæ coquunt alimentum, continent. Et abhinc Septemtrionis populi salubriori corpore & vivaciōri sunt; adeò ut vegeti & robusti ad annum 80. ait Asclepiades, facile perveniant: ubi Æthiopes anno 30. senescere incipiunt; quia carne rariori, & calor regionis aperit poros, effunditque spiritum & calorem naturalem. Nec enim quod Hispani, Itali, & Meridionales, salaciōres Belgis, majoris caloris est argumentum. Lepores enim longē proniores in Venerem, quam leones sunt, & tamen multò minus calent. Humor ergo melancholicus magis quam calor, acrimoniā suā videtur acuere & sollicitare Venerem. Abundantiam autem melancholiæ in Meridionalibus affirmat tanta furiosorum in Africâ multitudo, quibus ubique publicè domus constitutæ sunt, ut ex Leone Afro Bodin. c. 5. probat Bodinus. Et Antuerpiæ profecto plures in furiosa Method illâ domo Hispanos, Italos, hypochondriacos & furere videas, quam Belgas; qui leviter potius dementiunt, quam furijs agitentur. Irascuntur etiam facile Meridionales, sed non ab excessu caloris, at frigore magis, id est calore modico, ut feminæ: quæ Hippocrati ὄξεις non sumādesīs feroce, non animose, appellantur, ut pulchre docet Laurentius. Vel certe à frigore & siccitate in unam complexionem melancholicam colligatis: Salubritatem Aquilonis

Laurent.  
lib. 8. c. 2.  
Anat.

Aquilonis etiam egregio exemplo M. Varro , ille Rei rusticæ Scriptor, ostendit. Cùm enim Corcyrae per classem & exercitum grassaretur mirum in modum pestis, immisso fenestris novis Aquilone , & obstructis pestilentibus ventis ianuaque permutata, suos comites & familiam incolumes reduxit. Magnus etiam Hippocrates pestilentiaæ illi famosæ , quæ totam pænè Asiam ab humano cultu vastam fecit , plurima mortalium millia , simili arte eripuit.

*Varro lib. I. c. 56. Rei sublimia, quæ perflicantur vento ab exortu , ac Septemtrionum rusticæ , ad quæ nulla aura humida ex propinquis locis adspiret.*

*Vitruvius quoque dispositionem urbis Mitylenes damnat. In insulâ Lesbo , ait , oppidum Mitylene magnificenter est edificatum & eleganter , sed positum non prudenter. In quâ civitate , Auster cùm flat , homines agrotant ; cùm Corus , tuſiunt ; cùm Septemtrio , restituuntur in salubritatem : sed in angiportis & plateis non possunt consistere propter vehementiam frigoris. Simum errorem in ædificatione Hordei novi ( oppidum est Venetorum ) castigar Dan. Barbarus. Quia studiosè sic factum , ut singulæ plateæ ad singulos dirigantur ventos , excipientque omnes. Ut proinde nesciam , an in laudem vñdat , quod de Alcmaria Hollandiæ oppido , & natali suo prædicat noster Natinius. Id affirmare ausim , inquit ,*

*Pet. Nan. lib. 10. c. 1. Miscell. oppidum illud ex castris , cuius formam etiamnum retinet , natum esse. Quippe cuius omnes plateæ per cardines & decumanos limites dirigantur. Nam aut ab Oriente æquinoctiali in Occasum æquinoctialem recto tramite descendunt , aut ab Arcto in Meridiem , nusquam ullo obliquamento aut ambage. Attamen præcipit Vitruvius , Directiones vicorum ita convertendas à regionibus ventorum , ut advenientes ad angulos insularum frangantur , repulsiq; dissipentur. Maximè tamen omnium admittendi Aquilones ( aut in Belgio , qui inter Aquilonem & Oratum Æquinoctialem sunt ) & Subsolani. Quod prudensissime & affabré servatum in dispositione fori urbis Tornacensis nuper vidi. Vbi malignis Austris alta & perpetua ædificia objecta sunt , admissis per magnam platearum amplitu-*

platearum amplitudinem Aquilonibus & Subsolaniis.

Sed nihil etiam A quilo nocet? *Tussum movet, ait Celsus,*  
Cer. Cels. lib. 2. c. 1.  
*fauces exasperat, ventrem astringit, urinam suppressit, horrores*  
*excitat, item dolores lateris & pectoris.* Addit tamen: *Sanum*  
*tamen corpus spissat, & mobilius atque expeditius reddit.* Noxas  
tamen illas per accidens solum & in corpore humoribus  
tumido creat, ut ad Celsum Ronseus docet. Dum  
enim per poros se insinuat, & humores siccare nititur, ac  
sollicitat ad expulsionem, nec tamen valet expellere, cor-  
pus frigore suo adstringit, & humorem à capite in fauces  
& thoracem exprimit. *Vesica quoq; facile frigore læditur*  
& contrahitur, quia est exsanguis. *Alvum etiā suā siccitate*  
indurat. Aliquando tamen etiam exprimendo humores in  
sentinam illam corporis, eam citat & præcipitat. Vnde Pli-  
nius gregem contra Aquilonis flatum pascere vetat.  
Plin. lib. 19. cap. 33.  
*enim, ait, lippiantq; ab afflatu, & alvo citā percunt.* Hinc Medi-  
ci catarrhos fugiendos ventos meridionales & septentrionales  
præcipiunt, quod illi plus aquo repleant, hi verò exprimant.  
Laurent. lib. de car. torrho. c. 5.

Inde illæ toto Belgio Anno 1627. Majo, Iunio, Iulio  
tussum, quas frigidi Aquilonis Etesiae è capite in fauces  
expresserant. Ac multo vehementiores Anni 1639. initio.  
Cùm enim Anni 1638. exitu molles Austri longo flatu,  
corporum humores fudissent, repente circa Natalem  
Christi exorti Aquilones raucedinem & tussum, morbum  
Belgis epidemicum fecerunt. Adde ut Antuerpiæ & alibi,  
verbi divini præcones, generali tussientium Auditorum  
strepitu interpellati, cessare debuerint.

Licet etiam Boreas sèpius leniat aut extinguat, ali-  
quando tamen etiam incendit pestis ardorem. Miratur  
enim Cornelius Gemma in acerrimâ illâ anni 1564.  
Cor. Gemma lib. 2. c. 2. Cos. mecrit.  
Aquiloniâ hieme (quâ etiam paßim, inquit, pauperioribus  
aures, pedes, manusq; decidebant) pestilentiam Bruxellæ alijs-  
que Belgij locis nil remisisse, sed sæviisse atrocissimè.  
Quia, ut existimat, nimia frigoris adstrictio impedivit san-  
guinis humorumque transpirationem.

In Britanniâ etiam Iul. Scaliger negat esse vinum ver-

naculum; quia egressum è Leone Solem excipiunt frigidiusculæ Etesiarum auræ, quæ non sinunt uvas ad maturitatem perduci. Quanquam in collibus ab Aquilone aversis uvas mitescere & percoqui posse Euphormio affir-

Euphor. In met. Britannia vitem, inquit, alere potest, uvasq; ad maturitatem perducere. Nam & Cauij amœnitas crebro collum dorso suspensa, & Wintoniensis regio, cum ceteris ad Meridiem Ortum versus antibus olim vineta habuere: quæ deinde pascuorum utilitas, viliusque redemptum ex Aquitania vinum exemit.

Anno etiam 1625. omnem pænè vini spem, aliosi illi circa Solstitium Aquilones, & Etesiae, deinde per totum pænè Septembrem secuti, extinxerunt.

Certum quoque est, & à Columellâ notatum, cortices arborum Septemtrioni obversos, duriores esse, ideoque in transplantatione, rubricâ signari. Et Poëta:

Virgil. lib.  
2. Georg.

*Quin etiam cali regionem in cortice signant:  
Vt quo quaque modo steterit, quā parte calores  
Austrinos tulerit, quā terga obvertit axi,  
Restituant. Adeò in teneris consuescere multum est.*

Sed quā vi Aquilo omnia sic adurit, & conglaciat? Non frigore aut siccitate, ut vulgus Philosophorum existimat, aiunt Chymici; sed vi quadam aliâ opiaticâ, & frigorifica quæ non sit formale frigus. Et Quercetanus: *Non quia siccus & frigidus, glaciat sed quia eius proprietates viriolata, acetosa & berberizata sunt.* Ut res, sic verba mira.

Iob. 37.

Verùm, stultum est, inquit alicubi Aristoteles, sensu relictio, sectari velle rationem. Hoc enim est eruere sibi oculos, quod olim fecit Democritus, ut solâ imaginatione in tenebris utaris. Quare ergo volumus Boream, ut opium & cicutam, frigefacere, & non magis, ut aquam vel nivem? Frigore ergo, quod in eo sentimus, refrigerat & addensat, perinde, ut ignis calore dissipat ac rarefacit. Indurat etiam glaciem & incrustat, si siccitas insignis frigori adsit. Indicat hoc Sapiens ille Eliu: *Ab interioribus (id est, Austro.) egreditur tempestas, & ab Arcturo (id est Septemtrione)*

temtrionē , ubi sidus Arcturi ) frigus . Et volens significare effectum frigoris Aquilonis , subjungit : *Flante Deo concrescit gelu , & rursum latissimè funduntur aquæ.* Idem innuit *Psal-*  
*tes : Mittit crystallum ( id est , glaciem ) suam , sicut bucellas.* Psal. 147.  
*Ante faciem frigoris eius ( quo scilicet aqua mollis & fluens*  
*in lapideam glaciem sic duratur ) quis sustinebit ? Quod*  
*etiam satis aperte experientiā probatur. Nam expulso per*  
*calorem ignis frigore , glacies , nix , metalla etiam plera-*  
*que tabescunt & liquantur. Igitur frigore tenebantur*  
*antē , & figebantur in isto rigore , ne partes diffuerent.* Franc. Va-  
*Valesius tamen perseverat negare , Boream astringere*  
*aquam frigore , sed efflando ex aquā ignem , quem putat*  
*tenuissimo spiritu permixtum omnibus corporibus illum-*  
*que esse , qui liquores omnes fluxos efficiat. Itaque stat*  
*& concrescit aqua , inquit , quia Aquilo ignem è poris ex-*  
*pellit , qui partes aquæ fundebat.*

Sed difficulter persuadebit. Sic enim alij venti , et si minus frigi , passim etiam gelabunt , quia & ipsi se insinuare intra meatus , & flabellare ignem illum spiritalem possunt. Deinde , substantia venti non tam altè in aquam , quam conglaciatio , descendit : & sàpè aqua profundior frigore alligatur , vento ultra summam ejus superficiem non penetrante. Denique cur ignis ille levior , aquà non exspirat ; aut cur in eum non collabuntur & ipsum extinguent partes illæ aquæ liquidæ & fluentes ?

Hoc quoque inter effectus Boreæ habet admirationem , quòd Pet. Nannius , elegantium Musarum in Collegio Trilingui Lovanij ab annis jam centum Professor , Bo- Pet. Nan-  
Lib. 10.  
*ream Hollandiæ parentem faciat. Omnino mihi persuadeo , cap. 1.*  
*inquit , Hollandiam munus Boreæ & Rheni esse. Ac principiò Miscel-*  
*nihil , præterquam altius quoddam astuarium Oceanii fuisse , ac paul-*  
*latim aggestu arene , quam plurimam ibi Boreas excitat , primùm*  
*in littus , postea in montes assurrexisse ; quos ibi quotidie & nasci*  
*& perire videmus. Rheni verò undas ad istud obstaculum , quasi*  
*ad aggerem retentas fuisse , ac magno cum limo quem secum tra-*  
*bit , circa has horas subseditisse , atque ita longa alluvione hec pascua*  
*nata esse.* Deinde

Deinde à Dania , Nortwegia , & alijs Septemtrionis Regionibus avulsa fuisse cum arboribus suis Insulas, quæ flatibus Aquilonum propulsæ Hollandiæ æstuarijs adhæserint, ibique subsederint in profundum. Sed ipsum audiamus. *Mea opinio est*, ait, *eas Insulas* (quarum apud Pliniū mentio) *cum suis arboribus advectas fuisse in humillima Hollandia, ibique proculiusse* (idem evenisse arbitror in Brabantica Campinie, cùm certum sit usque ad Tungro olim Oceanum alluisse) *atque ita alluvione Rheni paullatim sepultas esse*. Et firmat non illepidâ historiolâ. *Memoria teneo*, ait, *avum meum qui vixit ad nonaginta & octo annos, narrare solitus, cùm avulsa Insula ex Dania se superfudisset ijs stagnis, ubi nunc sunt Fæni, sive Fenen, Danos repetitum venisse suas terras, ac litem super ea re institutam fuisse. Iudicatumque ut alienum solum vel liberarent peregrinâ Insulâ, vel possessione cederent.*

## ARTICVLVS II.

*Ventorum Meridionalium qualitates.*

**A**vster, & qui circa eum proximè, vulgo calidi audiunt & humentes. Calidi, id est, ut puto, minus frigidi: quia ex locis Zonæ torridæ propinquioribus rectâ ferè & brevissimâ lineâ spirant; ideoque exhalatio & vapor quem vehunt tepidior, tamquam potentiore Solis calore resoluti; & deinde aliquid etiam frigoris poluerunt, longo sâpè per calidas regiones & obliquo transcursu. Cùm enim obliquiores ceteris sint, necesse etiam est, ut diutiùs per infimam & tepentem aëris regionem vectentur, antequam ad terram veniant. Et hinc etiam *Astro*, inquit Plinius, *maiores fluctus eduntur, quam Aquilone; quoniam ille infernus ex imo maris spirat, hic summo.*

Humidi verò nobis sunt, quia & multo vapore è mari Mediterraneo & alijs aquofis elevato constant, & maximè, quia plurimas nubes, longo illo transversali volatu, imbrum fecundas colligunt, quæ in capita nostra repluentes ventos.

Plin. lib. 2.  
cap. 47.

ventos aliás fortè satis siccōs, tanquam madidos & nimio  
humore stillantes infamant. — dum se continet Auster,  
*Dum sedet, & siccāt madidas in carcere pennas.*      *Iuven.*

Ventum enim humidum appellamus, non solūm qui in  
se humectus, sed etiam qui aridus humorem secum affert.  
Sic pincernam, humidum dicere possumus, qui portat  
humoris amphoram. Vnde eleganter D. Hieronymus  
Austrum vocat, *Pincernam pluviarum*, Plautus, *Imbricum*,  
Ennius, *Imbricatorem*, omnes passim, *Imbriferum*. Nec la-  
tis habet, aduehēre ipse nubes, sed convectas ab Aquilo-  
ne, vel alijs, molli suo tempore regelat & resolvit in plu-  
viam. Sic nubes quæ à Boreâ fortasse exsufflata, siccā  
nostrum verticem pertransiit, dum redit, & ab Austro  
reflatur in Septemtrionem, recidit & humorem in nos  
exonerat. Ratio est, quia, ut aliás dixisse memini, Auster  
parvo illo quem habet tempore relaxat mediæ regionis  
aërem, ut minutissimæ vaporum atomi in grandiores  
guttas confluere possint. Deinde Auster aërem infimæ  
regionis fundit & rarefacit, ista quæ rarefactione facit eum  
humore nubium leviorem; ut proinde, juxta æquilibrij  
leges, necesse sit illum infra aërem defluere. Quod enim  
præponderat, in medio fluido & leviori hærere non po-  
test.

Omnia verò contraria facit Aquilo. Frigore suo aërem  
infimum stringit & eum gravat, & qui inter particulas va-  
poris interjectus est, sic densat, ut guttulæ leves perrum-  
pere ad mutuum contactum & jungi non possint. Hinc  
in Belgio, ubi Boreas non raro pluvius, stillicidia & guttae  
tamen ejus plerumque macræ & minimæ sunt. *Astro*  
verò flante *imber improbor*, & guttae pleniores sunt, inquit  
Seneca. Et ut intelligatis hanc caussam esse: Auster  
hiemalis longè minoribus, quam astivus guttis depluit.  
Insignes enim illi plenissimarum gutterum & pænè ova-  
lium nimbi, cælo tantum calidiore, & ferè tonante, id est,  
aëre prorsus in raritatem dissoluto, fiunt. Vnde & in Italia  
ac Hispania, & ubicumque aër fervore Regionis solution-

stulatim fermè & longè plenioribus quàm in Belgio stilicidijs pluit.

Tepor etiam Austrī manifestè se prodit, cùm glaciata m  
 Aquilonibus aquam, tam citò & subitò refundit. Quod  
 inter cetera Dei opera admiratur Psaltes: *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Emitte verbum tuum, & liquefaciet ea, stabit spiritus eius, & fluent aquæ.* Auster verò specialiter dici solet spiritus Dei, & Meridies in Scripturâ, sedes Dei; velut Aquilo contra & Septemtrio, diaboli: quia Dei spiritus similis est Austro. Corda enim hominum calefacit, & tempore Charitatis resolvit, quæ diabolus Aquilonis sui frigore indurat. Inde meritò sponsus in Cant. abigit Aquilonem, & invitat Austrum:  
*Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Et D. Augustinus, *Spiritum*, ait, *invocat gratio, flantem de Meridie, velut à parte fervidâ & luminosâ, ut fluant aromata.* Auster tamen inter tot beneficia suas etiam noxas habet. Si enim Medicos consulimus, *Auster*, ait Hippocrates Latinus, *aures hebetat, sensus tardat, capit is dolores movet, alvum solvit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum.* Hinc à Græcis Auster καρκασίος caput gravans dictus. Gravedinem autem istam, & destillationes humiditate partim, vel calore suo facit, quo corporum sanguinem, pituitam, bilem, & omnes humores regelat, fundit, & intendit. Vnde homines passim tristiores & morosiores eō flante cernimus. Magna enim omnino vis ventorum & aëris in corporum temperiem, cùm per venas & arterias, ac minimos poros in secretissimas latebras se penetrant, qualitatemque suam membris & humoribus infundant. Et magis hoc agit Auster, quia tempore suo meatus laxiores facit, sibiisque ad intrandum viam aperit. Lepidum est, quod incola quidā Insularum Flandricarū, quæ vulgo Azores, mihi narravit. Ibi Austro spirante homines manifestè morosissimos ambulare, pueros tristes & lugubres domi desidere, nec solemnes amplius eorum lusus aut coctus apparere in plateis. Qui Boreā reflante statim ad

Cant. 4.

S. Aug.

Epist. 120.

ad Hono-  
rat.

Cor. Celsi

lib. 2. c. 1.

tim ad alacritatem redeunt, & in publicum refunduntur. Hinc etiam flante Austro podagrī altius clamant, phrenetici magis frendent; præsertim si unā accesserit Lūnæ plenitudo. Lemnius noster multitudinem epilepticorum in Belgio, qui passim *in compitis*, inquit, ac *trivijis miserandas spectacula hominum oculis exhibent*, frequentibus Austris tribuit. Cor. Gemma tamen, propter humoris assuetudinem, vel quandam sympathiam, ait inter pluvias h̄ic commodiū degi. Nisi quōd tunc feminæ & pueri, tamquam humidiores, vermbus fiant obnoxij. In diuturnis tamen, addit, squaloribus, præsertim si adsit vehemens calor, aut frigus, tum demum Medicorum messis uberrima. Paræus quoque negat Narbonenses ceteris Gallis alacritate, agilitate, & sanitate corporum esse similes, ob Austrinas ibi tempestates, quæ vigorem & motus corporum tardent, auditum gravent, vertigines faciant, oculos hebetent.

In res quoque inanimas vis Austris malefica se exerit. Granaria putri mucore, & curculionibus implet. Lintea in ædium locis secretissimis, lodices, chartæ, flaccescunt, carnes marcescunt, ferrum etiam ipsum, teste Theophrasto, limæ facilis obedit. Succina, & corpora electrica nihil, aut morosiū quam sicciori vento, trahunt.

Hinc hiemes Australis pessimæ; quia indulgentiâ cæli fruges & arbores citò nimis in germe evocantur: sequiturque deinde alia florescendi exinanitio, ut inquit Plinius; quæ si per plures annos continuetur, exhaustit & enecat arbores. Sic anno 1427. hiems nulla in Belgio fuit, passimque Novembri mense arbores floruerunt. Tales arbores B. Iudas in Epistola sua vocat *autumnales*, comparatque illis hæreticos, qui flores & folia bonorum operum habent, sine fructu.

Denique sub fine mollis hiemis, sè pè irruunt repentina frigora, quæ germinationem nimis festinatam exurunt. Sic factum profectò Anno 1625. Post enim ferè desperatā hiemem, Favonius mense Februario profusissimam nivem sparsit. Secutæ deinde gelidissimæ aliquot leni Boreæ spirante

Lemn. lib.  
2. cap. 3.  
Occult.

Cor. Geim-  
ma lib. 2.  
c. 2. Cosmo-  
crit.

Paræ lib. 10

Iud.

spirante dies, & præserum ultima ipsa Februarij, quæ totius anni hiemantissima, & intolerabili pœnè frigore sœvist plurimarumque arborum, & maximè juglandum, nimis properantes ramos, ad ipsum usque truncum sideravit, annonamque totam in eas angustias adduxit, in quibus eam vidimus.

Hoc etiam observarunt venatores: Austro flante, canes melius & certius vestigare feras; quia spiritus illi odoriferi quos feræ spargunt, tempore Austri magis fragrant, liberiisque per laxatum & solutum aëra diffundunt: ubi contraria, Boreas frigore odorem hebetat, exspirationes alligat, aut pigras facit.

Sed qui potest, inquies, ut aër calorem Austri tam facilè sentiat, cum frigidum omnem ventum potius experiamur, & anté docuerimus frigore densatum in terram delabi?

Resp. calorem aliquem secum vehere, sed non satis ad absolutam denominationem calidi ( ut Philosophi loquimur;) quia plus frigoris habet. Calorem vero ejus vix sentimus, quia tactus exuberantias solum percipit, & qualitates intensiores similibus quas in organo habemus. Calor autem organi & cutis, plerumque major & intensior est illo, quem affert ventus. Aër tamen gelidus statim eum sentit, & de rigore suo multum remittit; quia frigus exhalationis in aërem sibi similem non agit, sed calor solus: qualitas scilicet efficax & actuosa, præsertim in subiecto satis denso, qualis est ventus. Vel si densum esse negas: dico rem calidam, et si raram, satis valere ad calefactionem, si multa & ampla sit, ut ventus. Caussa est, quod licet singulæ venti partes, aliquod patibile prætervolantes, parum in eo suæ qualitatis relinquunt; multæ tamen sibi succedentes, plurimum valent. Hæc etiam mihi caussa esse videtur, cur Aquilones, aliquot etiam horarum spatio, terram sic & aquam quandoque frigore incrassent. Quia, inquam, & exhalatione satis densa ( et si perspicua & transparente) constant, ideoque frigus in eâ acriter

acriter agit: & maximè, quia venti partes sese catenatim & pressè subsequentes, singulæ aquæ superficiem distingunt, & aucto celeriter frigoris cumulo, raptim conglaciant. Quòd autem aliquando, nullo vento spirante gelet, fieri existimo ab aëre mediæ regionis frigerato, & pondere suo molliter, & sine sensu nostro, ad terram subsidente, ut quandoque videmus in nebulâ & superiori aëre in terram manifestè defluente. Istud enim mihi certius, quàm ad Saturninas quasdam siderum influentias confugere.

Ceterùm quàm citò calore, etiam pusillo, aër tangatur, egregiè ostendit fistula illa vitrea psychrologica, index crementi & decrementi frigoris. Si enim vel minimo digito fistulam extrinsecus attingas, statim aër qui intus est te pore funditur & rarescit, aquamque deorsum premit. Hoc attende, & mirari minues, aërem sic leni Auster liquescere. Auster etiam vulgò fulminator audit, & sanè in Belgio experimur. Si enim vere vel æstate dies aliquot egregiè solares & æstuosi, flante Euro aut Cæciâ præcesserint, & Auster aut Africus successerit, vix abest, quin fulgura mox sequantur & cæli tumultus. Caussa est, quòd Sol præcedentibus & serenis diebus sat multum nitri & fumidæ exhalationis ad generationem fulminis in sublime attraxerit, sed deerant nubes in quibus compimeretur exhalatio fulminans, ut in tormento pyrius pulvis. Illas autem Auster, Africus, & alij humidi & imbricatores venti adducunt. Huc respexisse mihi videatur excelsus Poëta.

---

*Sed plurimus Auster  
Inglomerat noctem, & tenebrosa volumina torquet,  
Diffunditque imbres, sicco quos asper hiatu  
Persolidat Boreas. nec non abrupta tremiscunt  
Fulgura, & attritus subita face rumpitur aether.*

Stat. lib. i.  
Theb.

Hoc etiam in mantissam accipe. Cur olim in proverbium abivit,

*Tertia lux numquam nocturno Aquilone laborat?*

M m

Contrà

Contrà verd, Auster nocturnus pertinaciùs spirat. Faten-  
tur & hodie nostri nautæ. Et celebris ille Andræas Au-  
ria, classis olim Genuensium Præfctus, Carolum V. Cæ-  
sarem, paratum jam nocturno Boreâ repente exorto, pro-  
spero & ferente, in Africam classem traijcere, monuit,  
brevi & intra triduum destituendum à vento. Aristoteles  
has rationes tentat. Quod Aquilo nocturnus sit imbecil-  
lis, quia ab imbecilli calore ortus: venti autem omnes, in-  
quit, imbecilli intra tridui tempus exspirant & finiuntur.  
Ideo etiam fortasse, ait, quia tertius dies est decretorius.  
Aut denique, quod more ecnephiae & procellæ, univer-  
sim, non particulatim, è nube prorumpit.

Nolo Magistrum refellere. Quid si ramen fortassis hoc  
etiam sit? Exhalatio aëre nocturno & densato, in sublimi-  
tamquam vallo quodam circumdata, dubitat quā potissi-  
mū cæli regione se exoneret. Et quia aër ille pari ferē  
densitate undique in orbem resistit, exhalatio pluribus si-  
mul locis se hæc illac effundit, adeoque in unam partem  
parciūs & interruptè fluit. Imaginem hujus rei in lacu ali-  
quo tumente & inflato habes. Cujus aqua, si canalem cer-  
tum non reperit, undiq; se superfundit. Boreas verò diut-  
nus, quia aërem versus Meridiem rariorem calore Solis  
invenit, illac se statim ejicit; diutiusque durat, quia totus  
exhalationis, ut sic dicam, lacus per illam unam partem  
longo agmine se profundit. Austri est alia caussa. Sol enim  
sæpe interdiu exhalationem ejus nimis rarefacit, reli-  
quoque aëri refundit & permiscet; quæ nocte demum  
refrigerata, densitatem & pondus ad cadendum accipit.  
Stet ergo firma regula nostri Aristotelis, & hæc Plini:  
*Noctu Austrum, interdiu Aquilonem esse vehementiorem.* Ego  
ad Ortum me converto.

CAPVT

CENSUS

in M

## ARTICVLVS III.

*Ventorum Orientalium qualitates.*

**V**ENTOS ab Ortū calidos & siccōs spirare, vulgō existimant. Sed lex ista perpetua non est. Blondus enim & Iovianus Campaniae Subsolanum, humentem faciunt, & Austro nostro cognatissimum; quia scilicet à mari flatus ejus in Italiam veniunt. In Asiam tamen, & nobis, omnes Orientis venti siccissimi; quia ex aridis & spatiosissimis Germaniae regionibus orti, per nullum etiam mare aut insignes lacus ad nos spirant. Vnde Majus, Iunius, Iulius An. 1629. in Belgio ferventissimi fuerunt quia pulsis Occidentalibus, qui ibi regnare solent, Subsolani menses istos insolenter invaserunt.

Semper ergo ferē toto anno siccī, æstate calidi, hieme gelidissimi hic sunt. Nulli enim omnium magis gelant & acrius stringunt: præsertim Cæcias, qui ad frigidum Septemtrionis axem deflectit. Sic enim cum siccitate insigne frigus in unam cras in conjungit. Hinc liquet, calorem qui ventis Orientalibus tribuitur, non tam eorum esse, quam aëris; quia flant per æstatem. Habent tamen etiam ipsi aliquid caloris ab æstivis & ardentibus solibus, qui exhalationem eorum resolvunt. Refrigerantur tamen in mediâ aëris regione, ut ceteri: licet non tam intensum frigus & pondus postulent, ut per aërem æstate tenuem & rarum decidant, quantum per densum & hibernum.

Quod autem affirmat Plinius, Ventos Ortivos diutiniores esse Occiduis; nescio quid viderit in Italiam, certè in Belgio omnium pertinacissimè flant ab Occasu, ut ubique solent à mari. Hoc enim ubicumque fermè terrarum in explorato est, ventos & auras, sine ferē interpolatione, ab ea parte affluere, ubi mare, aut ampli lacus in proximo sunt.

Flumina quæ in Ortum cursus habent, salubrioris aquæ putantur; quia Subsolani siccii, & æstate fervidi, fluminibus reflantes, aquas eorum discutiunt, coquunt, & perdunt ad laudabilem tenuitatem. In istos etiam ventos, villarum ostia & fenestras dirigunt Rei rusticæ Scriptores. Vnde Plutarchus narrat, famam esse, urbem suam natalem Chæroneam, quæ olim occidentem Solem spectaverat, à Chærone jussam transferri in ortivum.

*Plin. Lib. 7. cap. 50.* Sed quid est, quod Plinius scribit, *Observatum à meridianis partibus ad Occasum Solis pestilentiam semper ire; nec umquam ferè aliter, nisi hieme, nec ut ternos excedat menses?* Et licet legem istam tam generaliter & affirmatè nolim recipere; alij tamen, & experientia ipsa adfarentur, plerumque ab Ortu versus Occasum, aut ab Austro versus Septemtrionem luem incedere, & in illas partes latissimè & atrocissimè se spargere. Famosas illas duas sub Antoninis Principibus, & veteres alias non memoro, adspicere truculentissimam istam anni 1450. quæ in Asiam exorta, per Dalmatiam & Illyricum, in Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam se effudit, sicque grassata, ut tertia vix mortalium pars ei superstes fuerit. Caussæ fortasse aliae reperiri poterunt; hæ mihi obviæ, & inventu faciliores.

Longiores sunt, quia obliquiores ob calorem & levitatem Subsolani & Austrini status, ideoque longius aëra pestilentem eventilant. Calore deinde suo, humentem antè à diutinis fortè imbribus putrefaciunt, & auferunt versus Occasum aut Septemtrionem, quo spirant. Subsolano à dextris, id est, ab Ortu Solstitiali, spirat Cæcias; qui Aristoteli & Theophrasto, hoc est, in Græciâ, dicitur reflexè & per lineam arcuatam flare, cuius concavum spectet in cælum. Quia scilicet exhalatio jugo montis fortasse offensa, & in proximas nubes resiliens, eas versus Ortum, & in venti originem reducit. Et hinc Græcis adagium, inquit Aristoteles,

*Mala ad se trahit, ut Cæcias nubes.*

Hic, ut antè monui, in Belgio aridissimus, & hieme gelidissimus

dissimus est. Vehementiam tamen non habet, nec *confer-*  
*tim* venit, sed dissolutus, & laciñiatim in plures quasi rivos  
*dispersâ exhalatione*. Sic enim ferè solent, qui è sicco spi-  
*rant*. Nam vapor implet, & præcipue intendit ventorum  
*pondus*. Odoratiorem fieri putat Democritus arboris fru-  
*ctum*, si propendeat in hunc flatum. In hunc etiam opi-  
*liones gregem pascunt, cùm ab ovibus concipi mares vo-*  
*lunt*. Nam partus masculinos calore & siccitate creditur  
*adjuvare*. Simili de causâ Aristoteles in Politicis jubet,  
*Boreâ aut alio sicco spirante, nuptias celebrari; & Bonum*  
*factum, si Luna etiam sicca sit, id est, in interlunio, & So-*  
*lis coetu. Humor enim abundans calorem hebetat, & fe-*  
*mellarum est pater.*

Ad Subsolani sinistram, seu ab Ortu hiberno fiat Vul-  
turnus. In istum aparia, & vineas Italiæ, Galliæ, spectare  
docet Plinius. Ipsi etiam Cannensem & famosam illam  
cladem imputant Romani. Nam secundum eum tunc  
fortè flantem, aciem direxerat Hannibal, verteratque in  
ora Romanorum. *Livius hoc illum (Vulturnum) nomine*  
*appellat, ait Seneca, in illa pugna Romanis parùm prospera, in qua*  
*Hannibal & contra Solem orientem exercitum nostrum, & contra*  
*ventum constituit, cùm venti adjutorio ac fulgoris perstringentis*  
*oculos hostium vicit. Vnde pugnam illam describens, &*  
*ventum accusans Silius Ital.*

Senec. lib.

S.c. 16.  
Nat.

Sil. Lib. 9.

Sternuntur tellure & miles, & arma, tubaque,  
Atque omnis retrò statu occurstante refertur  
Lancea, & interdum Rutulis cadit irritus ictus.  
Atque idem flatus Pœnorum tela secundat,  
Et velut amento contorta hastilia turbo  
Adiuvat, ac Tyrias impellit stridulus hastas.  
Ipse caput flexum caligine conditus atrâ  
Vulturnus, multaq; comam perfusus arenâ,  
Nunc versos agitat tergo stridentibus alis,  
Nunc medium in frontem veniens clamante procellâ  
Obvius arma quatit, patuloq; insibilat ore.

## ARTICVLVS IV.

*Ventorum Occidentalium proprietates.*

**Z**ephyri nomen, omnium post nata nomina, mollissimum, blandissimumque existimat Cardanus: talis est ipse ventus, ubi per aestatem aut ver, & procul à mari Occiduo spirat. Nam nobis nimis vicinus & feroculus est, in quos primum imperium statim ab Oceano frangit aut hebetat. Frigidus, ut plurimum, & humectus est. Vtrumque potissimum à marino vapore, quem multum secum trahit. Frigus ejus mollius longe Aquilonari. Mitigatur enim tempore occidui Solis. Calor tamen ei remissior, quam Subsolanis, quia copiā vaporis suffocatur. Favonius autem à favendo appellatus, putatur. Vere enim novo flare consuevit, subindeque pluens primum Solis fervorem temperat & humoris aptissimè ad generationem miscet. Poëta:

Virgil. lib.

*Parturit almus ager, Zephyriisque tepentibus auris*

2. Georgr.

*Laxant arva sinus: superat tener omnibus humor.*

Hanc caussam Alcmæon habuit, cur Zephyrum faceret patrem Cupidinis. Zephyri vesperi, aut horis pomeridianis, frequentius spirant, exhalatione & vapore relabi jam incipiente propter abscessum Solis. Subsolani verdè sub auroram aut manè; quia vapor nocturnus, pondere suo circa terram desidens, resurgit iactus radio Solis, & paullò post frigeratus, refluit deorsum versus Occasum, ut docet Aristoteles.

Arist. Sect.

26. Problē.

Zephyrus humore suo appetentiam cibi comprimit; & magis Auster, qui præterea calore suo dissolvit ventriculum. Vnde Plinius: *Minus esurire Austro spirante creduntur animantes.*

Ova etiam quædam hypenemia & Zephyria vocantur, quæ à gallinis, columbis, &c. generari putantur solo Zephyri inflatu, sine alio mare. Vnde irrita sunt, & si incubentur,

bentur, sine pullagine. Quin etiam equas juxta Olyssiponem in Lusitaniā, à Favonio vitalem spiritum accipere, & inde partum gigni perniciissimum, sed triennium vitæ non excedere, constare scribit Plinius. Et Virgilius:

*Ore omnes versæ ad Zephyrum stant rupibus altis,  
Exceptantque leves auræ: & sapè sine ullis  
Coniugij, vento gravidæ, mirabile dictu,  
Saxa per & scopulos, & depresso convallæ  
Diffugunt.*

Plin. lib. 8.  
cap. 42.  
Virgil. lib.  
3. Georg.

Verè mirabile dictu; sed verum hodie negant Lusitani: quia tam perfecta animantia gigni, sine mixturâ seminum utriusque sexus non valent. Ova etiam illa hypenemia probabilius imaginatione maris formari existimabis. Ova enim pullorum tantùm semina sunt; imaginatio autem seminare quandoque potest.

Zephyro à dextris & ab Occasu hiberno flat Africus, creber procellis, ut ait Virgilius: & hīc egregiè experimur. Nullus enim frequentior, turbulentior & majori strage Belgum incurrit. Nam ut singulorum pænè annorum damna fileam, anno 1558. & iterum nostrâ memorâ 1606. arbores, domos, templa passim difflavit aut evertit. Nullum etiam Lovanij esse frequentiorem flattum, vel ex famosâ turri *Verloren-cost*, quam Nannius nostre frugiperdam vertit, intelliges. Ab Africo enim satisficer & solvi incipit. Deinde arbores omnes in oppositum Africo Cæciam inclinant, omnesque agrorum nostrorum aristæ èdem annuant, nisi Etesiæ ante messem quandoque in Austrum avertant. Ios. Scaliger An. 1605. Ios. Scalig.  
Lugduni Batavorum Isaaco Casaubono in Galliam scribens: *Si serius, inquit, diligentia mea tibi perspecta est, unus est in quem culpam conferam, Africus, traiectum in Galliam impediens: qui per quinque continuos menses nunquam flare desstitit. Ut hactenus nulla signa hiemis hic fuerint. Quod posse hominum, qui hodie vivunt, memoriam, in istis tractibus numquam contigit. Sole Pisces ineunte & ventus mutavit, & quedam spes reliquiarum hiemis affulgere cepit.* Non solum autem in Belgio venti-

Epist. 100.

venti Occidentales humidi sunt & plavij, quia ab Oceano nobis spirant, sed etiam in Palæstina. Vnde Christus Iudæos illius regionis alloquens, *Cum videritis*, inquit, *nubem orientem ab Occasu, & statim dicitis, nimbus venit: ita fit.* Ab Occasu quippe mare Mediterraneum Palæstinam alluit, unde vapores elevati, ventis Occidentalibus advecti, in eam repluant.

Luc. 12.

Venti quoque Occidentales hieme nivales sæpe sunt. Et quia nubilosí ac molliori frigore, floccos ingentes ac decumanos (uti etiam Australes solent) & verè nivem sicut lanam, nobis spargunt. Boreas verd, & quicumque cum frigore acri & urente siccitatē habent, minutiori farinâ nivem cribraunt.

Psal. 147.

Præter autem qualitates istas generales ventorum, aliæ sunt quibusdam in tractibus propriæ & peculiares, quas exhalationes afferunt ex elemento aut mixtis, unde extra-huntur. Quidam enim in Americâ, mordaci qualitate ferrum etiam, ut testis Ios. Acosta, exedunt, ferreosque fenestrarum clathros brevi tempore in pulverē redigunt. Alij pulices infinitos per mare, per continentem spargunt.

Quædam præterea sunt, quæ dici de ventis possint. Ut oppositos invicem à se sterni, nisi unus depresso, alter sublimior in contrarium fluant. Meridie, aut pluviam sopiri, dissolutâ videlicet nimio aestu, aut impeditâ, ne densissimum pluvialium gutterum agmen perrumpere valeat, exhalatione. In experto quoque est, interlunio ventos validiores esse. Quia, opinor, Luna tunc in facie obversa terris lumine caesa, non solvit molli tempore ventosam exhalationem, ideoque densior & ponderosior, quam Lunâ plenâ aut semiplenâ, deorsum restituit.

Arist. in  
Mechan.Vitru. lib.  
10. c. 8.

Aristoteles etiam, Vitruvius, & nautæ fatentur, alto vento, & quò vela navium excelsiora, eò navigationem magis strenuam esse; quia caussa movens partem à centro remotiorem impellit. *Vti enim vectis,* ait Vitruvius, *sub onere subjectus, si per medium premitur, durior est neque incumbit; cùm autem caput eius summum deducitur, faciliter onus extollit*

extollit: similiter vela cum sunt per medium temperata, minorem habent virtutem. Quæ autem capite malo summo collocantur descendit longius à centro, non acriore sed eodem statu, pressione cœcuminis vehementius cogunt progreedi navem.

Plura ventorum miracula referri possunt; sed quæ intellegi, ni fallor, valeant ex principijs quæ jam ante sparsimus. Aliqua etiam vana. Ut istud Eudoxi: *Easdem ventorum vices exacto quolibet quadriennio redire.* Cetera fluxa & incerta, nec in unam legem & disciplinam (quidquid Veteres conati) alligari possunt. Itaque abeo. Si tamen etiam ventis istam laciniam adtexam, quæ de terræ motu.

## C A P V T V L T I M V M

*De terræ motu.*

**T**ERRÆ motus tractationem omnes ventis subiiciunt, tamquam qui à ventis efficiatur, aut ab exhalatione, simillima illi quæ est materia ventorum. Olim tamen caussa ejus tam in abdito fuit, ut Romani, ubi terram movisse senserant, ferias supplicationesque edicto imperarent, nec nomen Dei cui feriæ servandæ, exprimerent, ne alium pro alio nominando, falsa <sup>1</sup>gell. [lib.] <sup>2. c. 28.</sup> religione populum alligarent, inquit Agellius.

## A R T I C V L V S I.

*Quæ caussa efficiens terræ motus.*

**N**Vlla nobis jam quæstio de motu, quo terra, opinione Pythagoræ & Copernicanorum, quotidie circa centrum, & quotannis circa Solem revoluitur. Neque de libratione, quæ fortasse perpetuò titubat, ut gravitatis suæ centrum, accidente hinc aut inde novo pondere, restituit in Universi meditullium. De pulsu ergo, aut tremore illo agimus, quo concutitur, ut homo in accessu febrili.

N n

Anti-

Antiquissimi Græcorum, hunc motum à fluctibus aquarum in terræ cavis undantium esse opinati sunt: ideoque Neptunum θεον της τερραι καστορεμ, & τυπιχθονα τερραι μοτοrem appellaverunt. Sed frustra. Aquæ enim subterraneæ fluctuatio par esse non potest tantæ concussioni, quæ urbes aut montes evertat, vel novos erigat in plano. Deinde, post ingentes pluviarum eluviones, quando aquæ subterraneæ redundant auctæ cælestibus, maximè existerent terræ motus: quod tamen non videmus. Denique, ignis potius quam aqua è hiatu emicat, cùm terra tremore discellit.

Vnde facilè etiam reiicitur Thales, qui terram instar navigij putavit in aquis natare, & nutare cùm unda fortasse eam inclinat in latus. Fundamentum præterea ejus falsum est, cùm gravius non supernatet leviori. Deinde terra semper tota moveretur, ut navis non partim, sed integra agitatur aut impellitur à fluctu.

Alij igitur malunt, specus subterraneos, & totos aliquando sub terra montes succidere, & terræ tremores inde existere.

*Et meritò, quoniam plaustris concussa tremiscunt  
Tecta, viam propter, non magno pondere, tota,  
inquit Lucretius.*

Sed hæc etiam caussa nimis imbecillis est & angusta, ut terram tam latè concutiat. Sæpè enim tota Germania, imò tota pænè Europa simul tremuit. Nec pondera plaustorum valdè juvant Lucretium. Si enim via terrena, nec silice strata sit, ut in pagis, plaustrum pertransiens, tremorem nullum vicino ædificio incurit; nisi fortasse cameratio plateæ subsit, quæ usque ad ædificij fundamenta pertineat. In oppidis vero tremunt aliquando propinquæ domus, quia strata platearum perpetuo silice contigua sunt ædificijs. Rota ergo plaustri unum aliquem lapidem premens, & in alium vicinum & attiguum protrudens, omnes deinde serie quadam usque ad ædificij murum propellit.

Bodinus, ut breviter omnibus universim molestij defungatur, & Aristoteli, suo more calcem impingat, recurrit ad dæmo-

dæmonas invocantes terra motores. Ratio unica est; quia alia nulla caussa est ipsi probabilis.

Dico tamen Primo: Sententia Aristotelis, & verissima est spiritum subterraneum caussam esse terræ motū. Probatur: quia quoties terra pulsu aut alio motu dehiscit, evolant aliqui halitus, sæpè pestilentes, ignis etiam aliquando & cineres; ergo halitus ille fuit qui terram rupit, & eam suffodiendo concusso. Idem patebit post ex omnibus terræ motū effectionib⁹.

Sed accurrit Bodinus: Spiritum tenuem tam validum non esse, ut urbes totas quandoque & montes in altum excutiat. Deinde, in locis planis, aquosis & irriguis, qualis Ferraria in Italiam, accidere aliquando maximos terræ motus. Tertio, hieme, quando terræ pori gelu constricti, futuros præcipue: cum tamen Aristoteles afferat plures vere & autumno evenire.

De Postremo respondebimus, ubi tempus terræ motū examinabimus.

Ad Primum: Certum est, potentissimas vires esse spiritui. Probatque Aristoteles exemplo febricitantium, qui extra morbi accessionem debiles & invalidi, ubi tamen spiritus per corpus & nervos diffusi sunt, vix ullis vinculis possunt coerceri. Huc etiam flammæ pyrij pulueris in cuniculis & tormentis, fulminis in nube, vires & impetus admirabiles possunt afferri. Vbi enim halitus intra angustias inculcatus rarescere, & se ultrà non capere coepit, metu penetrantis, proxima quæque remolitur & jactat, & quando aliter non valet, effracta via per vulnus exit.

Pro Secundo, fateor Ferrariam, quæ anni 1570. tremore ita vexata & lacerata fuit, innumeris pœnè rivis & fluminibus irriguam esse. Sed non ideo subesse non possunt solo ejus plurimi ferventes & conferti spiritus. Imò vero tot rivi per abdita fortes subterlabentes, aut aqua plurifariam alueis excidens, & cæcis cuniculis se condens, terram illam potius fistulosam & spirituum capacem faciunt. Sed à quā caussā spiritus illi resolvuntur?

Dico Secundò: Magna sæpè spiritum terræ moventium pars ab ignibus subterraneis est. Probatur: quia montes & loca ignivoma maximè tremoribus obnoxia sunt, ut Sicilia, Lipara, Campania, item loca thermis naturalibus tepentia, quales in totâ Italiâ sunt (Bodino teste) facile 60. Ut proinde non tam impensè mirari debuerit, movisse Ferrariam à subterraneo spiritu. Præsertim cùm præter Campaniam, in agro Florentino, Mutinensi, Bononiensi Ferrarię contermi-  
Fallop. lib.  
de Ther.  
cap. 5.

no, crateres etiam quidam ignivomi sint, ut fatetur Fallopius. Igitur vero simillimum est, spiritus illos quassatores latentibus istis ignibus exhalare. Vnde Aristoteles, qui par-  
 cissimè alias eorum meminit, disertè afferit, halitum terræ motorem esse à Sole, & eo, qui in ipsâ est igne. Hujus etiam rei evidens signum est, quod vix umquam montes rupto vertice eructent ignes, nisi præcedente terræ motu. Patuit in conflagratione famosâ illâ Vesuvij sub Tito, quæ Plinio Majori fatalis fuit; patet in plurimis Amer-  
 icæ flammivomis, montibus, de quibus Acosta scribit. Et Auctores narrant, Siciliam olim, ante effractum Ætnæ craterem, sæpius tremuisse, quam nunc, quando viam laxatam quâ se exonerent subterranei ignes & spiritus, habent.

Agricol.  
lib. 2. de  
oru subter.

Tertiò: Sol etiam halitibus à se resolutis aliquid confert ad terræ motus. Ita Aristoteles plurimis locis. Reclamat tamen Georg. Agricola. Sol enim, inquit, exhalationes è terræ superficie extrahit, non resolvit in ejus visceribus. Contrà, lib. de Terræ motu anni 1601. Keckermannus, vultque vim Solis altius, in ipsas venas metallicas penetrare. Credit etiam Saturnum spiritu multo intra magnæ matris viscera generato, plurimum motum intendere.

Verum hæc mihi in incerto & fluctu sunt. Demus ergo Agricola, Solem è dorso solùm terræ, & quatenus vis radio-  
 rum ejus calorifica ingreditur, exhalationes resolvere; nego tamen, omnes extrahi & in aërem venire. Multæ enim non satis leves, aut poris non satis hiantibus præpediuntur, vel ventis aut aquâ superveniente in abscondita repelluntur.

Deinde,

Deinde, per me licebit, in aërem & sublime attrahantur,  
ab eis in ventos; modò postea recidant & terræ poris  
aut meatibus grandioribus sese iterum infundant, atque in  
viscera ejus redeant.

Certè enim Aristoteles non uno loco ventos terræ mo-  
tores facit. Ut cùm Boream auctorem excidij duarum  
Achææ civitatum, Helices & Buris affirmat. Pugnabat  
enim, inquit, Boreas cum Austro, paulò antequam terra  
moveret, & victus intra cavernas terræ se abstruderat: quæ-  
rensque deinde regressum, nec reperiens, duas clarissimas  
urbes effracto chasmate absorpsit. Non prorsus ergo vana  
Boreæ jactantia apud ingeniosum Poëtam:

*Idem ego cùm subi convexa foramina terræ,*

*Supposuig ferox imis mea terga cavernis,*

*Sollito manes totumq tremoribus Orbem.*

Ovid.lib.6.  
Met.

Et confidentissimè Plinii: *Ventos*, ait, *in causa esse non dubium* Plin. lib. 2.  
*reor. Neque enim unquam intremiscunt terra, nisi sopito mari,* cap. 79.  
*caloque adeò tranquillo, ut volatus avium non pendent, subtracto*  
*omni spiritu qui vehit. Nec unquam nisi post ventos, condito scili-*  
*cet in venas & cavernas occultas flatu. Vento*sa enim exhalatio,  
ut ante docuimus, pondere suo in terram delapsa, nisi ra-  
dio Solis icta iterum rarescat & exciteatur, terræ poros &  
meatus, per modum aquæ, illabitur.

Eadem sententia Callisthenis, nobilis Philosophi, quem  
Alexander Magnus, æterno crimine, inquit Seneca, quod  
nulla virtus, nulla bellorum felicitas reddit, occidit. Qui  
etiam addit, terram aliquando spiritu extrinsecus incidente  
quassari; sicuti nos vento frigido subito perstricti, qua-  
timur & inhorrescimus. Verum terra animal non est, ut  
spiritu algido in poros penetrante, horrore se contrahat.

Sed quâ viâ exhalatio terram ambiens eam intrat? Sene- Senec. lib.  
ca negat id per poros & tenuia foramina posse fieri. Nam in 6. c. 25.  
nostris quoque corporibus, inquit, cutis spiritum respicit; nec est illi  
introitus, nisi per quem trahitur. Agricola amplius audet, & ne  
quidem per laxos illos fossarum metallicarū hiatus, ingressum concedit. Quia scilicet Metallici in Germania ingentes

N n 3 folles

folles & spiritalia organa fabricare coguntur, ut supernum & recentem aërem venis subterraneis ad valetudinem inspirent.

Sed fallor, aut uterque fallitur. Seneca quidem, quia etiam per invisibiles cutis nostræ meatus aër intrat: ut cùm vacuata vesicâ, spiritus externus, propter periculum vacui, se insinuat, & horrore membra concutit. Medici quoque per arteriarum diastolen, aërem aliquem intra ipsas per cutis poros attrahi censem, quo sanguinis arteriosi & cordis fervor paullisper temperetur. Pori etiam terræ, æstate præsertim, satis aperti & hiantes sunt, ut aërem admittant. Corpora enim ista fluida & tenuia per minimas etiam rimulas & mæaudros, timore vacui, in omnes recessus penetrant.

Do etiam Agricolæ, organis pneumaticis sæpè invocandum esse in fossas metallicas recentem aërem; non do tamē, numquam eosque decidere venti exhalationem, aut aërem insimæ regionis graviorem. Imò, quia exhalatio metallica levior est externo aëre, eā per putei caminum expirante, aërem alterâ viâ, magno impetu in viscera fodinarum, ad vacui repletionem, se præcipitare Clarissimus Medicus & Mathematicus Io. Bapt. Morinus, proprio experimento fatetur, quem An. 1616. non indigna Professione sua curiositas in Hungariæ fodinas ex Gallia attraxit. *Præter superiores usus, inquit, duos alios habent ambe illæ via, ad metallicorum vitam in fodinis profundioribus penitus necessaria. Nimirum inspirationem aëris externi, & expirationem exhalationis interne. Per unam enim fodina inspirat aërem extēnum, & per aliam expirat exhalationem.* Aër externus per cuniculos ad fundum usque fodine furibundè descendit, artificioseq; introducitur per diversa peristylia seu loca in quibus fossores laborant, per canales ligneos & fenestras clausas vel apertas, prout necessum esse videtur. Cumque ex omnibus locis, ad qua introducitur aër externus, via pateat ad puteum, exhalatio aëre levior, ex omnibus illis sese recipit ad puteum, quasi ab aëre externo fugata, & per ipsum puteum ascendit magno impetu.

Morin.  
Relat. de  
subter.

Non

Non raro tamen, fateor, subterraneus aëris nostrate crassior & ponderosior est. Quo eventu noster cadere sponte in fossas & cavernas non potest, sed viribus reluctantem oportet inigere.

Sed spiritus terræ motor retrocedet itinere quo descendit, clamant, non erumpet foras cum tantâ præsertim strage obstantium. Si enim per fossæ metallicæ patentem hiatum infusus est, ubi premi se senserit, illâc redibit sursum in libertatem. Minimâ enim hiante rimâ, pulvis in cuniculis nostris bellicis perdit, aut descingit impetum. Hoc argumentum me vincit, ut afferam, principalem caussam terræ moventem, esse spiritum sulphureum & igneum è terræ visceribus resolutum, non ventum aut aërem supernè per meatus infusum. Probarique potest ex profunditate sœpè ingenti caussæ illius motricis, quæ sub fundo maris & radicibus Iuscularum, imò tam altè aliquando defossa est, ut fornicem alicujus subterranei specûs arietando, subsilire faciat integrum Regionem. Aquæ etiam puteanæ resipere sulphur solent ante terræ motum, permixtione scilicet spiritus, qui ignibus illis sulphureis evaporatus, scandit sursum.

An ergo retractamus quod antè Aristoteli concessum? Minime verò. Iuvant enim venti & exhalationes à Sole excitatæ terræ motum, & aliquando etiam fortasse, etsi rariis, solæ faciunt. Ideo enim vere & autumno, & sopitis conditisque flatibus, ut postea ostendetur, crebrior. Nam exhalatio quæ supernè terram ingreditur, alteri confusa & permixta quæ ex ignibus subterrancis ascendit, ubi & rixando & fervore ejus concalfacta fuerit, vires in unum confert, & impetum ad effringendum intendit. Non regreditur autem & reciprocatur per viam quâ se intrusit; vel quia casus aliquis (ut v. g. terræ labes) apertos antea meatus sepserit, vel quia per longos, angustos, & sinuosos tramites, spiritus se in alueum quemdam & locum capaciorem exprefsit; ubi multâ luctâ & conflictu rarefactus, capi amplius tam brevi spatio nequit. Nec regredi tamen id quod abundant, per tortuosos illos & angustos amfractus, tam celeriter

ter valet, quin totus antè spiritus, inflatus ibi & intentus, moræque impatiens, viam laxiorem facere tentet, & vicina concutiat. Vnde falsum etiam est, pulvrem cariturum effectu, si rimulâ alicubi cuniculus dehiscat. Nam aliâ flamma bombardæ hærentem glandem numquam excuteret; quia spiraculum pervium, quâ ignis injectus est, habet, illacque se tota refunderet potius, quam eiacularetur per tubi orificium.

## ARTICVLVS II.

*Species terræ motū.*

**A**uctor Libri de Mundo, & ex eo D. Damascenus, septem species accidentarias terræ motū fecit. Primus est Epiclîtes sive Inclinator; qui ad angulos acutos latera cavernarū tundit, & superposita, more navigij in unam partem inclinat ac suspendit. Secundus, Braſtes, seu Effervescens, dictus à similitudine aquæ bullientis. Hic terram angulis rectis in altum identidem attollit, & deponit. Tertius Chasmatias, hiatum aperit. Quartus, Rheætes, vi viam effringit. Quintus Ostes, uno impulsu evertit in quod incubuit. Sextus Palmatias, vibrat. Ultimus Myctias, cum mugitu venit.

Aristoteles tamen duabus speciebus, Pulsu & Tremore contentus fuit. Sed tertiam, Inclinationem optimè Seneca adjecit. Pulsus est motus, quo terra, instar arteriæ animalis, diastole & systole, vicissim erigitur & subsidit. Vel generalius, est qui terram succutit. Vnde à Seneca vocatur Succussio. Tremor concutit & vibrat; Inclinatio verò in unam solum partem totum onus suspendit.

Sufficientia divisionis hinc facile probatur. Quia spiritus intra claustra fremens, vel rectâ sursum se eiaculando fornicem cavernæ pulsat; & succussionem ac pulsum habes. Vel latus utrumque alternis & celeriter tundit & retundit; sicque vibratio & tremor erit. Vel denique ita unum latus

arietat,

arietate, ut ad alterum usque non resiliat; & Inclinationem habemus. Exhalatio autem (quod restabat) fundo tantummodo cavernæ illis, vix terram, sicut ad sensum nostrum perveniat, movere potest. Septem autem aliæ species, à diversitate effectuum sumptæ sunt, & ad tres istas possunt revocari.

Ceterū pulsus Rhectes & effractor, omnium sine dubio est perniciōissimus. Deinde longa & undans Inclinatio, quæ parietes & fastigia ædificiorum extra fundamenti perpendicularum suspendit. Brevis autem & crispans tremor partem inclinatam statim contrario motu in sedem restituit, prævenitque lapsum. Vnde Plinius tutissima ædifica censet, in quibus sunt fornices, anguli quoq[ue] parietum, postesq[ue] alterno Plin. lib. 2. pulsu renitentes. Ac deinde Latere etiam facti parietes, minore c. 82. noxā quatintur, inquit. Quia, credo, duriores lapides, quales nostri Namurenſes, prementibus nihil cedunt; ideoque unus aliquis facilius ædificij iactatione eliditur, trahitque cetera in ruinam. Quod autem docet fornices tremoribus resistere, abnuit Keckermannus, exemplo terræ motū anni 1601. quo omnium pænē templorum in Heluetiâ camerationes rimis affirmat dechiasse. Sed nec ignoravit Plinius fornicum commissuras tremore, præsertim tam valido, posse laxari.

## ARTICVLVS III.

*Quæ loca obnoxia terræ motibus.*

**A**rיסטoteles, Seneca, & plures consentiunt, terram littoralem esse maximè obnoxiam tremoribus. Causa est in meatibus & venis subterraneis, quas aqua ubique excavat, sicque spiritui viam quæ se insinuet, concavitatesque spatioſas, quò multus in unum confluat, facit. Hæ tamen venæ & cavitates non nimis laxæ & hiantes esse debent, quia per eas itum redditumque liberum & innoxium spiritus haberet. Hæc enim cauſa esse putatur, cur media

○○

Cycladum,

Cycladum, templo Apollinis & mercatu olim celebrata Delos, sola terræ motum non sentiat. Cavis enim rupibus imposita est, si Callistheni credimus, quæ exhalationi deprehensa facilem dent exitum. Quamquam tamen, cum Darius exercitum in Græciam duxit, & semel alias con-

Plin. lib. 2. cap. 82.

cussam, prodiderit Mucianus. Audi Plinium : *Oppida minùs quatiuntur crebris ad eluviem cuniculis cavata. Multoque sunt tu-tiora in ijsdem illis quæ pendent; sicut Neapolit in Italiam intelligitur, parte eius quæ solida est, ad tales casus obnoxia. Vbi enim omnia cuniculis & aqueductibus perforata sunt, spiritus laxius discurrat, nec exitum difficilem & perplexum habet. Unde in bellis nostris cuniculi agi ab hoste contra cuniculos so-lent, ut via aperiatur, quâ flamma pulveris, per istos cana-les innoxia se evoluat. Itaque breviter, concavitas quidem exhalationis capax, ad terræ motum, sed tamen sine exitu facili, esse debet. Obstruuntur autem meatus, vel limo, vel ruinâ terræ quam aqua labefactat.*

Non omnes tamen maris oræ, aut Insulæ æquè tremunt: quia non ubique idoneæ subsunt cavitates. Deinde quæ ignes solo subjectos habent, in majori & præsentiori sunt periculo. Igneus enim spiritus præcipue, & maximo im-petu movet. Sic in Campaniâ, ubi Væluvius, & tot à na-turâ tepidi fontes, in Peruviâ, in Siciliâ, in Æolijs, Moluc-cis, & Flandricis Insulis, frequentes motus.

Hoc verò mirum, quod audivi de Flandricis ipsis seu Terceris. Solemniter férē quotannis agitari, & universas tremere. Quod signum est, spiritum motorem fundo ei-dem solido subesse, cui omnes sunt impositæ. Aër tunc etiam ruber & veluti flagrans, satis significat ignem tremoris auctorem esse. Keckermannus nullas in totâ Europâ urbes magis quam Constantinopolim & Basileam obno-xias existimat. Hanc, quia ad ripam Rheni sita, & fundo lapideo inaedificata, ignesque sub terrâ absconditi non pro-cul inde; quandoquidem juxta Badenam Halvetiorum Thermæ ebulliant, quæ Basileâ tantum absunt unius diei itinere.

Ægyptus

Ægyptus omnium regionum tutissima creditur , quia Nili , ut putant , se superfundentis limo , fluido primum , deinde in solidum se denlante & sic inarescente , sine venis & cavitatibus crevit . Argumento , quod apud Homerum Menelaus Telemacho narrat Pharum tantum à continenti Ægypti abesse , cui jam adhæret , quantum navis diurno cursu plenis velis metiri potest . Quod Plutarchus etiam de tempore quo Homerus , tot scilicet post bellum Trojanum & Menelaum annis , vixit , interpretatur . Nisi ergo Homerus vanus , facile 36. nostratum leucarum distantia ista fuit ; etiam si duodecim tantum horarum navigationem accipias . Singulà enim quāque horā navis tumente velo ternas leucas emetiri valet , ut ego ab Oceani nostri nautis accepi . Consentitque Brodæus , qui fide navigantium in mari supero inferoque millaria Italica octo unā horā decurri secundo flatu affirmat . Attamen Homero non credit Brodæus . Qui enim fieri potest , inquit , ut à capto Ilio ad Alexandriam conditam , id est 1000. plus minus annis , totum illud spatium limo Nilus congesserit ; ab Alexandri vero obitu ad hanc nostram atatem id est 1800. circiter annos , ne iugerum quidem soli congesserit ? Negat quoque invecta à Nilo humo Ægyptum concreuisse . Decem quippe , ait , Mundi etates ad hanc explendam Provinciam non sufficerent . Sed istud exemplo Hollandiæ & Campiniæ Belgicæ , quod statim referam , refelli fortasse potest .

Sed utut Ægyptus data fit , aut creverit , terræ motus non sentit , non quia nimis patentes , ut Delos , meatus , sed quia nullos , habet . Agathias tamen de Bello Gothicō , Alexandriam , cùm ibi Iuri operam daret , tremuisse narrat . Rem tamen pro prodigo fuisse , quia nemo tam senex qui alterius exempli meminisset .

Simili de causâ Belgium nostrum , & præcipue quod in Septentrionem & Hollandiam spectat , rarissime movet . Aggeratione namque Oceani surrexisse putatur , olimque vulgata traditio habet , mare aliquando Tungros alluisse . Fitque id profecto , præter alia , verisimile humilitate littorum , quæ non saxeæ & montosa , qualia Natura fluctibus

Brodæ. lib.  
3 c. 5.  
Miscell.

obijcere solet, sed mollia, terrena, aut glareosa, & plerumque facta manu, ad submovendum, aliàs inundaturum pelagus. Denique arbores illæ subterraneæ, quæ in quibusdam Campiniæ locis effodiuntur, quid aliud significant, si P. Nannio & multis alijs credimus, quâm Insulas cum suis arboribus, à Cauchis, ut narrat Plinius (quos Nannius Bremenses facit) aut alijs Septemtrionis Regionibus avulsas, & flatu Boreæ propulsas, ibi in mare procubuisse, & Oceani recipocantis æstu paullatim aggesto limo sepultas esse?

Seculo tamen elapso, ut terribilium nihil deesset, Belgum non semel agitatum fuit. Rarum est, inquit noster Gemma, regionibus nostris terrarum motus persentiscere, neque ab annis pluribus quidquam de his maiorum industria designavit. Vehemens tamen concusso fuit anno 1554. primum 21. Martij horâ 12. noctis: ut multis locis vase in sublimi constituta decidarent. Erat, ut recè memini, cum tremore mugitus ingens, ac velut abeneus clangor multorum curruum, qui concitato agmine præterirent. Alter successit 22. Martij, horâ quartâ post meridiem, bis valide subsidente solo. Multis metu ferè sanguis obriguit. Quamquam fortius iterum 30. Aprilis, horâ quintâ pomeridianâ usque ad tres vices continuas. Iterum ad annum 1569. post acre gelu, Secutus est, inquit, è vestigio terra motus 14. Martij, circa 12. noctis, cum rauco murmure. Sed nec nuperum quem sensimus, terræ motum Anni 1640. tacitum esse oportet. Licer enim duratione dimidium horæ quadrantem non impleverit, agitatione tamen insignis fuit, illique Anni 1554. de quo statim Gemma, simillimus. Cum mugitu enim, vel sibilo fuit ingenti, ac velut abeneus clangor, ut Gemma loquitur, multorum curruum, qui concitato agmine præterirent.

Dies Aprilis 4. & feria 4. hebdomadæ sanctæ erat. Hora vero paullò post tertiam matutinam. Prima & secunda die Aprilis pluerat & ninixerat sat largiter. Sed nive subito resolutâ, die tertia acre gelu, cum profundo silentio à ventis. Revehebar tunc fortè tempore pomeridiano Bruxellâ Lovanium, & miratus triste aëris silentium, nubes etiam linea-

Cor. Gem  
ma lib. 2.  
c. 2. Cosmo  
crit.

lineares & in longum porrectas conspicatus , en profecto,  
aiebam mecum tacitus, ipsissima signa terræ motūs , quæ  
nobis Aristoteles præscripsit. Nec fefelit eventus. Nam no-  
cte in sequente, quadrante horæ circiter post tertiam à me-  
diâ nocte, ingenti terræ sibilo & strepitu a somno excitatus  
totum repente ædificium magno fragore concuti , ac terræ  
motum esse planè intellexi. Mirum verò illud , eodem ferè  
temporis punto universas Belgij Provincias tremuisse. Erat  
fortè tunc Tungris Ampl. D. Carolus de Mean , Patritius  
Leodiensis, Vir Iuris, Politices, Historiarum, & litterarum  
omnium prudentiâ Consultissimus Clarissimusque , qui lit-  
teris ad me datis idem circiter tremoris ibi tempus signavit;  
sonitumque quo terra stridebat, eleganter comparavit sibi-  
lo quem edit ————— *Vitiato fistula plumbo*

*Eiaculatur aquas.*

Bis deinde modico temporis intervallo , sed languidè itera-  
tus tremor.

Nec solum Belgium , sed Germania etiam superior mo-  
visse dicitur. Caussa verò movens non circa terræ superfi-  
ciem , sed in profundo fuit , cum etiam fundamenta  
Leodiensium fodinarum concussa fuisse narrent. Rupes  
etiam & Arces omnes, ut Argenteau , Arx Huensis &c.  
flumini Mosæ impositæ tremuerunt. Sed nulla Belgij pars  
vehementius, ut audivi, quam Luxemburgi fines , ubi ma-  
ximus Gallorum erat ad bellum apparatus. Circa Namur-  
cum Ecclesiarum etiam campanæ sonuerunt, nonnulli in  
Hollandia homines è stratis exersi sunt. Mercatores qui  
dam Itali Antuerpiæ , qui famoso terræ motui Calabriæ  
anni 1638. Martij 27. interfuerant , aiebant præsentem  
Belgij tremorem majorem, sed minus noxæ habuisse; quod  
Palmatias seu *Vibrator* esset, qui nutantia ædificia concusso-  
nis celeritate in perpendiculum restitueret; ille verò Cala-  
ber , Epiclintes sive *Inclinator* , qui lentâ inclinatione mo-  
ram prolabendi, ideoque tantam stragem fecisset.

Si autē ad cauſā Belgici terræ motus attendamus, viden-  
tur venti terram subeuntes, & spiritus nivales subito gelu,

ut narravi, intra eam adacti & conclusi, non partim contulisse. Quanquam aliam causam potentiores & profundiores, spiritum nempe ignibus subterraneis, aut mineris resolutum, unà concurrisse non dubitem.

Loca igitur minimè fistulosa, quale nostrum Belgium, quati etiam quandoque possunt, à spiritu præsertim in altissimis cavernis deprehenso. Quo modo etiam ipsum mare ebullit aliquando & fluctuatur, exhalatione succiente ejus fundum. Licet enim fortasse terra Belgica, perinde ut Ægyptus, ad aliquantam altitudinem quam superfusus quotidie & oblimans maris aestus fecit, satis firma sit, & exhalationum respuens; alteri tamen fundo, lapideo scilicet & cavernoso, inædificata est, qui spiritum capere, & tremere possit. Leodium verò in Belgio nostro raro vacillat, eà ratione quà Delos. Quia tot discurrentibus venis carbonarijs nimis laxè cuniculosum est, libero ferè ubique exhalationis meatu. Itaque proprius fortassis est alteri, id est, suffosionis periculo. Si enim M. Varro narrat oppidum quoddam in Hispaniâ à cuniculis, alterum in Thessaliâ à talpis suffosum; cur non idem meritò à suis carbonarijs metuat Leodium?

Ex antè dictis, facilis est intellectus Aristotelis, ubi docet, terras fungosas, ut Hellespontum, Achaiam, Siciliam, frequentius sentire motus. Non enim capiendus est de nimis laxè fungosis. Vbi etiam mare longè exæstuat, inquit, facilis tremor esse solet. Quia videlicet exiturientem per oræ littoralis venas & poros spiritum, aestus in viscera terræ repellit.

#### ARTICVLVS IV.

##### *De magnitudine, & duratione terræ motūs.*

Senec. lib. 6. c. 25. Nat. **S**ed per quanta terrarum spatia unus idemque motus decurrit? Seneca definit. Numquam, inquit, per ducenta millaria, id est, ferè 67. leucas Belgicas, motus extenditur. Ecce

Ecce hic qui implevit fabulis urbem, non transcendent Campaniam.  
 Quid dicam, cum Chalcis tremuit, Thebas stetisse? Cum laboravit  
 Aegium, tam propinquas illi Patras de motu nihil audivisse? Illa  
 vasta cencusio, qua duas suppressit urbes, Helicen & Burin, citra  
 Aegium constituit. Similiter Dion narrans horribilem illam Dion. lib.  
 alteram Campaniae quassationem sub Tito, quæ Hercula-<sup>66.</sup>  
 nium & Pompeios evertit, Vesuuumque incendit, affir-  
 mat aliquot antè diebus fumum & cineres ardantis montis  
 Romam, quām tremoris & tantæ cladis famam, implevisse.

Spatium tamen à Senecā circumscriptum nimis angu-  
 stum est, ut possit omibus exemplis sufficere. Nam Iose- Acosta lib.  
 phus Acosta scribit, in regno Peruanō motus frequenter 3. c. 26.  
 ad 160. leucas, imò ad 300. à Meridie in Septentrionem Histor. In-  
 excurrere. Item circa Annum Christi 369. sub Valentini-  
 no Cæsare, & Anno 1116. totus pñè terrarum Orbis, de-  
 nique Anno 1601. Asia, Hungaria, Germania, Italia, Gal-  
 lia, uno ferè momento tremuisse feruntur.

Vnde nec perpetuò verum est, quod quidam asseverant,  
 terræ motus magnorum fluviorū objectu terminari & stare.  
 Igitur nihil certò & affirmatè h̄c dici potest; sed multitudo,  
 vires, profunditas exhalationis moventis, firmitas etiam  
 terræ superstantis, inspiciendæ sunt. Spiritus enim multis  
 locis dispositi latius movent. Etsi difficulter possint simul &  
 eodem tempore articulo; nisi aut concavitas continua sit, vel  
 per angustias aliquas detur spiritui accenso & ignito mea-  
 tus ab unā in aliam. Sic enim alter ab altero flammarum &  
 impetum accipiet. Halitus etiam crudus non tam validè  
 & latè ferit, quām incensus & rarius. Profunditas deinde  
 cavernæ facit, ut idem spiritus uno iectu majorem partem  
 subsilire superficie terræ faciat. Cum enim lineæ à circum-  
 ferentiâ ad centrum terræ deducantur, parallelæ non sint, sed  
 magis magisque sibi appropinquent, quò altius descendunt,  
 necesse est, partem terræ inter utramq; lineam interceptâ,  
 perpetuò cuneari & arctari, latissimamque esse in terræ su-  
 perficie. Vnde caverna, cuius latitudo quadrantem milliaris  
 non excedat, modo non procul à centro & regione Infer-  
 torum

rorum sit, sustinere potest totam Europam. Attamen vires & energiam spiritus propè incredibilem esse oportet, ut emoveat, aut sollicitet tantam molem. Itaque cùm tota v. g. Europa contremiscit, sæpiùs fit ut non una sit, sed multæ plurifariam dispositæ exhalationes, nec unico iactu, sed pluribus variis ejus partes concutiant, flammæ unius cuniculi, ut statim ante imaginabar, in vicinum per aliquem meatum se effundente. Vel, ex mugitu illo huc illuc discurrente, quis facilè existimet eundem spiritum, ceu fulmen quoddam subterraneum, per longissimas terræ cava-  
tates diffugere; sicqüe minimo temporis intervallo dissimiliata loca tentare ac moliri. Nec enim longè Plinius fal-

Plin. lib. 2.  
cap. 79.

litur, cùm ait, *Non aliud esse in terra tremorem, quam in nube tonitruum.* Ne autem tam longas & perpetuas sub terrâ venarum decursiones mireris, cogita tot ibi aquarum receptacula esse, & infinitos fluminum per abdita labentium alveos.

Durities denique & soliditas terræ incubantis multum adjuvat, ut vicina, quæ spiritus non suffudit, tamen etiam contremiscant. Molle enim solum si succutiatur, dividit se, nec impellit quæ circumstant. Hinc etiam fit, ut subterraneum illud fulmen hac illac cuniculatum oberrans, & exitum quærens, alicubi quatiat tantum, aut surrigat vano conatu; alibi, quia mollior & infirmior, effringat impositam molem.

Non de nihilo etiam quidam terræ motus dicuntur finiti occursu fluminum. Nempe illi, quorum spiritus profundiores alveis fluviorum non sunt. Ripa enim una agitata, alteram aquâ interfluente divisam concutere non valet.

Keckermannus denique probabile existimat ( sed nullo argimento probat ) terræ motus, ut Plinius dixit de peste, diffundi ab Ortu in Occasum, aut à Meridie in Septentrionem. Tentavi an venti, aut marinus æstus, qualitâsve regionum, firmam mihi aliquam rationem afferre possent; sed nihil pro voto inveni. Hoc saltem est verum, per oras maritimâs, quæ sententiâ Aristotelis & satis expertâ, facilimè tremunt, longissimè excurrere terræ motus. Oræ autem istæ, vel ab Ortu in Occasum ( ut in utroque mari Medi-

Mediterranei littore vides ) vel à Meridie in Septemtrionem ( ut in Helleponto, Euxino, Mæotide , Oceano etiam nostro , Africano item & Americano ) extenduntur. Sed an à Meridie cooperit aliquis motus , & in Septemtriones se sparserit, an retrò, quis nobis satis dicet ? Præsertim ubi eodem pñè temporis momento littus universum concutitur. Possemus tamen ex mugitu exhalationis , in quam partem se convoluat, aliquid discere : perinde ut è tonitru, quod se per nubem agat fulmen, solemus intelligere. Sed si cuti fulmen nullà certâ lege in omnes cæli regiones discurrit; ita de spiritu terræ motore, est prouum suspicari.

Duratio terræ motûs incerta etiam est & inconstans. Aliquando enim momento pñè absolvitur , aliás per menses totos , aut annos edurat. Maximus ille anni 1601. qui ab Asiâ ad Oceanum usque Gallicum, id est, per totam Europæ longitudinem se effudit, ultra quadrantis horæ spatium non duravit: nisi quodd̄ trigesimo post die Heluetia reliquias ejus alias sensit. Pugnante & vincente apud Transyenum lacum Hannibale, Italia tota cum multis passim ruinis quassata est; sed intra breve pugnæ tempus concussio stetit. Vnde neutra acies ejus motûs sensum accepit.

Anno 1538. Italia iterum, 15. diebus, Fallopio teste; Anno 1570. duobus integris annis, Fabricio Paduanio narrante, agitata fuit. Averroës Hispaniam suo tempore totos tres annos vacillasse dicit. Aristoteles & experientia affirmat, 40. dies sæpè solemnes fuisse. Vbi tamen tam diu durat, motus non continui, sed ut plurimum interpolati sunt , ut solent in nube fulmina. Ratio est, quia non statim & unico ictu exhalatio tota erumpere, aut ita dispergi valet , ut non iterum reliquiæ coeant & vires resumant. Secundi tamen ictus debiliores ferè sunt: nisi aut nihil ferè spiritus primo impetu defluxerit, aut rarer longè & intentior agitatione factus fuerit. Aliás enim terra primis ictibus quassata plerumque se laxat, & venis ac meatibus de spiritu terræ motore largiter ebit. Hæc enim caussa est, cur sæpè citra ullum manifestum chasma seu hiatum cesset terræ motus. Quia

Pp inquam,

inquam, terra laxata spiritum motū efficientem poris ac.  
cipit & exhaustit.

## ARTICVLVS V.

*Quæ anni tempora maximè sentiunt terræ motus.*

Agric. lib.  
4. de ortu  
subter.

Senec. lib.  
2.c. 1.Nat.

Dion. lib.  
16.

**O**MNIA sine ullo discrimine anni tempora, inquit Georgius Agricola. Ratio ejus, quia à solis ignibus subterraneis (quidquid Aristoteles ad Solem referat) effici putat terræ motus. Ignes autem isti toto anno evaporient motores spiritus. Nullum etiam temporum discriminem invenit Bodinus, qui dæmones *τύπαις τηρα* motores facit. Nec revera destituuntur exemplis. De vere & autumno res controversiam non habet. Sed Senecam audiamus. Pompeios in Campaniâ terræ motu desedisse ubi affirmavit: *Et quidem diebus hibernis*, (inquit, nempe Nonis Februarij) *quos vacare à tali periculo maiores nostri solebant promittere*. Famosus etiam ille Olyssiponensis motus, Anni 1531. quando Rex & totus populus desertâ civitate, octo diebus quibus duravit, in campis egit sub pellibus, in Februarium incidit. Et tempore Alberti Magni Longobardia concussa est ipso brumæ die. Nec æstas etiam caret tremoribus. Anno 1586. in Regno Pervano terræ motus nonâ die Iulij per oræ maris Pacifici 160. leucarum longitudinem cucurrit. Et hoc Anno, inquit Agricola, qui vigesimus Imperij Caroli Quinti est, ipso solstitio Misnia contremuit.

Sed nequidquam in Aristotelem & veritatem pugnas Agricola. Infinitis enim exemplis certissimum est, terram sæpiissimè movere autumno aut vere. Belgium seculo elapsso, ut ex Gemmâ nostro Articulo III. retuli, ter movit, bis Martio, semel Aprili. Et nuperus Anni 1640. in diem 4. Aprilis incidit. Sed plurimi tamen in omni memoria facti autumno. Quo tempore Augustus Antonium ad Actium vicit, Palæstina tremuit. Pugnatum autem est 4. Nonas Septemb. ut ex Dione discimus. Campania titubavit & Vesu-

Vesuvius arsit sub Tito, quando curiositas visendi miraculi Plinium perdidit / famo enim & cinere incendij suffocatus est vir ille maximus) extremo autumno , teste eodem Dionne. Constantinopolim s̄epissimè conquassatam , sed dirissimè anno 1509. legi , & semper mense Septembri. Italia anno 1538. spatio 15. dierum tota vacillavit , inquit Fallopius, eodem mense. Motus ille anni 1601. tam celebratus, Europam p̄enè totam , die 8. Semptembris inter primam & secundam nocturnam, agitavit.

Clariss. Academiæ nostræ Medicus Thomas Fienus mihi de eo aliquando hæc narravit. Sereniss. Ducem Bavariæ Maximilianum, cuius ipse tunc Medicus erat , motu exterritum, cùm putaret vim Palatio fieri , aut omnia corruere, gladio stricto exsilijsse , familiamque inclamasse. Fieno interim altissimo somno sepulso ; & cùm manè negasset se quidquam sensisse, plures dies deriso.

Sed & istud è Keckermanno , linguae Hebraicæ in Academiâ Heydelbergensi tunc Professore, extra oleas adjiciamus. *Natus, inquit, paullò ante hunc terra motu potentissimo Galliarum Regi filius primus, Delphinus, natus item potentissimo Electori Palatino sub ipsam terra motu horam, terrâ adhuc velut tremente, filius tertius. Utinam cum terra motu ad Ecclesia & Reipub. quietem uterque Europæ à Deo donatus aliquando intelligatur! Utinam posteritas id experiatur, contremuisse coram utroque Principe Gallie ac Germania hostes! Utinam de utroque veram illam vocem ac preconium posit usurpari: Heroicorum animorum magnos esse facilésque motus!*

De Christianissimo Rege Ludouico XIII. judicium non planè vanum; & nos Belgæ post ejus occasum adhuc sentimus. De tertio illo Palatino vanissimum Keckermannii vaticinium erit , nisi publicæ quieti magis quam frater litarerit, qui illo suo Bohemico ambitu, Germaniarum & totius p̄enè Europæ Statum conturbavit.

Admirandus denique ille Ferrariensis motus, anni 1570. Primos assultus dedit mense Novembri , ipso festo die D. Martini. Et ne infinitus sim, animadverte tu cùm historias

leges, & intelliges quod dixi, exempla plura autumnum aut ver incidere. Et hinc facile conjectamus, Solem aliquid afferre ad terræ vibrationem. Si enim penes solos subterraneos ignes caussa, ut Agricola & Lydiatus volunt, hieme sæpius, quando frigore omnes pori & ignium spiracula clausa & adstricta sunt, spiritu deprehensio & circum sua claustra fremente, terra tremeret. Autumnus autem & ver, quia modico & tepenti Sole calefactantur, exhalationesque aliquas reddunt, quibus algidæ hiemes carent, nec fervore nimio consumunt, quod æstas solet. Pigræ ergo veris & autumni exhalationes circa terram sæpè hærent, & facile relabuntur in ejus meatus, miscenturque ignium subterraneorum halitibus. Pluvia etiam regredi in terræ penetralia compellit. Et dehinc post largos imbres, inquit Aristoteles, non raro terra movet. Plures deinde & maiores nocturni, quam diurni sunt; & antelucani, quam vesperni, quidquid iterum Aristoteli resistat Agricola. Ratio est, quia nocturnū frigus spiritum interdiu resolutum intra terram adigit & continet. Qui si satis altè descendat, ceteroque spiritui subterraneo misceatur, implere mensuram caussæ potest, quæ movendæ terræ sufficiat. Frequentius autem ante auroram, quam statim post crepusculum vespertinum tremor accedit; quia sicut extrellum hiemis gelidius est initio; ita finis noctis magis alget quam principium, quando nondum extinctæ sunt omnes reliquæ diurni caloris.

Hinc etiam facile intelligitur, Lunæ aliquid imputari posse in terræ motibus. Plena enim & tumens, spiritus calore suo multiplicat. Sicca vero & illunis, cum in facie ad nos spectante, lumine careat, nihil resolvit. Dignum etiam notatu duxit Aristoteles, in Solis & Lunæ deliquijs aliquando exortos terræ tremores; spiritu scilicet subito calore destituto, & condito in subterraneos specus. Imò motum anni 1601. geminæ eclipsi, Lunæ 5. Solis 19. die Iunij Septembrem illum præcedentis, in parte Keckermanus tribuit.

## ARTICVLVS VI.

*Quæ signa antecedentia terræ motū,*

**P**Rimum est, si aquæ puteorum aut fontanæ subitò turbentur, & tingantur sapore sulphureo. Hic enim est halituum è terræ secretarijs in libertatem suspirantium, & in transitu aquas inficientium effectus. Sic Pherecydes Pythagoræ præceptor haustu aquæ putealis terræ motum instantem denuntiavit.

Secundum est, si mare sine flatu & fluctu derepente attollatur & intumescat. Ita Posidonius, ut Strabo narrat, Strab. lib. 6. æstivo Solstitio, sub Auroræ crepusculum, vidi mare Mediterraneum inter Æolias insulas ( quæ & ignibus flagrant, & saepe tremunt ) subitò in immensum surrexisse, desedisse que paullatim, spiritu evanescente.

Tertium, si volucres præter morem sedent impavidæ. Signum enim est, ventos & omnes auras sopitas esse. Libenter quippe volant aues leni flatu adspirante, & succollante corporis pondus. Malaciam autem & aëris insolitam tranquillitatem solere terræ motum antecedere, omnes fatentur; quia, inquit Seneca ex Aristotele, *vis spiritus, que concitat ventos solet, in inferna sede detinetur.* Nunc quoque Senec. lib. 6. c. 12. Nat. cùm hic motus in Campaniâ fuit, quamvis hiberno tempore & inquieto, per superiores dies aër stetit. Hoc ipsum est quod ait Plinius: *Nunquam terras intremiscere, nisi sopito mari, caloque adeò tranquillo, ut volatus avium non pendas.* subtracto omni spiritu qui uehit.

Potest tamen, ut vento uno spirante, alter sub terrâ tumultuetur; quia aliquando duos simul, etiam, in aëre, conspirare, ex agminibus nubium in diversa tendentibus, intelligimus, inquit Aristoteles.

Sed hæc caussa tam statæ tranquillitatis ante terræ motus, non mihi planè mentem implet. Venti enim non semper sunt qui terram movent.

Existimo igitur, flatu eorum tunc sustineri, aut alio

averti ab exhalatione, quæ multa & conferta per terræ meatus ante tremores in altum transpirat. Vnde aves etiam nonnumquam exterritæ avolant & fugiunt terræ motus, quia halitus ille præcursor eas abigit.

Quartum signum ex Aristotele est, linea nubis in longum & directum porrecta. Hoc tamen, uti & antecedens, immediatius tranquillitatem & statum aëris, quām terræ motum significat. Et ego centies ejusmodi lineares nubium tractus vidi sine terræ motu. Ut enim traquillo mari fluctus longi & recti ad littus veniunt, ait Aristoteles, quos in tempestate ventus contorquet & sinuat; ita in turbatione aëris magis sinuosa sunt nubium volumina, tot impellentibus hac illac fabris. Hoc igitur signum tenue est & remotum. Quod tamen ego in nupero Anni 1640. terræ motu, ut Art. III. narratum est, observaveram, & Gemma noster, Anno 1562. respondentे itidem eveatu. Vidi, inquit, ipso die Na-

Cor. Gem-  
ma lib. 2.  
c. 2. Col-  
mocrit.

tivitatis Domini, horā tertią pomeridianā, sub Sole lineam tenuem nigrām, qua in rāram longitudinem exorrecta diu permanxit. Sol autem in nube equali, densā, radios nigerrimos spargens, interdum velat subfilire videbatur, credo ex vaporibus interiectis. Secutus est, utitum præfigieram, terre motus 17. Ianuarij Anni 1563. cum fulminibus, quæ post ventos atrocissimos, tandem in maximas ac diurnas pluvias eruperunt.

Dion. lib.  
66.

Vltimum, & omnibus facilē anteferendum est, mugitus subterraneus. Ut enim vix umquam fulmen sine tumultuante antē tonitru emicat; ita rarissimè terra movet, quin antē mugiat. Idque compertum est per omnes historias. Exemplum unicum, sed insigne ex Dione, in concussione illā Campaniæ & Vesuvij conflagratione sub Tito sumamus. Sonitus, inquit, tum subterranei tamquam tonitrua, tum super terram mugitibus similes fuerunt. Dein mare simul fremere, calum unā sonare, ingenſq; & repentinus fragor, quasi montes simul corruerent, exaudiri. Tum exsilire primū immensi lapides &c.

Mugitus autem & ululatus iste, exhalationis per cava aut aspera cavernarum se versantis & frangentis effectus est, simillimusque tonitruo in nube. Nisi quod allisio ad dura &

CON-

concava, ( quæ exhalatio non reperit in nubibus ) sonitum illum ad ululatum canum proprius , quam ad bombum tonitruorum, sèpè deflecat.

## ARTICVLVS VII.

## Effectus terræ motūs.

**Q** Vi terræ motui vulgo tribuuntur effectus , potius exhalationis sunt. Imputantur tamen illi , quia per terræ motum exhalatio eos efficit.

Primus est , ædificia succussatione sternere. Vbi enim superiorum pondus extra perpendicularm diuturna inclinazione suspenditur, tandem procumbit. Sic tremor Campaniæ sub Tito duas urbes Herculanium & Pompeios , populo sedente in theatro, penitus obruit. Sic dudum antè , circa initia Principatū Tiberij , duodecim Asiac urbes simul collapsæ nocturno motu: *Quo improvisor graviorq; pestis fuit, inquit Tac. lib. 2. citus. Neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta Annal.* prorumpendi , quia diductis terris hauriebantur. Secutus deinde alter miraculo plenissimus , Christo paciente, anno circiter decimo octavo Imperij ejusdem Principis , ut ex Scripturâ constat, meminitque Phlegon Adriani Cæsaris libertus. Et Didymus: *Mei Christi tempore, inquit, non privatus aliquis terre motus, sed tota terra conquassata, & centro convulsa fuit.* Divinam ergo aut Angelicam virtutem , caussam habuit. Nec dubium, strages multis locis editas esse, qualem in Nyssenâ urbe, ex Phlegonte narrat Eusebius. Aut fortasse vibratio brevis, non inclinatio longa fuit, quæ statim omnia prona in ruinam , in libramenta sua restituit. Miserabilis etiam facies terræ motūs Antiochiæ, Trajano Principe, quo omnes pænè domus in pulvrem comminutæ , & ipse Princeps, qui tum fortè ibi hiemabat , per fenestram vix evasit incolumis. De terræ motu Apuliæ & Campaniæ Anni 1457. Aneam Syl- Epist. ad Fredr. vium Fredrico III. Cæsari narrantem audiamus. *Multa oppida Cæsarem funditus corruerunt, alia magna ex parte collapsa sunt. In Neapoli omnes*

*omnes fermè Ecclesie & maxima palatia ceciderunt. Plusquam triginta millia corpora oppressa ruinis traduntur. Populus omnis habitat in tentorij.*

Simillimo motu Calabriam nuper Anno 1638. concussam, urbes haustas, triginta iterum circiter hominum millia perisse audivimus. Et Anno 1618. die 4. Septembr. Piurum oppidum in Rhætorum Valle Tellina ab imminenti monte terræ motu excusso oppressum cum omnibus incolis, scriptum vidimus, & fama per totam Europam vulgavit. Anno 1509. tredecim hominum millia Constantinopoli obruta, Anno 1531. Olyssiponæ 1500. eversæ ædes, Anno 1570. Ferraria miserrimè tota dilacerata fuit.

Secundus effectus est, montium in plano excitatio. Hæc autem sit motu qui Brahest sive Bulliens dicitur, estque similis illi effossioni, quâ talpa terræ metam in altum egerit.

Vel

Ovidius 15  
Met.

— *ceu spiritus oris*  
*Tendere vesicam solet, aut direpta bicornis*  
*Terga capri.* —

Tumor ille postea permanet, & ævo indurescit. Tali motu, Anno 1538. in agro Puteolano, è cineribus & pumicibus mons altitudinis integri milliaris, qui ideo Novus appellatur, excitatus fuit. Pari modo plurimæ Insulæ è mari emer- serunt; ut Delos, Rhodos, Anaphe, Næa, Alone. Inter Cy- Senec. lib. cladas Thera, Therasia. De hac Seneca: *Therasiam nostræ atatis*  
*5. c. 12. Nat.* *In insulam, spectantibus nautis in Aegao mari enatam, quis dubitat,*  
*quin in lucem spiritus vixerit? Denique Plinij ævo, Thia. Hæc*  
*autem terræ egestio & in metam montemque accumulatio;*  
*spiritus invalidi signum est. Si enim acer & intentus esset,*  
*universus erumperet, & omnia uno impetu difflaret.*

Tertius est, montium suppressio. Motu enim Rhecte sive Effractore, in abruptum aliquando hiatum montes, urbes totæ cum populis, aut Insulæ etiam hauriuntur. Ita perie- runt famosæ illæ Achææ civitates, Helice & Buris, de qui- bus Aristoteli alijsque tam frequentata mentio; quarum illa 12. stadijs, hec 40. à mari aberat. Et tamen Seneca dicit suo

suo tempore super eas navigari, Plinius quēdam adhuc eārum vestigia in alto apparere. Cum terrā enim & hiatu qui eas condiderat, à mari statim absorptę sunt.

Similis exitus magnę illius Atlantidis Insulę, de quā Plato in Critiā & Timēo. Vnicā enim, ut narrat, nocte terre motu plurifariām discissa, & Oceano Atlantico hausta evanuit, superstibustantūm velut naufragij hinc inde dispersis tabulis, Fortunatis & alijs aliquot illius maris Insulis. Et Tertullianus: *Memorat, inquit, Plato, maiorem Asiam & Africam terram Atlantico mari creptam.* Vacillat tamen libro de Pallio. *Inter Insulas, ait, nulla iam Delos, arena Samos, & (si Plato non mendax) Aeon in Atlantico, Libyam aut Asiam adequans, queritur nunc.*

Tertull. c.  
40 Apolog.

Mendacem tamen Platonem censet Keckermanus lib. de Terræ motu anni 1601. & Iosephus Acosta.

Primo, quia in Oceano illo inter Africam & Americam nautę vix ullā bolide reperiunt fundum. Igitur nullę ibi sub mari Insularum reliquę. Deinde fatetur Plato, inquit Acosta, se à Critiā puerō id accepisse, qui inter pueriles cantiunculas, hanc etiam de Atlantide solitus minurire. Lips. lib. 2. c. 22. Histor. Indiç. Lipsius tamen noster rem factam, non fabulam existimat. Pamelius etiam in cap. 40. Apolog. Tertulliani, narrationem Platonis partim fabularem partim compertę veritatis affirmat. Christophorus enim Columbus, inquit, Anno 1492. 3. Nonas Augusti ex Hispaniā solvens, per Oceanum herbidum, & veluti in pratis, multos dies navigavit; sed nullos scopulos qui submersae Insulæ darent indicium, reperit, Undecimo tamen post die, Insulas alias Cubam, Hispaniolam, Iamaicam invenit, per quas Plato transitum in continentem Americam esse dicit.

Sed profecto, nescio cur soli scopuli, & non etiam herbæ illæ mari enatæ, suspicionem facere possint virentis alicujus Insulæ prolatæ fluctibus. Quia enim molli terreno, nec bene harenti compage fuit, ideo tam facile unico terræ motu dissoluta in cœnum aut arenam diffluxit. Narrat vero Critias Platonicus, in Atlantide fuisse calidos medicatosq; fontes;

fontes ; ut proinde ignes sub ea arsisse , & terræ motibus obnoxiam fuisse intelligamus.

Sed Oceanus ibi profundissimus est, inquis. Nego, ubique. Quis enim tam curiosè scrutatus fuit? Verum & istud demus. Fortasse, inquam, Insula totum hiatum non implevit, qui eam sorbuit. Vel potius, Insulæ lutum æstu & fluctibus aliò evectum est, & fundo maris ubique refusum , aut gurgites opplevit.

Nec id etiam tantum à puero aliquo somniante , aut dementiente acceptum ; alias enim divinus ille Plato nimis quām puer sit ( & quis etiam puer tali ingenio, ut hæc tam ingeniosa singat? ) sed ab Ægypti sacerdotibus , Philosophiâ & omne genus scientiâ canis audierat, cùm apud eos peregrinaretur Solon. A Solone porrò Critias major, à quo tandem Critias nepos , ut ex Timæo patet. Et ista tam signanter & graphicè descripta, ut quod Insula formæ fuerit quadrangularis, montibus pagatim inhabitatis cincta, metropolis cum fano Neptuni in meditullio , plurimæ orichalci fodinæ, & id genus plurima alia , nōnne rem veram , non ab aliquo capite imaginoso fictam significant?

Gomez.  
P. t. 2.  
Histor.  
Indic.

Denique Franciscus Gomez asserit, memoriam adhuc aliquam demersæ cujusdam ingentis illic Insulæ apud Indos superesse. Sed super omnia me, ut in hanc Platonis sententiam ferè delabar , movet : quod sine miraculo & transportatione Angelorum, nesciam quā viā lupi , ursi , tigres, leones , & cetera animalia humano generi noxia , ex Arcâ Noë in Americam pervenerint; nisi hæc aut perpetuo continent, aut per Insulam saltem aliquam , similem Atlantidi, cum Africâ ferè cohæserit. Imò, licet non terra olim , sed classibus adveharentur qui mutare sedes quarebant , ut Lib. de Morib. German. ait Cor. Tacitus, quomodo tamen ipsi homines ( nisi forté tempestate eie&i ) sine acūs nauticæ usu qui non ita pridem repertus, ex Africâ per illam Oceani, quæ nunc est, vastitatem in Americam traijcere potuerunt?

Aliqui tamen per mare glaciale Septemtrionis , & nives Polo subjectas , homines & bruta huc sponte transgressa credunt.

credunt. Sed cogita horridam illius cæli Septemtrionalis faciem, & multa animalia alsiosa & intolerantia frigoris esse, factum non credes. Probabilius ille aliquid fortè dixerit, qui tempore Noë Indias Orientales perpetuo continentem, vel per propinquas saltuatim Insulas, ( quales Sumatra, Moluccæ &c. ) terræ Australi conjunctas fuisse, & per pontes istos homines & animalia, peculiari insuper id agente Dei providentiâ, in oppositum Mundi latus transmigrasse, ac deinde per fretum Magellanis, in Americam reciprocasse. Nam Insulas maris Indici quasdam terræ motu, ut Atlantidem in altero mari, dissipatas esse multi credunt. Et Keplerus de famosa illa Taprobana id existimat, cuius fragmina & vertices montium esse putat catenam illam parvarum Insularum, quæ usque sub æquatorem versus Austrum decurrunt, & Maldivæ vocantur.

Quartus terræ motus effectus est, terrarum cohærentium discidium. Sic Britannia à Galliæ, Africa ab Hispaniæ contextu avulsa putatur. Sicilia ab Italiâ reiecta, Ossa ab Olymbo recessit, &c.

Hispaniam ab Africa revulsam, cùm Atlantis terræ motu dissiliijt, credit Iovin. Pontanus; imò Italiam Europam-  
que tunc Africæ cohæsisse, & Oceano per diruptum Her-  
culis fretum immisso quidquid mari nunc Mediterraneo  
tegitur submersum fuisse. Sed eum narrantem audiamus.  
Iovin. Pontan. lib. 6. de bello Neap.

*Qua tempestate ( circiter diluvium Deucalionis ) Atlanta ab-  
sorpta Insula, rerum quondam in Occasu potita. Vnde etiam nomen  
pelago ineditum. Irrumpente Oceano mare hoc immisum est Mediter-  
raneum, quo tunc submersa atque hausta fuere cuncta, quibus nunc  
interieclis Europa Africaque inter se atque Asia distinentur.*

Sed non accedo tibi Ioviane. Mare enim Mediterraneum antiquius est Deucalione. Nam ecce statim à Noë vetustiori diluvio, filij Iaphet, maiores nostri, qui incoluerunt Europam, per Insulas gentium sparsi dicuntur. *Ab his, ait Gen. 10.* sacer Moyses, *divise sunt Insula gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam & familias suas in nationibus suis.* Insulæ autem istæ, nihil ambigo, maris jam Mediterranei &

Ægæi fuerunt. Videtur, in prima Orbis terræ conditione ad Dei providentiam potius pertinuisse, ut alueus ille capax Europam Africamque inter fodererur, ac infuso ad ornatum & infinitas humanas commoditates mari, terrarum pectus hoc veluti balteo succingeretur.

Quintus effectus est montium, ædificiorum, arborum, & quæcumque terræ dorso insident, in alienum locum translatio.

Id autem accidit, quando spiritus superpositam molem uno impetu eiaculari non valens, elevat tamen, succollat & in altum vehit. Vnde Albertus hunc motum, Vectionem appellat. Ita supremo Neronis anno prata & oleæ Vectij Marcelli, Procuratoris Neronis, in agro Marrucino, in contrarias viæ publicæ sedes transgressæ. Ita dudum ante in agro Mutinensi, duo montes, ait Plinius, inter se maximo crepitu arietando concurrerunt, assultantes recedentesque. Sic etiam Anno 1575. collis in Angliâ (quæ tamen rarissimè sentit terræ motus) cum vicinâ planicie permutavit locum, & Anno 1586 mense Aprili in Hiberniâ juxta fluvium Barum, arbores cum spinetis, ut narrat Franciscus Ribera.

Sextus est, fontium aut fluviorum insolentibus locis per dehiscentes terræ venas eruptio. Siccantur etiam, aut al-

Plin. lib. 2.  
cap. 103.

veum mutant aliquando, vel in scaturigines suas refunduntur. Amnes retrò fluere, inquit Plinius, & nostra etas vidit, Neronis Principis supremis, sicut in rebus eius retulimus. Nec dubium, quin aliquo terræ motu; & fortasse eodem illo, qui oleas Procuratoris Neronis, supremo etiam vitæ ejus anno, transtulit. Idem factum seculo nuper elapso in Americâ Iosephus Acosta affirmat. Conimbricenses de terræ motu illo admirabili sub Emanuele Lusitanîæ Rege, Tagus inquiunt, diffugientibus in utramque ripam undis, siccâ in medio vada ostendit, omnibus qui spectarent terrore & stupore percussis. Nec opus in re certâ & compertâ pluribus exemplis.

Septimus, & omnium peccimus, est pestilentia. Solemnis enim hæc est, post omnes ferme terræ motus; idque per infinita exempla doceri potest. Nec id mirum est, inquit Seneca;

Lib. 5. c. 27.

multa

Acosta lib.  
3. c. 26.  
Histor.  
Indic.  
Cominbric.  
Tract. 2.  
c. 8. Meteor.

multa enim mortifera in alto latent. Exhalationes ergo terræ moventes, sulphure suo alijsque qualitatibus, sœpè letales sunt, vel ipse saltem aër in cavernis illis pigritiâ æternæ noctis, aut culpâ terrarum corruptus, quem diffuso hiatu, vel per laxatos ut minimum poros, exhalatio secum in auras nostras vehit. Quàm enim subterraneæ, & præcipue mineralium exhalationes humanæ valetudini noxiæ sint, Clar. Mathematicus Io. Bap. Morinus, Hungaricarum fodinarum quas Anno 1616. iniuit, historiâ, quæ hîc rescribi meretur, egregiè probat. *Ad hoc inquit inventū* ( fodiendi alteram viam ad novi aëris inspirationem, præter puteum, quo metalla è fodinis egeruntur, & metallicæ exhalationes exspirantur ) fossores coegerit necessitas & ratio sapientioribus persuasit, ut exhalationis venenata refertaq; antimonialibus, mercurialibus, salinis, & arsenicalibus spiritibus, cerebro, cordi, & pulmonibus potissimum infestissimis, malignitatem effugerent. Indeq; sit ut fossores sub prima terra regione aliquantulum refrigerentur ( ibi enim præ calore nudi laborant ) & minori cum noxa respirent. Non tamen idcirco ab exhalationis malignitate omnino liberantur, sed ab ea multum semper, et si longè minus ladduntur. Vnde vix ulli ad 50. annum perveniunt, multi in iuventute & virilitate phibisi moriuntur, successu temporis pulmonibus ulceratis ab acrimonia exhalationis inspiratae. Omnes verò moram in fodina ultra 4. horas sustinere nequeunt. Quibus elapsis sursum ad aërem purum coguntur ascendere. Siq; in profundis illis fodinis laborantibus aëris externi præcluderetur ingressus, ne unus quidem è millibus, intra horæ quadrantem vivus superesset, sed omnes suffocati interirent, ut mihi retulerunt sapientiores. Quibus vim exhalationis multoties expertus facile credo.

Mortiferas ejusmodi exhalationes multas in alto latere, quas terræ motus in aërem nostrum expuit, probat etiam Seneca exemplo Campaniæ motu, qui accidit ejus ævo; in quo gregem sexcentarum ovium, peste statim insecatâ, in regione Pompeianâ examinatum, narrat. Additque bellam rationem, cur bruta facilius hanc à terre motu luem, quàm homines, sorbeant. Quia videlicet, prono capite & in terram respirante sunt; homines verò è cælo, aut parallelum

ferè horizonti spiritum ducunt.

Simili etiam halitu Auernus, Charoniæ scrobes, & plurima alia loca avibus supervolantibus pestem afflant. Qualem se Hierapoli vidisse, & periculum in quâdam aviculâ fecisse, narrat Dion. *Is spiritus, ait, omnibus animantibus pestilens est, præterquam castratis hominibus.* Cuius causam eisdem afferre nequeo. Et tantum ut vidi audivis, referto. Rogavi Clarissimum Medicum & amicum nostrum Thomam Fienum, ut vellet Dionis subvenire. Sed negavit statim se fabulis respondere. Si aliqua tamen causa est, in frigore castratorum debet inveniri. Spiritus enim illi pestilentes sæpè fervidi sunt, & multitudine ac calore suffocant; cui fortasse potentiùs resistit castrorum frigus. Sed id genus miracula non raid vanitatis quâm fidei pleniora sunt. Vel certè Galli illi Matris Deûm, antidoto præmuniti, aut spiritum tantisper continentis, innoxij antrum illud inspectabant. Quod fama deinde sparsit ad omnes castratos. Istud enim indicat Strabo. Cardanus etiam quatuor ordine opifices, qui in caveam subterraneam, ubi ipse intererat, descenderant, exanimatos scribit. Non omnibus tamen, aut omni tempore æquè nocent. Charonia scrobs, quæ hodie Antrum canum vocatur, in agro Putolano, hominem confessim necat, bruta sopit tantum: excitanturque mersione vicini lacus. Albertus Pighius tamen in eo innoxius ambulavit, ultra æstum nihil expertus. Attra-  
men alijs Turcæ quidam immisii, statim extinti sunt.

Vltimus, & utilissimus omnium effectus, est timor Numinis: qui etiam est finis ejus principalis.

Ita dico. Nam licet *omnia opera sua fecerit Deus, ut timeatur;* nullo tamen ferè majori terrore id assequi potest, quâm Arist. lib. 3. terræ motu. Vnde Aristoteles Gallos Celtas minis intrepici. 10. Ethic. dos, & *μαινόμενος, insanos* vocat; quia non timeant terræ motus. *Quam enim latebram prospicimus,* ait egregie Romanus Sapientis, quod auxilium, si Orbis ipse ruinas agitat? Si hoc quod nos Senec. lib. 1. Nat. tuetur ac sustinet, supra quod urbes sita sunt, quod fundamentum quidam Orbis esse dixerunt, discedit ac titubat? Quid tibi esse non dico auxiliū, sed solatiū potest, ubi timor fugam perdidit? Non perdidit tamen,

tamen, & Deum habemus, quò confugiamus. Ideo enim hos terrores hominibus ostentat, ut perituri inhærentes ad sui respectum convertat, ut quām instabili vestigio humana omnia, in quibus pendemus, nitantur, intelligamus; quandoquidem etiam terra, quæ firmissima & in æternum stare dicitur, pedibus mortalium se subducat.

## ARTICVLVS VIII.

## Comparatio Cunicolorum militarium cum terræ motu.

**M**AGNA omnino affinitas est Cunicolorum istorum cum terræ motu, qui Rhectes seu Effractor appellatur; ut ars hunc videatur traxisse in exemplum. Ut enim tormentis nostris Iove fulminantem, ita Neptunum, aut Plutonem terræ quaslatorem pulvere cuniculario imitamur. *Huius tam atrocis inventi auctor fuit, inquit Cardanus, Franciscus Georgius Senensis. Docuit hic Hispanos arcem, Lucullianam iuxta Neapolim, quam Galli tuebantur, nunc Ovum vocatam, evertere: adeo eius sacra, cum Gallis qui intus erant, etiam in mare ex monte translata.*

Guicciardinus tamen inventionem tribuit Petro Navarro Gucciard. lib. 6. Cantabro. Et Iovius de Navarro sibi familiariter cognito affirmat, famam toto Orbe (cum antè miles tantum esset gregarius) consecutum, *in excavandis cuniculis, per quos immisis tormentarij pulveris fomentis, adeo terribiles intus flammæ excitare didicisset, ut obstructis spiramentis, violentia oblectantis intus flammæ, non mœnia modò, sed impositæ etiam rupes excinderentur.* Et deinde: *Expugnatà apud Neapolim Ovi arce, stupendo suo artificio usque adeo mirus extitit, ut Galli eius portentosa machinationis metu, reliquis præsidij facile excederent, cum ab ripa in sublime propugnacula Megaris insula scopulis imposta, & furentibus flammis cuncta tremere, hiscereque & perfringi cum rainâ multorum mortalium prospexit.* Vanuc. Biringuccius Senensis, qui etiam seculi lapſi initio vixit, conterraneum suum, Franciscum Georgium repertorem, sed Navarrum in arce Ovi

Ovi sumpsisse primum experimentum affirnat , supposito  
in tribus partibus pulvere. negatque ullum postea cunicu-  
lum felicius saltasse.

Receptaculum pulveris, quod in capite seu fine cunicu-  
li est , quatuor orgyarum , sive quatuor & viginti pedum  
altitudinis , duodecim verò pedum latitudinis , fieri suadet  
Biringuccius , Cuniculi vena, sive via quâ ad pulveris cavum  
pervenitur , tortuosa & aliquot amfractibus sinuata esse de-  
bet , ne flamma pulveris lapides & cæmentum , quibus ob-  
struitur , excutiat ; sed per verticem & molem superstam-  
tem erumpat . Illâc enim , sine dubio , se ejicit , quâ facillimè  
poteat . Itaque viæ omnes aliæ cum curâ sepiendæ & fir-  
mandæ sunt , ut per incubentem molem erumpere co-  
gas . Funis autem igniarius sulphure illitus , à loco pulveris  
ad orificium cuniculi inter cæmentum deducitur , per quem  
ignis serpat usque ad pulverem . Pulvis verò sumitur tenuis-  
simus , ut totus ferè simul flammarum rapiat . Sic enim vio-  
lentior est , & majorem stragem dabit .

Sicuti autem spiritus terræ motor molem aliquando va-  
lido primum conatu attollit , deinde fatiscens incolumem  
deponit ; ita sœpè in cuniculis usu venit . Exemplum ite-  
rūm à Petro Navarro petemus . Is cùm Bononiam à Gallis  
defensam oppugnaret , acto sub mœnibus cuniculo , ma-  
gnam eorum partem , cum imposito etiam Sacello sic ele-  
vavit , ut plateæ urbis per hiatum obsidentibus conspicuæ  
essent . Sed flammâ nil ultrà valente , ingens illa moles  
aliquamdiu pendula , molli relapsu tandem in vestigia  
sua & apertum foramen ita recidit , ut numquam emota  
videri posset . Hinc res divino miraculo tributa fuit .  
Similis planè effectus terræ motûs Anni 1116. in flumine  
Pado . Hæc enim Chronicon Hirsaug. in Notis Rev.<sup>di</sup> &  
Amplissimi D.Io.Chapeavilli Canonici & Vicarij Leodien-  
sis , ad caput 18. Ægidij Auteæ Vallis . Horrendus , inquit ,  
terra motus per totam pænè Orbem terraram factus est : quo civita-  
tes , castella , villa cum hominibus absorptæ sunt , montes sciissi , flu-  
mina , deglutiente terra , exsiccata . Padus , unus de quatuor Europa ma-  
joribus

Guicciard.  
lib. 10.

ioribus fluvij, è terrā elevatus in modum forniciis, ut inter terram & aquam via pateret transiuntibus. Vnde iastare extremus dies credebatur. Et de Mosā etiam nostro, ad Chronicon Sigeberti Robertus narrat: Eodem tempore iuxta Abbatiam qua Sustula dicitur, quasi penderet in aëre, fundum deseruisse.

Verūm in concavitate pari, pulveris cunicularij vires longè majores, & plura moliuntur, magisque ferociunt, quām spiritus terræ motor. Vnde ars hic non tantūm naturam imitata est, sed etiam superavit. Ratio est, quod spiritus terræ motor cavitatem influens & replens, multis partibus sit rarius pulvere; ideoque licet motu, vel ab aliā causā in ignem rarescat, pauciores tamen sunt partes ejus quæ talibus angustijs capi nequeunt, quām pulveris in flammatum tanto loco illo ampliore dissoluti. Capit id paullò enucleatiūs.

Pulvis ejusdem ferē densitatis est cūm terrā, spiritus terræ movens raritatis fortasse paris cum aëre. Terra, Aristotelis opinione, decuplo quām aqua densior est, hæc decuplo quām aér, aér decuplo quām ignis. Hinc sequitur, terram sive pulverem pyrium millicuplo ignem & flammatum densitate superare; cūm tamen aér & spiritus motor decuplo tantūm ignem excedant. Igitur quando spiritus terræ motor ignescet, in decuplo ampliorem tantūm locum se spargere tentabit; pulvis verò latius, & ad millicuplum. Vnde flammæ pulveris claustra sua magis indignabitur, tundetque validius. Adde jam proportionem illam pulveris ad flammatum nimis magnam esse. Snellius enim affirmat se comp̄. Willebr.  
Snellius.

Ceterūm tamen terræ motus, aut quia spiritus profundior est, aut pluribus locis suppositus, latius, quām cuniculi, terrorem spargit. Estque ( licet fortè non erumpat ) succussione illâ nocentior, quā plurimorum ædificiorum compages laxat, aut impellit etiam in ruinam.

Simili cuniculis fermè artificio igniariae naves ab obſer-  
fis Antuerpiensibus Anno 1585. fabricatae, quarum fulmine

admirabilem illum Principis Parmensis supra Scaldim pontem disificerent. Naves enim ingentibus & sepulchralibus lapidibus inædificabant, pulvere deinde implebant, & nullo gubernante demittebant secundo Scaldis æstu. Vbi ad pontem defluxissent, ignis per foritatem serpens pulverem incidebat: ibique tanto impetu naves, lapides, ceteraque missilia spargebat, ut ingentem illam pontis machinationem tot trabibus, pontonibus, catenisque decumanis devinctam firmatamque unica navicula dissiparet, plurimosque in utrâque ripâ mortales sternet, contereretque. Innumeri enim in principio, novitatis ignari ad ripas confluebant, studio videndi ridendique naves marino æstu, nullo alio reatore delabentes.

Mirabilem etiam stragem à pulvere passa urbs Mechliniensis Anno 1546. profecto D. Laurentij. Fulmen enim altissimam quamdam turrim, in quâ 700. circiter erant cada tormentarij pulveris, percussit. Vbi turris momento temporis radicitus abrepta, partem murorum oppidi, & totum pñne ipsum dilaceravit, plurimosque mortales exanimavit. Fluvium ipsum, qui juxta fluebat, ebibit, piscesque tostos aut ustulatos per agros dispersit. Portæ dissidentis,

Cor. Gemma lib. 2. c. 2. Cosmo. crit.

( ait Corn. Gemma, qui tunc adolescentis in Ludo ibi litterario agebat ) tanta fuit eruptio, ut stragem latissimam dederit, dissectis adiscijs pluribus 300. oppressis hominibus supra 500.

Granatorum etiam artificium propriùs ad cuniculos, quam tormenta nostra ænea, accedit. Granata enim instar ferè cuniculorum dissiliunt. Pilæ metallicæ sunt, palmaris diametri, inquit à Porta ( nostræ jam tamen majores, & pedalis, aut amplius sunt ) quæ clavo ferreo transfiguntur, ut ipse describit. Alliganturque ferrea fila, quæ singula 300. taxillos ferreos insertos habent; ideoque Granata vocantur. Nam missilibus quibus inficiuntur, malorum Granatorum similitudinem exprimunt. Hæ pilæ optimo pulvere tormentario replentur. Quæ ubi per canaliculum immisum ignem acceperint, in mille dissiliunt partes, omniaque missilia tam valido iictu excutiunt, ut in tabulas

& muros

& muros palmum subintrent, & ducentos sēpē simul saudient. Audivimus nuper narrantem urbēs Bredanæ incolam: vidisse se cum horrore, nuperā obsidione Anni 1625. unicū Granatum à nostris in urbēm conjectum, talibus fūrijs agitatum, ut ferè sit incredibile dictu. Tanto enim im- petu ruptum aiebat, ut integrā domum funditus cum pa- rietibus, trabibus, tabulatis, tecto, diffregerit, comminuerit, difflaveritque.

Ante Ostendam denique ratio reperta pulveris Grana- torum sic medicandi, ut eo afflati in vertiginem darentur aut epilepsiam. Et in dies ars semper aliquid prioribus ad- dit, ingeniosa in perniciem mortalium.

LIBERTI FROMONDI.

# METEOROLOGICORVM

LIBER QVINTVS:

## De Meteoris aqueis.

CAPVT I.

*De Mari.*



VIA vapor, aqueorum meteororum ma-  
teria est, & ē mari ceterisque aquarum  
hauritur, de his antē, Aristotelis exemplo,  
dicam. Prius tamen de mari, ut minorum  
aquarum parente.

Aqua verò generaliter, aut sub terrā  
latent, aut in superficie ejus sunt. Illæ aut  
per occultas venas discurrunt, vel in abyssō magnā / ut Gen. 7. &  
S. Scriptura vocat; Plato verò Barathrum, Poëtæ Tarta- 49. Plat. in Phædon.

Rr 2 rum

rum appellant) desident & stagnant.

Similiter quæ in terræ superficie sunt, in fluentes & stagnantes dividuntur. Fluentes sunt, quæ canali suo totæ & continent agmine elabuntur; ut flumina, rivi. Stagnantes, quæ alueo ita se continent, ut non totæ effluent. Hæ vel fontes, vel putei, vel lacus, vel paludes, vel mare sunt. Fons à puto, solà profunditate & distantia à superficie terræ differt. Lacus, inquit M. Varro, est lacuna magna, ubi aqua contineri potest. Sed hæc definitio est continentis. Contentum vero, est aqua magna stagnans, quæ ceterarum origo non est. Hoc addo, ad excludendum mare à definitione laci. Alias enim mare pro ingenti quodam lacu haberi potest; nisi locutionis insolentia prohiberet. Palus, eodem Varrone definiente, est paullulum aquæ in altitudinem, & palam latius diffusa. Major ergo laci, quam paludis profunditas esse debet.

Mare definiri solet, communis aquarum congregatio, origo ceterarum. Quæ definitio est integri & unici maris in toto Mundo. Nam mare Mediterraneum v. g. quæ pars est illius totius integralis, non est ceterarum aquarū origo. Mare Galilææ, & Caspium lacus potius, quam maria sunt. Nisi Hebræorum more, qui majusculam quamcumque aquam, mare appellant.

Sed nonne igitur, inquires, mare aliud Adriaticum est, aliud Tyrrhenum, &c? Ita. Sed per synecdochen, quam nomen totius parti tribuitur. Sic Poëta etiam hiemem, frigidum annum vocat. Sophista hic nuper quidam flagitabat excludi pisces à definitione maris: urgebatque non oportere excludi, quia continentur definito. Sed aliud est contineri, ut locatum in loco, quomodo pisces mari continentur; aliud ut definitum in definitione, cui ipsa per prædicationem tribuitur.

Fretum est mare coëuntibus littorum quibusdam cervicibus compressum, Tale Britannicum, Herculeum, Magellanicum,

Libro 4.  
de Lingua  
Latinâ.

## ARTICVLVS I.

*Quæ origo, & quanta magnitudo maris.*

**P**ythagorici mare Saturni lacrymas, Anaxagoras & Empedocles terræ sudorem aut urinam, ideoque salsum, dixerunt. Nec longè id hodie spernit Io. Keplerus, qui terram, magnum quoddam animal ab ignibus subterraneis æstuans esse credit, & marino sudore diffluens. Sed nugæ istæ fabulares sunt.

Mare igitur, cum ceterâ omni aquâ, Mundo nascente, terræ undique circumfusum, creatum est. Tertio verò Mundi die, ad vitam & commoditatem animalium, pars terræ reiecta, suusque mari, quò se reciperet, cavatus alveus, cavati fluminum canales, tumulis, collibus, montibus plurifariâ excitatis.

De magnitudine superficiei maris, nondum satis liquet. Quidam, inquit Thimon, putant, ut in parvo Mundo homine, facies solùm & manus nudatæ sunt, ceteris partibus intra vestem abditis; ita in magno Mundo, ampliorem longè lateque tractum aquis contegi, emicantibus hinc inde sparsim terrarum Insulatarum, aut continentium particulis. Sed falluntur. Fallitur & Scaliger, qui unicam tertiam telluris partem nudam, reliquas duas docet obrutas aquis. Propius veritatem est, quod curiosè dimensus Piccolomineus, plus aliquatto terræ nudatum, quam suppressum mari, lacubus, fluminibus. Nimis tamen exerrat Auctor ille Apocryphus libri 4. Esdræ, cap. 6. Tertio die, inquit Creatori, imperasti aquis congregari in septimâ parte terra: sex verò partes sic casti, & conservasti, ut ex his sint coram te ministrantia seminata à Deo & culta. Itaque verisimilimum est, quod affirmat Bodinus, tantam ferè maris, quantam terræ esse superficiem. De Orbe nōto loquimur: nam aquâne an terra sub utroque Polo jaceat, nondum compertum est. Hoc quoque navigantium experimento indubitatum narrat

Thim. lib.  
2. q. 1.  
Metacr.

Scal. Exerc.  
38.

Acosta lib. Ios. Acosta, superficiem maris nullibi spatio mille leuca-  
l. c. 6. Hi rum rectâ linea expandi, sine Insulæ, aut continentis oc-  
storum Indic. cursu.

De profunditate maris, antiquorum Geometrarum sententia fuit, teste Plutarcho, altitudini montium esse parem. Ideo fortasse, quia existimarunt montes à Deo exaggeratos ex illâ parte terræ, quam effudit excavando maris alueo.

Sed difficulter hoc esse potest: quia, ut Libro primo ostendi, montes non pauci 4. milliaria Italica perpendiculari habent, cùm tamen maxima Oceani profunditas ad dimidium milliare non perveniat, ut mibi afferuerunt, inquit Baptista Benedictus Epistolâ ad Horatium Mutum, Hispani multi, & Lusitani præstantissimi nautæ, tum Venetijs, tum Parma in Aulâ Serenissime quondam Principis: Inter quos Venetijs fuit Illustris Rodericus Guzmanus, D. Franciscus Lopez, D. Gilbert.lib. II. Garzias de Seviliâ, multiq; alij. Et satis consentienter Gilbertus: z. c. 17. de magnet.

Maria, inquit, tantum cavitates quædam terra implent, qua non adeò altæ sunt & profunde; cùm rarissimè ad mille passuum profunditatem descendant, plerumque centum aut quinquaginta orgyas non excedunt. In gurgitibus tamen quibusdam altitudo ultra milliare decurrere potest. Alicubi enim nullâ bolide reperiiri valet fundus. Quod nuperā navigatione Indicâ, circa plerasque Insulas maris Pacifici experti sunt Hollandi. Imò

Olaus lib. III. Olaus tantam circa pleraque Norwegiæ montosa littora altitudinem Oceani esse scribit, ut funibus, quantis maxima navis impleri valet, non attingatur fundus. Vnde etiam certum non est, an profundissimi gurgites, altissimorum montium non adæquent perpendicularum. Imò conciunitas quædam Universi postulare videtur, ut Insulæ, id est maris montes, quorum vertices ab hominibus habitantur, terræ montibus sint altitudine æquales; ac proinde, ut tanta sit profunditas maris ab ima valle circa quasdam Insulas usque ad superficiem, quanta est excelsitas montium terræ, à superficie terræ sursum. Vnde cùm plurimi terreni montes vertice attingant stationem nubium, vero simile est, circa plurimas etiam Insulas, profunditatem maris æquare altitudinem

tudinem aëris à nubibus usque ad terram.

Montes tamen terræ si universi deraſi in mare proijcerentur, nequaquam totum ejus altueum replerent; cùm fundus maris, seu ima superficies marini altuei, æqualis propemodum sit superficie terræ montosæ simul & non montosæ. Vnde si universi terræ montes in fundo maris, ad modum Insularum plantarentur, non se ita ubique attingere possent, quin fretis faltem quibusdam dispernerentur.

Concludo igitur, terræ corpus videri longè majus aquâ. Quod ita potest ostendi. Pone, quidquid aquarium vides in superficie, habere profunditatem parem cum terrâ, & ad terræ centrum usque extendi: tunc demum utrumque Elementum æquâ mole erit, cùm in superficiebus eorum statuamus paritatem. Quoties ergo jam aqua minor est, cujus profunditas comparatione semidiametri terræ est tam curta & vadoſa?

Nihilominus incompta est vastitas & altitudo aquarium subterraneæ abyssi. Nam quidam putei metallici in Germaniâ / ut in Bermanno Geor. Agricola docet / ad 500. orgyas / mensura est sex pedum / siccii pervenient; alij in pari altitudine, immensum aquarium Barathrum inveniunt. Deinde omnes lapides & metalla, imò etiam Inferorum & Plutonis regnum, in terræ molem comprehendimus & compingimus. Hæc tamen concavitas igne & sulphure, non terrâ est oppleta. Diametrum vero ejus, unius Belgici milliaris Lessius esse conjectat. Longè tamen ampliorem Franciscus Ribera cap. 14. Apocal. Vbi his verbis, *Et exiuit sanguis de lacu / iræ Dei, id est Inferno / usque ad frenos equorum, per stadia mille sexcenta, putat significari longitudinem diametri concavitatis Inferorum circa centrum terræ; quæ sit 1600. stadiorum, id est 200. milliarium Italicorum. Sed nimis magna & improba tamen est, inquit Lessius, hæc vastitas. Nam diameter unius leucæ cubicè multiplicata sphæram efficiet, quæ capiendis octingentis millibus millionum corporum damnatorum / dando cuique ſex pedes in quadro / abundiſſimè ſufficiat. Cùm tamen, inquit, certum videatur*

Leff. lib. 13.  
c. 24. de  
morib.  
divina.

videatur, facta subductione, non futuros centies mille milliones  
damnatorum. Sed mirum est, unde illud ei videatur certum;  
in tam innumerabili, ab initio Mundi huc usque, & porrò  
ad finem, hominum multitudine, quos Deus dimisit ingredi  
vias suas, id est, spatioas vias, quæ ducunt ad perditionem. Pauci

A&amp;. 14.

Matt. 7.

S. Aug. lib.

de care

chiz. rudib

cap. 19.

In Epist. ad

Galat.

enim, in eo paucissimi non solum sub lege naturæ ab Adamo  
ad Moysen, sed etiam sub lege Mosaiica, ut S. Augustinus  
mihi testis, vitam æternam adepti sunt. Et hodie præter  
hæreticos & Mahometanos, quot sub cælo sunt per utras-  
que Indias dispersæ nationes, quæ aut Christi nomen non  
audierunt, aut in illum non credunt. Et tamen non aliud no-  
men est sub calo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.  
Non igitur solum centies mille, sed longissime plures corpo-  
rum damnatorum milliones futuri videntur, quibus os & ca-  
pacitatem Inferni aperire oportet.

Verum licet diametro Infernali 200. sive semidiametro  
100. millaria Ital. cum Ribera donec mus, modicum hinc  
magnitudini terrestris globi decedet, cuius semidiameter  
sive profunditas 3436. ut vel alij 3500. mill. Ital. existimatur.  
Vnde apparet quot partibus aqua à terra supereretur, etiam  
si mare universam terræ superficiem tegeret; quandoqui-  
dem experimento nautarum, ut ante dicebamus, profundi-  
tas ejus in altissimis gurgitibus vix ad milliare unicum Ital.  
descendat, quæ ad terræ profunditatem 3500. mill. Ital.  
vix est sensibilis. Nec amplitudo subterraneæ abyssi, sive  
aquarum quas per varias aluos & subterraneas cavitates di-  
vina sapientia, quando appendebat fundamenta terre, & librabat  
fontes aquarum, dispersit, magnam viscerum terrestris globi  
partem occupat, si verum est, quod in Epistola illa philoso-  
phatur Benedictus, Naturam eiusmodi subterranea cava &  
spongiositates non produxisse demissius libramento maris.

Erov. 8.

Quanquam plurimas aquarum voragine longè fundo  
maris depressiores esse existimem, easque subterraneis igni-  
bus plurifariam, ingentium cacaborum instar, superpositas,  
ut ex vaporibus inde exhalantibus & in media terræ regio-  
ne concrescentibus, metalla ad humanos usus coagulentur.

Sicut

Sicut enim divina bonitas & sapientia omnia in cælo sursum; ita universa in terra & terræ visceribus deorsum, ad hominum commoditatem & usum composuit. Ipsí laus, honor, & gloria in secula. *amem.*

Hæc verd aquarum subterranearum profunditas ut manifestius intelligatur, ex Io. Bapt. Morini, qui Hungaricas fodinas scrutatus est, experimento, terram in tres regiones, Morin.  
ut aërem solemus, supremam, mediam, iafimam dividere Anatom.  
oportet. Suprema terræ regio, à superficie ejus ad 100. Mundi  
circiter orgyas, sive hexapodas, inquit, descendit. Hæc sublun.  
estate friget, hieme calet, vere ac autumno temperiem ex utroque habet. Sequitur deinde media terræ regio, semper calida, & tanquam terræ uterus, in quo fermentantur formanturque metalla, & ubi omnis metallicorum labor desudat. Quousque hæc media regio deorsum excurrat, seu ubi infima ac centralis incipiat, nullus hominum novit, quia nemo eam vivus adhuc pertransit; nisi fortè Core, Dathan, & Abiron, ait Morinus, qui eius dimensionem mortalibus referre nondum redierunt. Quantumvis enim profundè à metallicis terra huc usque effossa fuerit, semper (ut à plurimis illius artis senioribus & peritioribus, in ipsis didici terra cavernis) in loco calido extiterunt, nec ultrà frigus repererunt. Ego vero, inquit, illam ingentis admodum esse crassitie ex eo autuno, quod in profundiorum fodinarum fundo, non solum metalla, sed etiam rupes densissimas durissimasq; conspexerim. Quarum materia non potest non esse vapor & exhalatio, è locis adhuc multo profundioribus eousque ascendens. Horum enim pars crassior & terrestrior omnium prima subcidet (ut in domorum caminis defuligine patet) ex qua rupes illæ conficiuntur, ceteraq; per terræ corpus disseminatae, & extra terram acuminate protuberantes.

Si autem rupes illæ subterraneæ profundissimarum fodinarum fundum cacumine suo solum attingant, oportet vapores unde concrescunt, ex profundissima aquarū abyssu, rupium & metallorum omnium matrice suppositis ignibus exhalari.

Veruntamen non oportet imaginari unam abyssum continuam, quæ Infernum & totum centralem terræ Orbem

undique succingat, sed varias potius & intercisas voragini, puteos, lacus, ut facilius ab ignibus suppositis vaporari, & rupium ac metallorum materiam exhalarē queant. Vnde etiam conjectare licet has subterraneas voragini non tantum aquæ posse in unum conferre, ut hoc Elementum terræ globum magnitudine vincat, imo quin multesima ex parte ab eo vincatur.

## ARTICVLVS II.

*An terra & mari idem sit centrum.*

D. Tho. I.  
p. q. 69. 2. 1.  
ad 2.

**N**Egare videtur D. Thomas, Ambrosius Catharinus, Paullus Burgensis, Bodinus, & alij. Docent enim, mare altius esse terrâ, & efficere quemdam in dorso ejus veluti gibbum. Si quæras, cur gibbus iste seu aquarum tumor in subjecta littora non se effundat, obruatque terram; aiunt divinâ manu retineri. Hoc enim significari videtur Ierem. cap. 5. Posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non prateribit: & commovebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Et Proverb. cap. 8. Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Iobi cap. 38. Et dixi (mari) Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

Deinde, Rex Ægypti Ptolomæus, maris Rubri alueum in Nilum deducere aggressus, deteritus est à Mathematicis inundationis metu, excelsiore tribus cubitis Rubro mari comperto, quam terrâ Ægypti. Simili terrore Demetrius Rex, Iulius, Caligula, Nero Cæsares, Corinthiacum Isthnum destiterunt velle perfodere. Ad quam altitudinem Ægæi & Ionij maris alludere mihi videtur Poëta celsus:

Stat.

Theb. 4.

— quisq; obiaceat alto  
Isthmos, & à terris maria inclinata repellit.  
Hinc natum adagium, Isthmum perfodere, pro magno &  
irrito sonatu aliquid moliri.

Nuper etiam Hispani cogitaverunt de incidendo Isthmo Ameri-

Americano inter Panamam & *Nombre de Dios*. Distantia enim illa 7. leucarum inter Oceanum nostrum & mare Pacificum, plus negotij, transportandis mercibus per circuitum 18. leucarum inter montes, facessit, quām reliquum maritimum iter, quo 2300. leucarum navigatione, pervenitur in Peru. Sed Ptolomæi, & Demetrij, ceterorumque exemplo, & periculo inundationis totius Americæ, confiduum abjecerunt.

Tertio: Aqua effusa in pulverem, item nocturni rores in guttarum globulos se colligunt, quorum peculiare centrum est, & diversum à terræ centro. Igitur & mare tale centrum affectat; cum eadem totius & partis sit natura.

Quartò: Numquam fontes per altissimorum etiam montium vertices emicarent, inquit Bodinus, nisi terra immersa esset aquæ altiori. Quia locus unde fons exsilit, non potest excelsior esse primâ aquæ origine.

Quintò: Ideo montes ubique ferè littorum, mari objecti sunt, ut ipsa arcerent, ne terram depressorem obrueret.

Planè tamen verum est, terram eminere supra mare, & utrumque Elementum in unum & singularem globum corrotundari. Ideo enim mari excavatus est alveus, ut veluti in utre cavo, & depresso quām sit terra littoralis, contineretur. Deinde, flumina palam humiliora sunt ripis; igitur & mare littoribus. Tertiò, quò longius mare à terra recederet, eò profundius foret; quia ibi altissimum punctum aquei gibbi esset: quod tamen est compertæ vanitas. Quartò, non par esset elevatio Poli sub eodem parallelo, in littore maris, & alto mari. Major enim cerneretur elevatio è vertice illo aquei tumoris in medio mari. Quintò, mare flumina omnia intra suosalueos repelleret. Sextò, venti gibbum illum maris flatu effunderent & complanarent. Septimò, naves solventes è portu, contra clivum aquæ obliquari oportaret, & magno molimine adscendere: in portum vero, nullo flatu aut æstu secundo, lapsu pronissimo defluerent: quod rident nautæ.

Aliac. lib.  
de sphaer.  
c. 1. q. 5.

Denique demonstrant pulchre, utrumque Elementum in eamdem spharam & centrum conspirare, Archimedes, & Petrus Aliacus Cardinalis & Dominus Cameracensis. Quia experimur guttas pluviae decidere in terram ad angulos retos; ergo petunt directe & affectant terrae centrum. Item, aquam in loca decliviora & terrae centro propinquiora naturaliter defluere cernimus; igitur cacumen tumoris illius marini, gravitate suâ se effundet, tumoremque supprimet, ut diffundat se in globosam & undique æquali intervallo à centro terrae distantem superficiem. Pulcherrime itaque & vertissimum Plinius ait: *Totas omniq; ex parte aquas vergere in centrum, ideoq; non decidere, quoniam in interiora nitantur.* Quod ita formasse artifex Natura credi debet: ut cum terra aride & secca constare per se ac sine humore non posset, nec rursus stare aqua nisi sustinente terrâ, mutuo implexu jungerentur: hac sinus pandente, illâ vero permeante totam intrâ, extrâ, supra, venis ut vinculis discurrentibus, atque etiam in summis iugis erumpente.

Terra enim instar magni animalis est. Lapides & metallæ, ossa ejus sunt; molliores & terrenæ partes, caro; aluei fluminum & subterraneæ cavitates, venæ; aqua per eas discurrens sanguinis speciem habet. Et veluti omnis in corpore sanguis cum fonte jecoris, nexus & continuatione aliqua coniunctus est; ita aquarum omnes venæ mari aut subterraneæ abyssو aliqua parte committuntur. Adeò ut Caspium mare, quod instar laci terrâ undique cingitur, plenitudinem suam latentibus venis in Pontum exonerare credatur.

Iam ergo videndum, quid adversæ opinioni reponamus. Atque in primis Scriptura sacra planè est à nobis, quæ Psal. 23. ait, Deum firmasse terram super aquas. Et Psal. 106. qui descendunt, inquit, *mare in navibus.* Igitur altior est terra, è quâ in mare descendimus. Scripturæ etiam initio producuntur, pro nobis loquuntur. Nam significant Deum excavasse mari alueum, & terram circumjecisse undique eminentiorem; ne si aqua altior foret, terræ se superfunderet. De illis qui ob altitudinem maris, non ausi perfodere isthmos,

mos, dic à Geometris fuisse deceptos. Vel certè, cur cœpto defisterent, aliam habuisse rationem. Ægyptij enim metuerunt aquam Nili ( aiunt quidam apud Plinium ) infuso mari corrumpere. Hispanos verò deterruerunt maximi, durissimi, & omni ferro impenetrabiles illi montes, quos Deus fluctibus utriusque maris opposuit, ut Ios. Acosta narrat oculatus testis. Philostratus autem narrat, Neronem cœpto Corinthi Isthmum perfodiendi destitisse, quod metueret, ne mare in cervices illas Peloponnesi admissum, Æginam Insulam, quæ Peloponneso contra Atticam adiacet, perituram, aut rerum novarum in Imperio Rom. ( quod Ægypti vates prædixerant ) omen esset.

Denique esse potest, ut partes aliquæ terræ mediterraneæ, reverà mari depressoressint, & periclitentur admisso longius Neptuno. Præsertim Ægyptus, Hollandia, Zealandia, quæ marino limo putantur primùm concrevisse, ac induuisse. Vnde etiam manu, & aggere artificiali oportet ibi fluctus submovere; quia Deus olim ibi littus non constituerat, sed quod sub aquis erat, surrexit paullatim intumescente limo, ac tandem excluso mari, in libertatem se vindicavit. Indicant id marinæ conchæ, quæ ex Ægypti mediterraneis effodiuntur.

Ad tertium, Fracastorius & alij passim, docent guttas colligi in globos, quia metuunt inimicam siccitatem, sequē rotundando, unicum quasi punctum ferendum obiiciunt hosti. Deinde partes globi plures æqualiter ab alijs adjuvantur in agendo; cum extremæ omnes pariter recedant à centro. Quæ enim in angulos excurrunt, minus opem centralium sentire possunt. Sed tamen mirum est, cur venter guttae utrimque dependulus, non effluat, eumque sua gravitas non effundat.

Respondebit fortè Poëta vetus & amoenissimus in Persilio Veneris:

*Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos.*

Ita est, quia orbis parvus est, ideo casum sustinet. Hoc est, gravitas ventriculi modice protuberantis, non sat virium

Lib. 6.  
cap. 29.

Philostr.  
in vita  
Apollan.

Fracast.lib.  
de Amipar,  
cap. 9.

habet, ut partium mediarum unionem rumpat. Hinc, quod guttula minor, eò rotundior est; & si plenitudinem ejus augeas, tandem co usque inflabis, donec se disrumpat. Aquæ enim majusculæ non ita se erigunt, ut globentur. Tumidior namque ventris aqualiculus facile prolabitur, & viscera guttæ effundit. Itaque argumentum à gutta ad situam aquæ, nihil concludit; quomodo igitur mare totum hinc corrotundare contendis?

Ad quartum Bodini, infrà de origine fontium respondebimus. Major quippe maris quam terræ, nt putat, altitudo fontes in juga montium non exprimit: alias omnium, unde fontes scaturiunt, montium cavitates aquis redundare oporteret.

Quintum solum ostendit, Deum scopulos, promontorij, montes objecisse fluctibus, quia ventis & tempestate propulsi, terram molliorem, et si altiorem assilientes proluerent, aut detererent paullatim. Aliqua tamen etiam maritima sunt sine littoralibus rupibus; ut totum Belgij latus à freto Britannico ad Daniam; ubi Oceanus æstuarijs accipitur aut arcetur aggeribus. Nec diffiteor, etiam vales multas, & loca quædam humiliora in mediterraneis, superficiem centro terræ propinquiores habere, quam sit maris superficies. Ideo enim Hollandi quandoque Regi Catholico Principi suo minantur, ultimâ desperatione, perfossis aggeribus Neptunum dominum accipere, & incensis navibus, cum aris & focis ad Garamantas & Indos, extra Solis cælique vias, evadere. Nec planè fallitur antiquus ille Thomas

Bricot. lib.  
a. Meteor.

Bricot. Recitat Buridanus, inquit, se audivisse à pluribus Scholaribus de Zelandiâ, quod maxima pars patriæ eorum est multò basior mari: & ideo oportet continuè artificialiter laborare contra mare ad expensas patriæ, faciendo ripam obstantem mari. Et Epistola ad Tonstallum Erasmus: Tota planè Zelandia regio, inquit, duobus passibus est mari humilior in summo æstu. Et nisi aggeres arcerent, marina belua in comedentes atque invicem propinantes encolas irrumperent.

Hinc meritò Belgium Neder-landt & Pays bas, appellatum.

Paucæ

Paucæ tamen regiones tales & tam suppressæ. Ac ecce campi Venetorum, & Ferrarienses, & ora Apuliæ montibus & aggeribus contra Adriam carent, ut testis mihi Scaliger, & tamen inundationum securi sunt.

Sed cur ergo, inquies, nautæ è mari littora se videre depresso, imò facilius in portum relabi, quām in altum provehi, affirmant? Conimbricenses, & passim respondent, littora è longinquo apparere nigriora, quām undas maris, quæ virides sunt aut albidae: nigra vero depresso videntur. Sed quid jam facimus Angliæ littoribus, creatis & candidantibus, quæ Caleto, per 50. millia passuum, cernimus tam humilia, ut quis judicet linteæ esse suspensa ad sepe? Non ergo propter nigredinem, depresso mari videri possunt.

Addendum igitur, distantiam in primis minuere excelsitatem moutium littoralium. Deinde tumor maris interjetus vel totos celat, vel eorum partem. Ob similem telluris & maris curvaturam, nubes ventis infra horizontem propulsas, descendere existimamus, cum tamen agantur in circulum. Ex propinquo autem, littus manifesta & verâ specie, superficie maris altius est; et si sàpè non ipsâ navi: ideoque dicimus descendere, aut exscendere (verbo T. Livio familiari) in littus è navi; sicut contrà, è littore in navem tanquam altiorem, ascendere. *Ascendentes navem Adrumentinam*, ait alicubi S. Lucas.

Verùm, nōane igitur navis è portu evecta scandere perpetuò, leni saltem clivo, per aquæ tumorem videtur? Ita nautæ & ratio Optica affirmant. Et sic etiam appareret, licet maris superficies tota esset complanata. In templorum enim pavimentis planis, & amœnâ istâ viâ Heverlensi prope nostrum hoc Lovanium, ita à Lipsio nostro deprædicata, extrema semper planities altior, & paullatim assurgere appetat molli clivo; quia remotiora altioribus radijs, & cælo vicinioribus cernuntur. Sic ergo majori ratione, summum & ultimum punctum aquei tumoris in mari, ex celissimum judicamus: & eâ re forte mare à littore longe recedens

longè recedens vocamus altum. Igitur ( instabis ) littus quoque elevatus , & per lineam altiorem è longinquo in oculos se ingeret. Dico futurum verum , nisi terra littoralis & mediterranea atrior sit mari.

Aristot.  
probl.  
Sect. 23.

Navis vero in portu onustior appetet , gressumque difficiorem molitur in altum ; quia aqua circa portum minus profunda est, inquit Aristoteles, ideoque pressa oneri magis cedit. Major autem in alto mari profunditas pondus facilius sustinet levatque, ut ventis, æstu , remis expedite buc illuc agi possit. Et ab hac majori profunditate verosimilius mare illud alti , ut & profundus , nomen accepit. Impetum ergo primum in aqua circa littus vadosa difficulter & morosè initio navis capit; concitato verò & per profundum collecto impetu celerius in portum refluit. Huic etiam Articulo laciniam istam alligabo. Etsi olim Gades & Columnas Herculis extrémum Occiduæ terræ & nihil ultrà nisi cælum & mare esse plerique existimarent, aliquam tamen hominum trans Oceanum colentium aut scientiam , aut suspicionem , tempore Apostolorum fuisse, opinari licet ex Epistola B. Clementis , si siquidem adulterina non est, quam ex Oriente allatam Angli An. 1632. typis ediderunt. In ea quippe scribit B. Clemens: Oceanus hominibus impermeabilis , & qui trans ipsum sunt Mundi , ijsdem Domini mandatis gubernantur.

Quorum verborum mentio etiam apud S. Hieronymum, super illud Ad Ephes. 2. *In quibus aliquando ambulasti secundū seculum Mundi huius.* Vbi S. Hieronymus interrogat, *Vtrumnam & aliud seculum sit, quod non pertineat ad Mundū istum, sed ad Mundos alios;* de quibus & Clemens in Epistola suscribit: *Oceanus & Mundi qui trans ipsum sunt?* Quæ citatio Hieronymi magnō mihi argumento est, Epistolam illam Græcam Clementis ab Anglis nuper, ut dixi, vulgatam, genuinam, & eam esse quam olim vidit Hieronymus. In ea autem Clemens alios Mundos vocat immensa terrarum utriusque Indiæ spatia Oceano interfluo divisa. Vnde hodieq; Americam Novum Orbem appellamus. Africam quoq; à freto Herculeo usque ad

ad Indiam Orientalem olim circumnavigatam , nonne Senecæ ista verba dicunt? *Quantum est, quod ab ultimis litoribus Hispanie usque ad Indos jacet?* Paucissimorum dierum spatiū , si navem suus ventus implevit. Deinde Hanno Cathaginis potentia florente, ait Plinius , circumuectus à Gadibus ad finem Arabiae, navigationem eam prodidit scripto: sicut ad extera Europa noscenda missus eodem tempore Himilco. Non ergo verum, quod Vascus Gama Lusitanus , prius omnium mortalium ex Hispania Africæ littora & Promontorium Bonæ spei Anno 1497. prætervectus , ad Indias Orientales pervenerit. Iam qualitates maris explicemus.

## ARTICVLVS III:

*De Salsedine maris.*

**M**ARE à salsedine, salum, & ab amaro, mare appellatum putatur. Saporem enim ex falso & amaro , ut Aristoteles notat, permixtum habet. Non omne porro mare perinde salsum aut amarum est. Mare Galilææ , sive Tiberiadis & Genesareth, patriâ & frequentatione Christi Domini inclytum & nobile, sine sale est. Quanquam non tam mare quam lacus sit. Vnde S. Lucas *stagnum Genesareth* appellat. Haustum quoque Caspij dulcem esse, Alexander Magnus, teste Plinio, prodidit, & M. Varro talem perlatum Pompeio juxta rem gerenti Mithridatico bello: magnitudine ac multitudine haud dubie influentium amnum victo sale. Ab eadem causâ Pontus Euxinus mitescit, eoque animalia ad aquam congregata ad ipsum alvei fundum. Gyllius etiam semel & iterum, dum Byzantijageret , Bosporum Thracium incrustatum vidit. Id autem dulcedinis signum est; cum salissimum illud mare , sit incongelabile. Oceani tamen ultimi Septentrionalis glaciem, estate etiam

Tt solstitiali,

solstitiali, sex pedum crassitudine, nuper invenerunt Hollandi. Sed Zonarum frigentium Oceanus minus salis habet, crescitque sensim amaritudo, quod proprius ad Torridam acceditur.

Sed de caussa marinæ falsedinis magno dissensu rixantur Philosophi.

Empedocles mare falsum dixit, quia terræ sudor sit. Sed licet pro Poëta (rem enim Naturæ carmine Græco Empedocles scripsit, ut Latino Lucretius) id forte satis sit, inquit Aristoteles; non tamen pro Philosopho, qui metaphoras veritatem infuscantes vitare debet. Revera enim mare sudor non est, sicut nec terra animal sudans.

Itaque Aristoteles pensiculans animalium urinas & sudores, item aquam per cineres aut calcem colatam, spiritu multo fervente & adusto, humori crudo se permiscente, falsugine infici, argumentum ad mare traxit. Item humor operculis ollarum adhærescens, per quem sèpè fumus transit, salem resipere solet, inquit Meurerus.

Mare igitur falsum est, mente Aristotelis, duabus de caussis. Et quia terrestres adustæque exhalationes in ipsum recidunt, sequent illi permiscent, & quia Sol summam ejus superficiem continuò populans, tenuissimum & dulcissimum in vapores, relicto crassiori & amarulento, extrahit.

Plut. lib. 8.  
q. 5. Sym-  
pol Vnde Ægyptios olim tam Philosophos fuisse, scribit Plutar- chus, ut nocte semper, antequam Sol exoriens levissimum & optimum vaporaret, aquam è Nilo ad totius diei potum soliti essent haurire. Hinc autem duo sequuntur. Primo, mare autumno, quando scilicet plurimæ exhalationes in mare recidunt (estate enim fervidæ absuntur à Sole, hieme vero vix educuntur) falsissimum esse. Secundo, summum aquæ marinæ tergus amarius esse fundo.

Primum Aristoteles, & ex eo Plinius, asserit. Lemnius tamen, doctus ille & experiens Zelandus, in estate maxime saliri mare dicit. Nec, credo, Aristoteles negaret posse id evenire; quando Sol exhalationes non satis dispergere valet, vel earum major adustio copiam autumnalium am- pliores.

pliorem compensat. Quò enim halitus torridior, & magis ambustus est, eò salsedinem insigneum facit. Nam ideo sub Torrida mare salius.

De secundo, ingentem video inter expertos etiam ( ut videri volunt ) rixam. *Pro comperto veroq; habetur*, inquit, Scaliger, *in fundo maris aquas esse dulces, superficiem non dulcem*: Scalig.  
Exerc. 51.  
*quia dulce est in levi, leve autem à Sole absuntur*. Afferitque deinde, urinatores vitreis vasculis aquam é fundo dulcem extulisse. Sed vide, ut eludit Patricius. *Scaliger*, inquit, *vir fuit sanè acutus, sed qui pro Aristotele contra manifestam veritatem etiam peierare lubens sustinuerit*. Additque id eum ex Aristotele potius, quām ullo experimento didicisse. Et sanè, quare veteres Salaciam Neptuni uxorem in fundo maris habi- S. Aug.  
lib. 7 c. 22.  
Civit.  
tare finxerunt, nisi quia plus ibi salis est quām in super-  
ficie?

Ipse verò Patricius contrariâ experientiâ, mare Creticum in fundo, pari salsugine cum superficie ( demisso per summam malaciam vase, cuius operculum fune in aquis aperiretur ) præsente Philippo Mocenico, invenisse se tradit.

Et profectò si maris fundus dulcis, cur aliquando siti emoriuntur in Oceano ( ut Tantalus in medijs aquis dulcibus ) nautæ? Iam enim modum hauriendi didicerunt à Patricio. Deinde, aqua salsa gravior est, sine dubio, dulci: igitur leges æquilibrij sequitur, defluitque, alterâ super-  
scandente. Sic enim Aristoteles aquam Ponti summam Arist.  
Probl.  
Sect. 25.  
dulcem esse affirmat, falso fundo. Idem in Ascanio lacu videre licet, & Achilleo, fonte Miletensi, apud Athenæum. Sal enim, teste Bodino, gravior & propensior est quām terra, pondusque ejus ad ipsam se habet, ut 106. ad 92. Vnde partem aquæ permixtam sale necesse est in fundum sub-  
fidere. Atque hanc etiam caussam reddit Aristoteles, cur mare juxta littora vadosum, minus salsedinis habeat: quia aqua salsa, tamquam gravior, in gurgites & profunditates à littoribus defluit. Hinc Burdegalenses & Burgundi, ait Bodinus, *qui de salsis fontibus salem ignibus coquunt, prius è* Bodin. lib.  
z. Theat.  
*super-*

Superficie hauriunt aquas dulces aut minùs salsas. Quod ut planius intelligant quantum hauriendum sit, ovum in aquam demittunt crudum. Quod quidem mergitur, nec tamen fundum petet, sed ibi consistit pensile, ubi aqua salior esse incipit. Ex quo satis intelligitur, aquam marinam in fundo quam in superficie magis salam rep̄eriri.

Dum ergo omnia Aristotelis loca expendo, hic videtur ejus intimus sensus. Summum mare, quia magis insolatum & percoctum, esse salius, quamdiu aqua illa in superficie manet. Verū gravitate per salem auctā, statim eani versus fundum delabi; ideoque plurimum ibi futurum salis, nisi perpetua maris agitatio omnia sursum deorsum permisceret. Sicque D. Thomam in 2. d. 14. q. 2. ar. 1. interpres, ubi disertè mari asserit dulcedinem in fundo. Et profectò confessa est satis potentia Solis in gignendo sale, infuso in salinas mari, aquaque in salem excoctā duratāque, ut in Africā, Hispaniā, Galliā, factitari solet. Burdigalenses verò & Burgundi fontes salsos igne, ut ante dixi, ad salem perdunt. Et de vicinis nostris Tacitus, *Indulgentiā numinum*, inquit, illo in amne (Hermunduros Cattosque interfluente) illisq; silvis salem provenire, non ut alias apud gentes eluuie maris arescente undā, sed super ardenter arborum struem fusā, contrarijs inter se elementis, igne atque aquis concretum.

Sol igitur terga maris inurens, salire etiam ipsa potest. Sed quam materiam incoquit? Non enim simplicem aquam coagulare in salem valet. Terrestrem exhalationem, putat Aristoteles. Sed unde illa in mare venit? Certè enim Solis radius ad fundum maris non penetrat, ut inde per medium aquæ profunditatem in superficiem, eam extraheat. Vnde Olaus & vrinatores, quo profundiū in mare descenditur, plus frigoris & horroris inveniri testantur.

Itaque ex Insularum terreno, locisq; mediterraneis educi oportet, ac deinde frigore aëris redens satam defluere moliter, aut cum impetu & vento præcipitari in mare. Verū sic non nisi post multorum annorum tempus potuit mare saliri; cùm tamen plurimi piscium marinorum durare non valeant extra salam.

Dico

Cor. Tacit.  
lib. 13.  
Anal.

Dico igitur Primi: Tertio Mundi die, cum Deus aridam nudavit, mareque alueo suo infudit, addita ei salsedo, ad piscium vitam, & contra aquæ stagnantis putredinem. Factum autem id mixturâ infinitarum pœnè exhalationum, quas Deus è terrâ, alumine, nitro, bitumine, subito elicit & in aquas sparsit. Probatur: quia veluti nudatio terrenæ animantibus terrestribus; ita salsedo maris Salaciæ & filijs ejus, marinis piscibus debebatur, quibus vita invita, aut nulla est extra satem.

Secundo: Exhalationes quas Sol è terrestribus resolvit, sufficere non videntur ad conservandam tam diu, & in pari semper gradu maris salsedinem, contra tot fluviorum diluentium incursum, pluviarumque relabentium infusionem. Probatur: quia magnam partem dulcium vaporum, qui mari extrahuntur, mare recipit. Deinde plurimas exhalationes amittit exonerazione aquarum & fundi sui salissimi in apertas & hiantes terræ venas, quæ ipsum emulgent & in subterraneam abyssum subducunt. Exhalationes vero alias, quæ cum ventis aut aliter in ipsum relabuntur, non videntur esse tam copiosæ; cum terra majorem earum partem recipiat. Deinde, quod caput est, ventosæ exhalationes non sunt tam adustæ, quam cineres, quibus illæ exhalationes comparari solent, ut tam insigni salsedine aquas marinas inficiant. Cur enim alias tot perennes lacus, in quos etiam venti & halitus cadunt, salsedinem non sentirent? Cur Oceanus Septentrionalis medio anno quo nox ei perpetua incubat, perseverat in sapore suo; cum tot nives & flumina in ipsum liquefcant, & tam longa Solis absentiâ terrestres omnes exhalationes algeant? Dices, quia flumina incurrentia sale suo vincit, tamquam fortior, non vincitur.

Bellè enim Seneca: *Quemadmodum tot amnes, tantum supernè* Senec. lib. deiectorum imbrium, tanta medicorum vis fons, non mutant <sup>de provid.</sup> saporem maris, nec remittunt quidem; ita adversarum impetus <sup>cap. 2.</sup> rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, & quidquid evenit, in suum colorem trahit. Magnificè hæc quidem: sed falsum utrumque, & de Sapiente, & de mari. Nullus enim,

ne ipse quidem Zeno, tam firmus & defixus, quem incur-  
rentia mala non inclinent: & si non evertant, contur-  
bant tamen statum. Veluti meracissimum etiam vinum  
diluunt tandem & castrant s̄epiū infusa lymphæ; ita tam  
abundi influentes in mare amnes, saporem ejus remittent,  
nisi largiter aliunde dispendium sarciantur. Licet etenim  
falsugo evincat dulcedinem; non tamen sine pugnâ, in quâ  
falsugo vulnus etiam accipit & detrimentum. Sic etiam ca-  
lor in nobis naturalis alimentum domat & conficit; sed ita  
ut hebetetur etiam ipse paullatim, & debilitetur in sene-  
ctute.

Quidam ergo cernentes, exhalationes supernè in mare  
relabentes non satis falsamenti habere, ad flumina recur-  
runt; dicuntque, limum mari inectum, partem falsedini facere. Sed frustrâ. Si enim limus saliret, lutum etiam apud  
nos esset falsum. Aliud foret, si fundum aut ripas falsas flu-  
mina abluerent; quod pleraque non faciunt. Nam alias ipsa  
salem etiam resiperent.

Hoc etiam merito Aristotelem turbare potest: quod ex-  
halationes è terrâ elevatæ, & vaporibus nubium confusæ,  
aut per eos in supremam regionem se transcribrantes, plu-  
vias, nives, aut grandines nullâ falsedine inficiant. Rarissi-

*Plin. lib. 31 cap. 4.* mum enim est, & in miraculis à Plinio positum, *Ter accidisse in Bosphoro, ut imbre sali deciderent, necarentque frumenta-  
tories & Nili rigua pluvias amara fecisse, magnâ pestilentia Egy-*

*Scal. Exer. pti. Neque hilum proficit Scaliger: A nimis, inquit, sub-  
salsas aquas aliquando fuisse demissas, non solum auditione accepimus,  
sed etiam tum lectione, tum sensu captu compertum habemus. Id  
enim insolens; cum tamen numquam non terreni halitus  
nubibus permisceantur. Et illud salsarum pluviarum mi-  
raculum haud dubiè, non simplicis terræ, sed sulphureæ,  
aluminosæ, aut bituminosæ exhalationis miscelâ factum est;*

*quod etiam Scaliger non diffitetur. Si igitur ordinariæ ex-  
halationes, quæ in vapore nubium extinguntur, & deinde  
in mare recidunt, imbre passim non tingunt ullo sapore;  
vix scio, quo modo tantum in marinas aquas valere possint.*

Dico

Dico ergo Tertiò : Aut sub maris fundo fontes vel montes salis sunt, ut credit Cardanus; aut ( quod magis censeo ) ignes sulphure , nitro , alumine bitumine ibi ardentes hunc saporem , ex falso & amarulento mixtum concinnant. Ignes enim operti terris , ait Seneca , innumerabiles in abscondito ( etiam sub ipso fundo maris ) flagrant & obscuro semper . Halitus autem eorum per mare transpirant, qui in ipso extinti, amarore perfundunt. Probatur : quia mare in falsedine sua retineri usque ad finem Mundi debuit: nulla verò alia caussa certior & plenior potest assignari. Deinde, fontes & lacus falsi, talem falsediniis caussam habent. Ut v. g. Mare Mortuum, quod Scriptura sacra vocat falsissimum, à bitumine ibi copiosissimo saporem illum contraxit; veluti etiam densitatem, similem & majorem marinā, quā pleraque iniecta sustentat, & in superficiem expuit. Galenus enim affirmat , aquam lacus Asphalti , seu Mortui maris, tantò ob inculcatam copiam bituminis, marinā vulgari spissiorem esse, quantò hæc superat fluvialem. Et licet flos bituminis supernatet, non tamen gravior ejus & limosa pars, ut experientissimus Agricola docet. Nam aliàs aquæ Asphalti circa fundum densitatem tam spissam & concretam non haberent. Deinde, alumen & nitrum merguntur, non natant. Hæc autem sub mari & in gurgitibus esse videntur, saporemque suum unà cum bitumine aquis marinis vulgant. Nam nitrum adeò falsum est, ut Ægyptij, qui Nilum in nitrarias immisum Sole in nitrum decoquunt, eo vice salis utantur. Aqua deinde marina pinguis & viscida est, mixturamque bituminis palam refert: uti etiam pleraque purgamenta maris , ut halcyonium & succinum, quod Agricola ostendit ex candido bitumine concreuisse.

In summâ igitur statuamus, bitumen , nitrum , alumen mari subesse. Et hinc etiam caussam promamus tam variae colorationis aquarum. Oceanus enim Flandricus subviridis, Hispanicus cæruleus, & paullò ultrà subrufus est. Bitumen autem omnis pænè coloris reperitur.

Sed in quo præcisè subjecto ponimus falsedinem? Resp.  
In-

Card. lib. 2.  
Subtil.

Senec. l. 2.  
Nat.

Num. 34.  
fol. 12. 15.

In ipso maxime halitu aquis confuso & humectato. Sapor enim ex mixturâ calidi, humidi, & fisci resultat, in harum qualitatum subiecto. Iam verò aqua non tam illas qualitates habet, quām ipsa exhalatio. Hinc lana è navi in mare dependens, exclusâ densiori & salsa exhalatione, dulcem & sincerum succum bibt, exq̄ue eâ ad potum exprimitur. Similiter per tenues vasis cerei meatus aqua potui idonea trans sudat, non secuto, per angustias nimis arctas, sale. Substantia tamen etiam aquæ, et si remissilis, simili sapore tingitur. Recipit enim ab exhalatione, & à se partim, talem primarum qualitatum temperiem, unde resultat illa amaritudo. Tempes tamen citò evanescit absente exhalatione, & unâ sapor.

Verū danda jam aliqua ratio, quæ non in expedito videtur, cur æstate & sub Torridâ mare salius, si salura è fundo venit. Dic, Solem aliquid etiam calore suo huc afferre, tergoque maris bituminosos spiritus aliosque incoquendo, sal sedinem intendere. Hoc enim, ut minimum, vincunt, quæ antè produximus pro Aristotele. Atenim continetur ne etiam formaliter, ut loquimur, sal in marinâ? Ita putat Bodinus: quia Sole vaporante levissimam ejus partem, in salinis sal reliquum manet. Sed facile defendi potest, materia solam salis in aqua marina esse, & inde ipsum, tam cocturâ Solis, quām suppositi fundo ignis, conformari. Materia ista sunt spiritus ardenti bitumine, nitro, alumine, & id genus, exhalantes ac a quâ commixti. Cadavera etiam piscium infinita, vel etiam eorum excrements, aliquid (vel fallor) in salituram conferre valent.

## ARTICVLVS IV.

Ceteræ aquæ marinæ qualitates, & effectus.

**M**are pinguem à bitumine, alijsque succis, ac densam habet aquam. Vnde ardet quodammodo in igne, minusq; extinguendis incendijs idonea est, inquit Aristoteles.

Et

Et consentienter Plutarchus: *Aqua marina aliquid pinguis & uncti, inquit, in se continet, ideoque auget & inflamat ignem, caus nat. vetaturque incendijs supericyi.*

Illudre hujus rei exemplum legere memini in Dione: Lib. 50.  
dum in famosâ illâ pugnâ navali Actiacâ, milites Anto-  
niani situlis parvis, & , ut in trepidatione solet, semiple-  
nis, ignem navibus à Cælarianis inieictum, marinâ restin-  
guere conantur. Magis enim flammabant, & pabulo hōc  
irritabant incendium.

Docet idem Plinus, marinas aquas tardiùs gelari, celeriùs Lib. 2.  
accendi. Cur verò tam contumaciter mare congelascat, non cap. 103.  
est promptum dicere. Movit hanc quæstionem apud Agel- Agell. lib.  
lium Taurus Philosophus, sed non dissolvit. Forte, quia 17. c. 18.  
bituminis & alij calorifici spiritus è fundo per mare diffusi,  
hieme magis fervent, & in eo, ab antiperistasi frigoris su-  
perioris aëris, continentur. Aristoteles enim, Plinius, &  
experientia affirmsat, mare hiberno tempore, quām aestivo,  
magis effervescente. Vel certe, vim occultam glaciationi  
( ut accutum, quod maximè frigidum est, & rāmen incon-  
gelabile ) resistentem habet.

Densitatem marinæ probant onera navium, quæ majora  
& facilius à mari sustentantur, nec immurguntur tam altè.  
Hinc navis quæ sine periculo enavigavit mare, in flumine  
succumbit aliquando & submergitur. Densitatem maris  
Adriatici juxta Venetas probat Agricola. Cūm essem Venetijs, Agrie. lib.  
inquit, forte scapha in triremem impegit, & Monachum excusit. 2. de ortu  
Mare, quia mistum, ut ceteræ salsa, hominem non recepit, sed eo-  
usque fluitavit, dum proximâ scaphâ excepitur.

Scribit etiam Volaterranus, Hieronymum, Florentinum  
quemdam decoctorem, à creditore, colligatis manibus, ex  
Antiatum turri in mare præcipitatim, & totâ nocte aquis  
sustentatum manè in littus evasisse: ac deinde contra cre-  
ditorem facti habuisse quæstionem. Et de Mari Mortuo,  
sive Asphaltite lacu in Iudæa Cor. Tacitus: *Incerte unde,* Tac. lib. 5.  
ait, *superiecta, ut solido feruntur. Feriti imperitique nandi, perin-*  
*de attolluntur. Quod ex densitate aquarum ob miscelam* Histor.  
V u bituminis

bituminis provenit; unde & Asphaltitæ nomen accepit.

Si autem marina densior est fontanâ ac fluminali , graviorem etiam esse necesse est : gravitas enim , densitatis est perpetua comes.

Sed mirum est, quomodo corpus tot diversissimarum rerum miscelâ corruptum , tam claram & digestam servet perspicuitatem. Ex maxima enim profunditate sœpè sese in oculos effert fundus maris , decipitque ignaros nantes, dum ob refractionem , superficie valde admotum credunt. Sed se immergentes ut aliquid ex fundo rapiant, mirantur tantam altitudinem esse , cogunturque non raro reverti, quia halitum tam diu continere, donec eum attingant, non possunt. Ob hanc densitatem & unâ tralucentem perspicuitatem, pulchrè Poëtæ mare , vitreum mar-

Bodin. lib. 2. mor appellant. Et Bodinus: Cùm procul à littore , inquit, Theat. navigamus , navis videtur vitreum lapidem sulcare. Curt. lib. 3. tius etiam vitreas undas Marsyæ repræsentans , Color eius, ait, placido mari similis.

Et hinc ecce novum argumentum mihi succurrit , ut credam, non ab exhalationibus terrestribus adustis , limosis & opacis, existere ejus salzedinem; sed à bituminosis & nitrosois probe digestis, qualibus etiam glaciatur & coalescit succinum.

Mireris etiam , aquam marinam in vase servatam adeò Argent. lib. in arietem Galen. cap. 89. citò putrefcere, cum mare totum non sentiat putredinem. Argenterius id refert in continuam agitationem, quâ se purgat ab excrementis ; ut proinde aér & spiritus inclusus facilem exitum inveniat. Halitus etiam semper recentes & novi è fundo suspirantes multùm arcere valent putredinem.

Cardan. lib. 17. c. 96. Variet. Aërem porrò marinum, & inde Belgicum totum , maxime insalubrem & noxiū existimat Cardanus. Vbi enim se per Belgium peregrinatum dixit , & vidisse moenibus ædibusque formosissimas Brugas; fluminibus, hortis, spatio viarum, ceteroque omni cultu speciosissimum Gandavum; famosum studijs, amoenumque hortis & rute nostrum Lovanium;

vaniū; patriam Vesalij sui, sitū ædibusque jucundam Bruxellam; platearum amplitudine munditieque ac ædificiorum elegantia hilarem Mechliniam; & super omnia, miraculum Orbis, in quo, quidquid opum, inquit, uterque Mundus ultracitrag, Aequinoctiale habet, Antuerpiam: tamen omnibus his in civitatibus, ait, tria cum sint tantum elementa, omnia desunt. Propinquitas enim maris, & montium distantia facit, ut nullibi gentium aqua sit deterior; aer insalubris, ratione sati aperta, cum dulcibus aquis salsa immisceantur; locus vero humilis & Occidenti expositus; calum quoque frigidum atque nubilosum; terra cænum. Neque enim aliter tot alendis hominibus sufficeret. Terra quod minus nullum deesse possit Elementum non facit; cum mare ea in parte supra illam tantum extollatur, ut nisi per ageres, quin efflueret, obstatetur, iam tota sub undis periret.

Quo rerum devenimus miseri Belgæ, qui etiam extra Elementa jam vivimus? Terra nostra, non terra, sed cœnum; aqua, non aqua, sed muria & falsamentum; aer, non aer, sed nebula & vapor; ignis, minimè ignis, sed glacies & frigus merum. Hoc enim, credo, Elementum est, quod palam deesse nobis affirmat Cardanus.

Verum nescio quid avorum nostrorum ævo hic videris Cardane; certè hoc solum nostrū tale jam est, ut in eo Germani, Poloni, Galli, Hispani, & Itali etiam tui salubritatem & delicias inveniant. Terra à se & industriâ colonorum tam ferax, ut gravissimas bellorum civilium impensas diutius toleraverit, quam ulla Gallia, ulla possit Italia. Ridiculum est quod ait de aquis: omnium nationum deterrimas esse. Non vidit, credo, tot fontibus irriguam Bruxellam, non Spadanos, & toto illo Ducatu Limburgensi ubique ferè rupium colliumque emicantes, saluberrimi haustus, quod homines etiam ex Italiam & omni ferè Europâ affluunt, latices. Verum tamen est, communem aquam duriorem, nec adeò Sole percoctam, ut in Italiam: sed ideo nec crudam bibimus, sed ignibus remollitam in cerevisiam. De aere etiam non valde conquerimur. Hieme asperior, quam in Italiam est, sed aestate longè tolerantior. Circalittora Oceani

folium (& id tantum hominibus mediterraneis, & in assuetatis) noxius. Nam vapore multo crassescit, & etiam aspergine salis inficitur. Ut enim cantillat Lucretius,

Lib. 6.

*Denique in os salsi venit humor sapè saporis,  
Cum mare versamur propter.*

De igne nostro, ad soles æstivos, silvas, cespites, & carbones Leodienses, Montenses appello. Sed mittamus Cardanum. Si tamen etiam Italum testem ei raptim opponamus. Eminentissimus Cardinalis Bentivoglius est, Epistolâ ad Rev.<sup>mum</sup> D. Modiglianam Episcopam Burgensem, cum Anno 1607. Nuntius Apostolicus pervenisset in Belgium:

Guid. Ben-  
tivogl.

*O quanto, ait, mi piace Bruxelles, è questo sito! Giace in grempo d'un piano al salir d'un colle. E da quella parte, que si nà alzando io feci la mia entrata. E non hò mai veduto scena più bella. Il paese all'intorno è amenissimo, & hora di mezzo Agosto ride la primavera n'e prati.*

Bodin, lib.  
2. Theat.

Inter effectus maris, insignis est illa nausea, quam insolentes navigationis vomunt, & in ventriculum demissa remittuntur. Id autem partim à marino halitu tepente venit (unde etiam aqua tepida hausta, provocat vomitum) partim agitatione. Et hinc omnes etiam nautæ, in magna & jactabundâ tempestate stomachum non continent. Bodinus tamen tam durum se fuisse scribit, ut nihil umquam se moverit, etiamsi septies in Oceano, & medijs turbinibus, ubi alij sanguinem etiam vomebant, navigaret. Credo, cum in Angliam procatum, pro Principe suo Hercule Duce Alenzonio, ad Reginam Elizabetham itabat, quando pro Bodino solebat eum Regina Magistrum Ioannem Badinum appellare. Iactationem quoque ad vomitum conferre, inde potest ostendi; quicd debiliores feminarum ventruli, agitatione etiam currus, non raro se exonerent.

Ob halitum etiam marinorum calorem siccitatemque evenit, inquit Aristoteles, ut in mari navigantes, edaciores fiant. Tam enim vomitu, quam propriâ illâ suâ qualitate, cibi appetentiam exacuant. Marina navigatio phtisicis quoque prodesse creditur, Vnde Romani ab Alexandrina

navi-

navigatione remedium huic malo petebant. *Opus est phtisicis,*  
 ait Latinus Hippocrates, *si vires patientur, longa navigatione,* Cor. Cels.  
*celi mutatione, sic ut densius quam id est ex quo discedit ager, pe-*  
*tatur. Ideoq; apriſimè Alexandriam ex Italia itur.* lib. 3. c. 224

Non tam tamen propter Alexandriam, quam propter  
 navigationis spatium, iter illud instituebatur. *Principalis navi-*  
*gandi usus phtisi affectis,* ait Plinius, *aut sanguinem egerentibus;* Plin. lib. 31  
*sicut proximè Anneum Gallionem (Senecæ fratrem, cuius men-* cap. 6.  
*tio apud S-Lucam Act. 18.) fecisse post Consulatum meminimus.*  
*Neque enim Aegyptus propter se petitur, sed propter longinquita-*  
*tem navigandi.*

Aqua etiam marina contra mortuum rabidi canis, ait  
 Lemnius, bibitur. Item, ad purganda corpora, bilemque  
 atram, aut sanguinem concretum, ab alterutram parte red-  
 dendum, ut docet Plinius. Quidam etiam in quartanis de- Plin. lib. 32  
 derunt. Ut autem sine injuriâ stomachi sumi possit, afferva- cap. 6.  
 ri, donec vetustate deponat virus, præcipiunt. Aliqui te-  
 pefactam clysteribus infundunt, torminaque & cholera-  
 sic sedant. Difficilius etiam refrigerescunt marinâ calefacti.  
 Lendes & tetra capitâ animalia, pecorumque scabies, hac  
 curantur, liventia ad colorem reducuntur, ferroque celer-  
 rime rubigo exteritur. Et ne tam amplio & salutari remedio  
 mediterranea destituerentur, inventa est ratio, ait Plinius, Plin. ibid.  
 quâ sibi quisque aquam maris faceret. Sextarius enim salis  
 cum quatuor aquæ sextarijs, salissimi maris vim & natu-  
 ram implet. Scio etiam, qui in periculo & accessione pestis,  
 hujus marinæ artificialis haustu malum depulerint.

Inter effectus etiam maris, halcyoneum, è spumis aut  
 lanugine quadam marinâ concretum, item absinthium,  
 quod aliqui seriphium vocant, aliaque infinita ejus excre-  
 menta, numerari debent.

Mari etiam passim tribuitur vis quædam se purgandi,  
 quâ cadavera & res naufragas in littus eructat. *Mare cadave- Senec. lib.*  
*ra, stramentaq; ait Seneca, & naufragiorum reliquij similia ex 3. c. 26;*  
*intimo trahit; nec tantum tempestate fluctuque, sed tranquillum* Nat.  
*quoque placidumque purgatur. Hinc Exodi 14. Israëlitæ statim*

à submersione Ægyptiorum , cadavera eorum viderunt in littore maris Rubri. An autem in mari virtus expultrix sit, ut in magnete quodam qui ferrum non trahit , sed respuit, dubitari potest. Non videtur tamen : quia sine ullo discrimine omnia non nimis gravia, ut tabulas etiam navium , & merces demersas, expuit. Æstus igitur tantum, fluctusque, naufraga versando propulsandoque , tandem ad littus appellit, ibique destituit : quia majori impetu unda in littus venit , quam redeat ; ideoque sæpè revehere non valet quod depositum. Hinc etiam altissimo mari , longissimeque à littoribus depressa revomi non facile quisquam videt. Nec refert , quod Seneca paullò antè narravit , mare tranquillum quoque placidumq; purgari. Numquam enim tantum malaciā sternitur , quin succutiatur , & undabundum littora alludat, aut flagellet. Itaque si legeris , inquit alibi Seneca, Cum placidum ventis staret mare , scito illud non stare, sed succuti leviter ; & dici tranquillum, quia nec hoc nec illò impetum capiat.

Senec. lib.  
g. c. i. Nat.  
Virgil.

Arist.  
Probl.  
Sect. 38.

Bodin. lib.  
2. Theat.

Eadem est caussa , cur flumen aut mare exundans littora & vicina oblitmet : quia , inquam , impetu limum eructat, quem refluxus imbecillior abluere , & reducere in alueum non potest. Quærit quoque Aristoteles , cur pescatores & purpurarij , ac universim omnes qui rem exercent marinam rufo sint capillo? Et caussam penes calorem & siccitatem marini & falsi halitus ponere videtur. Bodinus tamen non à sale, sed à motu tempore illum concipi credit. In locis aquaticis ac maritimis , ait, aer tepidior est , sive à calore cœlesti , sive ab aquis vento jactatis: quo motu vehementer incalescant , & calefactæ calentes exhalant vapores. Quod cum in Angliam venisset , satis aperte compiri , hanc unam esse caussam , quamobrem regio illa ad Aquilonem posita , temperatior sit à frigoribus quam Gallia. Vbi Iupiter serotinus ac matutinus senibus & agrotantibus exitialis est. Nusquam tamen in Anglia : in qua etiam greges & armenta sub dio pariunt ac stabulantur. Sed licet motus , undarum conficitu , aquam tenuare & tempore adjuvare possit , præcipua tamen , ut existimo , vis calefactandi & siccandi in marino & falso spiritu est.

Non

Non omnibus etiam ejusdem maris tractibus qualitatem unam inesse, sed profundi aut littorum quæ lavat varie- rate, genium etiam variari, ex piscium examinibus, quæ certis maris regionibus conglomerantur, intelligi potest. Sic haleces à Zelandis nostris non ubivis locorum, sed cer- to inter Angliam & Zelandiam tractu, ubi statuto anni tempore cœtus & comitia sua agunt, capi dicuntur.

## ARTICVLVS V.

*De motu æquationis maris.*

**M**aris motus, alias spontaneus & à natura est, alias à vi externâ impellente, aut trahente. A naturâ est motus deorsum, quo propriâ gravitate ad loca humiliora & viciniora centro defluit. Talis est motus, quo secundùm Aristotelem & omnes pænè etiam recentiores ( præter unum Valesium ) mare prono alueo à Septemtrione ad Meridiem delabitur. Vocaturque hic motus, æquationis, Vales. lib; Philos. fæc. c. 50. quia eo fine fit, ut superficies aquæ undique coæquetur, & pari intervallo distet à centro gravitatis.

Motus ab externo movente tres solent enumerari. Motus raptus ab Ortu in Occatum; libratio à littore uno in adversum littus; & æstus, sive reciprocatio illa quotidiana, con- gruens periodis Lunæ. Fluctuatio enim quâ hac illâc ven- tis sine lege impellitur, insuper haberi & neglegi solet.

De æquatione etiam, est lis & controversia. Valesius pu-  
tat, mare non defluere in Austrum; sed ideo prout in illam partem à Septemtrione navigari, quia venti Borea- les, frigidi & densi, facilius in aërem fervidum & tenuem Zonæ torridæ inclinant, illacque effluunt, quam Austri Septemtrionis spissum & resistenter aëra perterebrent. Hinc ergo fiet, ut naves è Flandriâ secundo maris defluxu in Hispanias labi videantur; quia Boream frequentius à puppi adspirantem habent.

Sed non longè evadit Valesius. Reprehendi statim potest,  
& re-

& retrahi in medium difficultatem. Nam non tantum secundo statu, sed etiam adverso, mare in Meridiem inclinat, æstusque in illam partem faciliores sunt & concitatores. Ratio est, quia fundus maris in Septentrione altior est, ut

Arist. lib. 2. ego Aristotelem interpretor, quidquid Vicomercatus re-  
c. 3. Meter. nitatur. Strato enim apud Strabonem & alij testantur, plu-  
Strab. lib. 2 rimum arenæ in Mæotim & Pontum Euxinum à fluminib-  
bus invehī; ideoque fundum vadosum, nec aquam posse  
capere quæ influit, sed deorsum in Propontidem & Ægæum  
refundere. Hinc Aristoteles Mediterraneum affirmat pro-  
fundius Ægeo & Ponto; immò Oceano, qui extra Herculis co-  
lumnas est. Quasi limus ut ipse credit, per fretum Herculeum  
ei inventus fundum ejus elevet, gurgitesque omnes repletat.

Verumtamen res non ita habet. Oceanus enim Atlan-  
ticus, & circa Insulas Flandricas, altissimus, ac fundi pluri-  
fariā bolide inexplorabilis est. Incertum etiam est, quod  
Strato contendit: Mæotim fluminibus tumentem effregisse  
Bosphorum Cimmerium, & miscuisse se Ponto: Pontum  
deinde, viâ vi etiam factâ, per Bosphorum Thracium in  
Propontidem, ac tandem effractis Hellesponti angustijs,  
Ægæum irrupisse. Lapidei enim illi, & rupibus incisi ca-  
nales, satis affirmant, se artifice Dei manu, & cum Mundo  
ipso factos esse. Vti & de freto Herculeo verisimile. Nec  
enim auscultandum Eratostheni, qui Troiano bello Hispaniam  
ab Africâ divulsam fuisse negat: cùm anté Hercules  
illâc ad Hesperidum, in Oceano Atlantico, Insulas enavi-  
gaverit; & probabile sit, Menelaum longâ illâ octo anno-  
rum peregrinatione, educâtà Mediterraneo in Oceanum  
classe, Africam circumnavigasse.

Credunt autem quidam, fundum maris Septentriona-  
lem, fluminum se invehentium limo & arenis attolli. Scri-  
bit enim Polybius, ab hac caussâ in Mæoti suo tempore  
Septem solas aquæ ulnas superfuisse.

Sed caussa ista dubia est. Quia Petrus Gyllius, diligens  
litorum illorum inspecto & scriptor, eamdem hodie se-  
ptem ulnarum profunditatem perseverare ait. Nisi affirme-  
mus,

mus, arenas, quas postea flumina in Mæotim exoneraverunt, in Euxinum & Propontidem perpetuò defluxisse.

Si autem nolis fundum aluei Septemtrionalis paullò elatiorem, & clementi devexitate in Meridiem & Zonam Torridam declivem esse, caussa defluxus aquæ in Meridiem erit multitudo fluminum, & nivium ceterarumque aquarum, quæ uberioris in Zonis frigidis proveniunt, coactæ illius rigore cœli.

Addunt aliqui, Solem sub Torridâ Oceanum sic depopulari, ut lacunam in eo faciat, aquis ab utroque Polo defluentibus supplendam, ut æqualiter centro Mundi circumfundatur superficies maris.

Admirationem etiam meretur, quod narrat Bartholinus Philosophus & Medicus Danus: Balthicum mare, cui Oceanus inter Daniam & Norvegiam se infundit, non solum à Septemtrione in Austrum, sed vice versa aliquando ab Austro in Septemtrionem defluere. Vnde nautæ nostrates, inquit, tempus unum *Nordenwasser*, alterum *Sudenwasser* appellant. Id autem fieri ideo existimat; quia Oceanus nunc à Septemtrione in Meridiem, fluminibus Noruegiæ, Finmarkiæ, Islandiæ, Gronlandiæ, &c. maximis & rapidissimis incitatus, Balthicum influit; nunc contrâ Balthicum infinitis à Germaniâ, Livoniâ, Lithuania, Oſiliâ, Churlandiâ, Finlandiâ, &c. aquis auctum & intumescens, postquam aliquamdiu in æquilibrio, sustentato Oceani fluxu, dubium pependit, tandem se superfundit, & totâ mole viator Oceanum in alueum suum retrò agit. Quo tempore etiam necesse est, totum Oceanum Deucalioneum, & Flandricum (et si in tantâ vastitate id forte non sentiatur) paullò incitatius delabi in Meridiem. Aquæ enim Balthicæ Oceanō confusæ, molem exaggerant, quam succumbere oportet & defluere à Septemtrione.

Itaque hîc vides, non tantum mare à Mæotide in Mediterraneum, à Septemtrione in Austrum devolui, sed etiam Oceanum Deucalioneum abire simili motu in Torridam: caussamque unam eamdemque præcipuam esse,

Barthol.  
lib. 4. c. 8;  
Enchirid.

In cursus fluminum à Septemtrione, alueique ab eo Mundi  
axe devexitatem. Hanc enim etiam inter caussas retulit  
Bartholinus illarum Regionum incola: ridetque Telesum,  
qui odio Aristotelis affirmat, *Terram Borealem nusquam excel-  
sam, nullis distinctam montibus, universamq; humillimam.*

## ARTICVLVS VI:

*De Libratiōne, & raptu maris.*

**L**ibratiōnem vocant motum, quo mare perpetuò à lit-  
tore uno in oppositum alternis vacillat. Est ergo ve-  
lū oscillatio quædam, similis ferè illi, quā lances in libra  
se attollunt deprimuntque. Caussa ejus, incurrentia utrim-  
que flumina sunt, venti, & repulsus ab uno littore in ad-  
versum. Vnde tantum in fretis & angustijs hæc libratio  
deprehenditur. Omnes etiam qui in Insulis & maritimis  
habitant, fatentur, in summâ etiam malaciâ, nulloque vel  
tenuissimo flatu, mare tamen perpetuò noctu diuque suc-  
cuti, assilire molliter & flagellare littora.

Caussa non est in promptu. An fortasse, quia unâ parte  
maris motâ, ceteras omnes, etiam in longinquio, vibrari &  
sollicitari necesse est? Ita enim docet Philosophus. Non  
enim est aqua similis aëri, qui minimo ferè impulsu con-  
trahi & densari potest. Aqua enim, quia aëre crassior &  
densior, magis etiam condensationi contumax est: unde  
pars una fluctu impulsa, aliam deinde loco summovet, &  
hæc iterum consequentem, & ita catenatim: sicut unâ par-  
te baculi motâ & cedente loco, alteram etiam partem loco  
suo exire est necesse. Itaque si mare juxta Hispaniæ littus  
ventis & tempestate jactetur, libratio & vibratio quædam  
usque in Angliam, undâ pellente undam, pervenire potest,  
etiamsi nullus tempestatis sensus hic usque pertingat.

De motu raptu ab Ortu in Occasum, licet Card. Con-  
tarenus, & plerique euna fortiter afferant, est tamen quod  
dubitem, siquidem de Oceani motu sit quæstio. Nam  
palam

Arist.  
Probl.  
Sect. 23.

palam est, Miditerraneum ab Ortu versus fretum Herculeum in Occasum ferri. Colligunt id nautæ celeriori navigatione. Ocyus enim, secundo & æquè valente flatu, Alexandriæ in Hispaniam redditur, quam ex Hispaniâ eò navigetur. Caussa est continuus, & instar fluminei agminis, Mæotidis, Euxini, Propontidis, in Ægæum & Mediterraneum defluxus, ut Gyllius testis oculatus notavit. Moles igitur ista aquarum in littora Africæ primùm decumbit; & inde repulsa, quia directa sursum & adversus fluxum redire non valet, obliquè versus Adriaticum, Siciliam, Sardiniam, Italiam, Gallias, & Hispanias se in Occasum retorquet. Vnde etiam necesse fuit dari mari Mediterraneo exitum in Oceanum perfreti Herculei angustias, ne aquæ à Septemtrione affluentes, Africæ, aut Europæ littus submergerent. Pars tamen aquarum freto non evolvitur; sed à littoribus Hispaniæ, iterum ad Africam reflexitur. Atque ita magna maris Mediterranei pars, quasi circulatim ab Ortu per Septemtrionem in Occasum, & deinde in Meridiem contorquetur. Similemque in Adriâ circulum est cernere. Ascendit enim per littora Illyrici & Dalmatiæ Venetas usque, ac deinde in Italiam recumbit, & secundum Apuliæ littora refluit in Ortum.

Simili motu credunt plurimi, Oceanum Indicum raptari continuè ab Ortu ad Occasum; putantque raptu primi mobilis id fieri. Ideo enim motum raptus appellavi.

Sed unde hic motus intelligitur? Quia, inquit, ex Hispaniâ in Occidentem & Americam navigantes, intra mensum unicum, cursum absolvunt; cum tamen tribus aut quatuor, contra renisum aquarum, vix in Hispaniam redire valeant. Sic Lusitani superato Bonæ spei Promontorio, difficulter & morosè in Moluccas & Ortum eluctantur; cum tamen facili & præcipiti lapsu revertantur in Occidentem. Vnde Scaliger: Sub octavo parallelo, inquit, Scal. Exerc. Australi iacet Insula Madagascar, cum ingens, tum opulenta. Ad 5<sup>o</sup>. quam 20. diebus circiter ex Meabar Indie perveniunt mercatores. Atque ij aquali ventorum vi, redditum comparare nequeunt celerio-

*rem, quam qui tribus mensibus perficiatur.* Igitur Oceanus ab Ortu in Occasum, in Zonā Torridā usque ad Tropicos, ubi raptus primi mobilis est concitior, circuire terram cum cælo videtur.

Verū neque motum illum admitto, ne que si faciam, placet talis caussa. Cælum enim tantam aquarum molem permovere non potest, licet totum aërem à Luna ad superficiem maris raptaret secum in orbem. Molle enim & fluxum aëris corpus aquarum superficiem molli & lubrico lapsu destringeret, non ei iniiceret manus, & traheret in sequelam. Adde iam, raptum primi mobilis non pervenire (quod Lib. 1. ostendimus) ad nubes & medium aëris regionem. Itaque ad influentiam occultam cæli aut siderum Torridæ impendentium, quæ Oceanum proximè, non moto & sollicitato aëre intermedio, in orbem deducat, id est ad nugas, erit recurrentum. Tolerabile namque id esset, si aliqua certa cæli pars, aut stella ducem se illi motui præberet; veluti Luna manifestè marinos æstus gubernat. Sed nihil simile appetit. Igitur vel totum cæli inter duos Tropicos spatium, influentiam istam possidet, vel ipsa in cerebro tantum imaginantium fingitur; quod existimamus.

Sed nec etiam Oceani perpetuum ab Ortu in Occasum sub Torridā, aut alibi, fluxum damus. Nec facilioris ab Ortu quam Occasu navigationis caussa, illa est, quam Columbus, & primi Indiarum repertores confixerunt, Oceani in Occidentem raptus: sed Subsolanorum ibi toto anno molles & vix umquam interpolati fatus. Hoc enim à posterioribus nautis, curæ hujus & veritatis diligentioribus, didicimus. Idem disertè affirmat Ios. Acosta, colligoque manifestè ex Diario nautico navigationis Hollandorum, in Iavas & Orientem An. 1595.

Hinc classis Indica, cum ex Hispanijs in Americam navigat, rectissimo cursu ad Insulas Canarias sive Fortunatas, ut brevissimâ lineâ Tropicum Cancri & in Torridam penetret, contendit: quia statim in ipso primo limine eam excipiunt adspirantes ab Ortu Subsolani, qui continuo &

Acosta lib.  
3. Histor.  
Indic.

lenissi-

lenissimo flatu in Occasum & Americam exsibilant. Vnde vastissimum illud Oceani inter Canarias & Insulam S. Dominici æquor, à placiditate, *Golfo de las Damas*, *Mare Dominicarum* appellitant. Cùm verò eadem classis repetit Hispaniam, viam init planè contrariam. Nam quamdiu potest, in Occidentem versus Novam Hispaniam, ut tantisper saltem beneficio Subsolanorum fruatur, vela obliquat, exitque demum Torridam & Tropicum Cancri juxta Havnam. Ibi statim à 27. gradu eleuationis Poli ad 37. regnant & afflant ab Occasu Favonij, qui vela in Hispaniam implet. Circa verò 40. elevationis gradum, omnes venti suis <sup>Acosta lib. 3</sup> vicibus spirant, tantà inconstantiâ in mari, quàm in terrâ, <sup>c. 7. Histor.</sup> Indic. ut idem Iosephus Acosta docet.

Hinc liquet, frustrâ se fatigare Keplerum, ut quotidiani Kepler, lib. num ab Occidente in Orientem terræ motum ex Oceani <sup>1. Epitom.</sup> contrario ab Oriente in Occidentem raptu adstruat. *Ex Oceano Eo in Oceanum Indicum fluxus*, inquit, *esse perhibetur perpetuus, quavis sagittâ celerior*. Egregiâ in primis hyperbole: ut celeritatem istam tantam, à terræ circa centrum suum rapidissimâ vertigine effici, facilius persuadeat. Imaginatur autem illius Oceani undas ideo in Occasum refugere, quia terra rotando se versus Orientem, se ei sub lucit. Sed jam ostendimus facilitatem illam navigandi ab Ortu in Occasum, non esse à motu aquæ, sed à ventis. Deinde, cur alia maria, cur non etiam omnes lacus restuunt in Occasum, cùm terra Copernicana fundum suum etiam ijs subducatur, & abscurrendo versus Ortum, lubricitatem aquarum non pari passu secum ducat, sed retrò versus Occasum destituat?

Verùm quæ caussa esse potest, quæ Subsolanos in Oceano intra Torridam adeò pertinaces facit? Acosta credit flatu istos non exhalationes ventosâs, sed aërem insimæ regionis raptu cæli circumvectatum esse. Probari potest; quia natura ventorum instabilis est, nec tam diu ( saltem non circa totum annum ) contumax in eamdem partem. Deinde, Auctor idem narrat, in locis mediterraneis Torridæ variare flatus, nec eamdem ibi esse Subsolanorum con-

stantiam, quæ est in mari. Quod accedit, inquit, propter montes, quibus aër infimæ regionis circumactus occurrit. Repellitur enim ab ijs versus Ortum, aut hanc illac dispergitur; quod in patenti Oceano non usu venit, ubi montes nulli.

Assentiri tamen nequeo, raptum cæli ad terram usque pervenire. Aër enim infimæ regionis, etiam extra Tropicos, et si paullò fortasse legnius, sentiret hunc motum: nubesque (nullo saltē insigni vento flante) semper raptu illo agi cerneremus in Occasum. Deinde, cum Subsolani Torridæ, ejus confessione, similes sint auræ tenuis & moliter adspirantis, caussa investiganda erit, cur exhalationibus ventosis abacti, non aliquando retrò in Ortum agantur, cum tam facili obnisu vinci & repellere possint. In cuius caussæ inventione perinde erit laborandum, atque in reperiendâ aliâ caussâ, diversâ à cælesti motu, quæ Subsolano. rum exhalationes tantâ pertinaciâ fundit ab Ortu in Occa- sum.

Itaque Subsolani isti, legitimi venti sunt, non aër infimæ regionis à cælo actus in orbem. Caussa eorum obscura est, ejusque inventio à situ & qualitate earum Regionum pendet. Veluti etiam caussa Favoniorum, qui toto ferè etiam anno (et si paullò frequentius, quam Subsolani Torridæ, interpellentur) à 27. elevationis Poli gradu ad 37. perflant. Ut tamen aliquid dicam, antequam ad scientiam locorum & caussæ, tam longè extra Europam peregrinatum vadam, venit in mentem rationis quam Problem. Se&t. 26. reddit Aristoteles, cur Subsolani sub auroram & manè soleant adspirare. Quia videlicet aërem infimum nocturno rore gravidum Sol primis radijs rarefacere, & ante se exstimulare versus Occasum consuevit. Deinde, terra etiam rorida, & recenti Sole icta, vaporem & exhalationem mixtim in altum respirat; quæ in mediâ regione statim refrigescens, in ventos versus Occidentem defluit, quia aër infimæ regionis ante Solem fugiens, in illam etiam partem, dubiam & pendulam exhalationem deducit.

Eam-

Eamdem caussam solennibus illis Torridæ Subsolanis reddamus. In primis enim, quia noctes ibi pares toto anno aut suppare diebus, largissimo rore diffluunt, ut inter omnes Scriptores constat. Nam sat longum tempus, quo refrigerant recidantque, habent; plurimamque eorum materiam è terrâ marique Sol diurnus tam præsenti potentiæ radio elicit. Igitur manè aër in Occidentem, Solis rarefactione fusus, teneros & rorantes Subsolanos, ex halitu & rore natos, & ex alto refluente in Occasum secum deflectit, & abducit. Deinde, fatus in eamdem partem toto die continuantur, circumducunturque quodammodo à Sole ab Ortu ad Occasum; quia una exhalatio alteri præit, eamque ducitat. Sol præterea aërem versus Occidentem continuò rarefaciendo facit ut faciliorem & magis præcipitem illac delapsum exhalatio reperiatur. Huc etiam valde juvat, quod raro turbines ( nisi in mediterraneis, aut circa Oceani littora ) & magnæ tempestates Zonam torridam incurvant, quæ Subsolanos illos lenes in Orientum refundant, aut ad Polos declinent. Ratio videtur, quod, & à Sole magna pars terrestris exhalationis nimis attenuetur, quam ut in flatu recidere possit, & id quod ejus reliquum est, circa Insulas & terram, unde extracta est, perflet, aut saltem non magnis, sed lassatis viribus à terra in altum mare perveniat.

Vnde præcipua materia Subsolanorum Torridæ, tenuis & marina exhalatio est, mixta marino itidem vaporis; partim etiam ipse aër calore Solis sparsus & effusus abactusq; ante eum in Occidentem. Hæ vero caussæ omnes simul & universæ, extra illam Zonam, locum ( si perpendas ) non reperient; uti nec in mediterraneis ipsius Torridæ, ubi & montes flatibus obstant, & turbidæ è locis terrestribus exhalationes aërem infestant.

Sed ecce hoc etiam me retrahit abeuntem, dum cogito. Nam non diurni tantum, sed etiam nocturni sunt fatus isti Subsolanorum. Scribit enim Ios. Acosta navem Lymensem Acosta lib. 3. c. 4. 8. Anno 1580. spatio duorum mensium, Februarij & Martij, quando —

quando Sol pænè imminebat vertici ( Lyma namque urbs capitalis Peruviæ 12. gradibus in Austrum declinat ab Äquatore ) confecisse sub eodem semper parallelo leucas bis mille septingentas in Occidentem , eodem semper clementi & gelido die nocteque Subsolano à puppi adspirante: nec ullam illo in toto vastissimo maris Pacifici traje&tu sensisse tempestatem aut procellam . Pari felicitate & vento Aluarus Mandana ex Peru etiam Insulas Salomonis, sub uno parallelo , spatum mille circiter leucarum decucurrit . Quomodo ergo Subsolani , quos Sol per diem ab Ortu ad Occasum circumducit , etiam per noctem spirant? Nescio, aut hoc est : Quia nocturni fatus diurnorum viam sequuntur . Versus Occasum enim aër vesperi ob propinquitatem cadentis Solis rarer est , quam retro ad Orientem . Igitur halitus in regione superiori refrigeratus , & ab aëre occiduo laxiori & facile cedenti ad defluendum illac invitatur , & ab aëre Orientali frigidiore , atque à Sole longius remoto , seque continuò addensante , eodem etiam exprimitur .

Sed contraho vela , & in nodum colligo quod jam diu sparsi . Nullum scilicet esse Oceani raptum ab Ortu in Occasum , & in ventis Subsolanis , non in ipsâ aquâ esse fluxum , & navigandi facilitatem versus Occasum .

Sed nōnne tamen Scaliger antè mihi citatus disertè affirmat , *equali ventorum virreditum in Orientem esse difficiliorem & tardioreum?* Facit . Sed deponere quidlibet audeam , id non ab ullâ nautarum experientiâ , sed à seipso accepisse ; quia necesse id esse videbat , ad concinnandum Oceano illum raptum . Nam alias venti , nunc adversi & reflantes , nunc secundi & ferentes , efficere poterant illam tarditatis aut celeritatis diversitatem .

## ARTICVLVS VII.

*Historia marini æstus.*

**O**ceani reciprocos æstus — & qua vi maria alta  
tumescant

Virgil.

*Obijcibus ruptis, sursusq; in se ipsa residant,*

S. Iren. lib.  
2. cap. 47.

Explicari ab homine non posse existimat S. Irenæus. Et sanè hoc unum ex abditissimis Naturæ arcanum esse ex eo patet, quòd Aristotelem ita obstupefecerit, ut in tot de mari Problematibus, & Meteororum libris, ne quidem ejus facere sustinuerit mentionem. Tædio enim difficultatis abstinuisse, Vicomercatus & Auctores passim credunt. Nam nescivisse ( quod quidam autumant ) an æstus ille reciprocus mare sollicitaret, cras ( ut cum M. Varrone loquar ) fortasse credam, hodie nihil. Nimis curiosus & omniscius fuit, ut hoc propemodùm unum, & quidem tam insigne, eum lateret. Non adeò procul mari Illyrico Athenæ fuerunt; & classem Alexandri Oceani Indici æstu periclitatam audivit ex illis castris, unde ei pleraque scribebantur, quæ in historiam animalium consarcinavit. Deinde Plutarchus, eum in Solem retulisse æstum scribit.

Primùm autem historiam æstūs, quām verissimē poterit, ut inde nobis certior sit causæ conjectura, dabiimus.

Inprimis, Mæotis, Pontus Euxinus, Propontis, Ægæum, Caspium, nullo, qui sentiri possit, æstu reciprocantur. Hæc olim confessa, hodierno experimento comprobantur. Mæotis enim in Pontum manifesto, Caspium occulto, ut putant, meatu, Pontus in Propontidem & Ægæum, more fluminum delabuntur, numquam sursum refluo mari. Mediterraneum æstuare multi negant. *Interiora enim maria terrus clauduntur, ut portu, ait Plinius. Quasi angustiae istæ* Plin. lib. 2.  
cap. 97. *Mediterranei comprimant æstum, qui facilius & evidenter ad sensum in illa exterioris Oceani laxitate se explicat.* Probat tamen media spatia Mediterranei æstuare, et si nullo

Yy aut

aut minimo circa littora Italiae sensu; quia plura exempla sunt, inquit, in tranquillo mari, nulloq; velorum impulsu, tertio die ex Italia proverborum Uticam (Africæ civitas est) æstu fervente.

Fretum etiam Siculum bis singulo quoque die naturali,  
 Strab. lib. 1. alternat æstus, ait Strabo, ad Oceanus & Lunæ legem. In orâ  
 Scal. Exer. tamen Italicâ, Gallicâ, Hispanicâ, inquit Scaliger alijque,  
 § 2. vix nisi obscure intelligi potest, evidenter tamen ad littus  
 Africæ cremento decrementoque. Suâ etiam curâ aliquid  
 elevationis depressionisque in Massiliensi portu deprehensum, ait idem Scaliger. Et de Hispanicâ orâ est quod ali-  
 quid amplius suspicer. Nam ex obsidione Carthaginis no-  
 Liu. Dec. 3. vae in Hispaniâ, apud Livium intelligo, Mediterraneum  
 lib. 6. mœnia urbis inaccessa fecisse affluente æstu, nudataq; re-  
 cedente; & id perquam opportunum fuisse oppugnanti  
 Scipioni. Aristotelem quoque hujus Hispanici æstus con-  
 scium fuisse, sed causam falsam assignasse ex Posidonio  
 Strab. lib. 3. Strabo narrat. Ait enim Aristoteles, alta & rigida Mauritanie  
 promontoria undas durioris excipere, ac refundere in Hispaniam.  
 Cùm tamen, inquit Posidonius, mollia, arenosa, & humilia  
 sint Africæ contra Hispaniam littora.

Adriaticum quoque evidenter attolli suppressaque Contarenus refert. Olim tamen, ut P. Franciscus Resta ex Procopio & Maiolo nuper narrabat (& ambigo, an credam) mobilior & exercitatiōr fuit Hadriæ æstus; hodie vero objectis plurifariam obstaculis ac præcipue post iacta in eo Venetiarum fundamenta, ire redireque segnius.

E mari interiori in Oceanum examus. Hic quacumque latissime in Ortum, Occasum, Boream, Austrum patet, rariſſimâ exceptione, tumescit, detumescit; etsi non eadem altitudine ubique. In toto Septentrione nostro, Norvegiâ, Daniâ, Hollandiâ, Flandriâ, Angliâ, æstus est cum maxime insignis. Ad eò ut supra Britanniam octogenis cubitis Plin. lib. 2. intumescere, auctor sit Pythias Massiliensis, inquit Plinius. C. 97. Vnde hoc meritò mirum, quod mare Balthicum, cui se inter Norvegiam & Daniam infundit Oceanus, ne quidem tantillum æstu, ut scribit Bartholinus Danus, se moveat.

In

In littore etiam Africæ, à freto Herculeo ad Cancri Tropicum, exiguus, ut referunt nautæ, est fluxus. Ultra verò, juxta Nigrum fluvium, vulgo *Rio grande*, satis notabilis, & quantus in Lusitaniâ. Ad Insulam S. Thomæ sub ipso Æquatore, qualis Venetijs. In littore Mexicano, Cubæ, & vicinarum Insularum, vix se erigit; cùm Oceanus Pacificus ad Panamam, ad duas etiam leucas excurrat. Circa Terceras aliquantus est, sed inferior Hispanico. In freto Magellanico sat altus: in quo etiam utriusque Oceani æstu sibi obviâm veniunt, ut à nautis accepisse se narrat Ios. Acosta. Denique Oceanus occiduus majori æstu se inflat, quam orientalis. Adeò, ut regem illum fluviorum Maragnon, sive Amazonium, in Americâ, cuius ostium latitudinem maris Mediterranei superat, ad 100. leucas sursum repellat. In Indijs orientalibus tamen ad Patalam, quæ nunc Cambaia, in ipsis faucibus Indi amnis, maximus & insolens est æstu, qui flumen ad 30. etiam leucas retrò agit in modum rapidissimi torrentis. Quæ res ignata olim Alexandro, subitam & magnam trepidationem classi ejus iniecit. De- Curt.lib. 9.

scribit graphicè Curtius. *Iam æstu*, inquit, *totos circa flumen campos inundaverat*, tumulis dumtaxat eminentibus, *velut Insulis parvis*: *in quos plerique trepidi omib[us] navigij enare cœperunt*.

Alibi etiam multis locis flumina retrocedunt versus fontes suos cum marino æstu. Ut plurima in Lusitaniâ, Scaldis in Belgio, Bætis in Hispaniâ, Garumna in Aquitaniâ. Tamis in Angliâ etiam ad 50. millaria repellitur. Hoc etiam omnes admirantur, quod Oceanus Aquitanicus septem horis Garumnae influat, perniciùs verò & quinque solùm horis restuat in suum alueum.

*Quosq[ue] rigat retrò pernicio[n]e unda Garumnae,  
Oceanis pleno quoties impellitur æstu.*

Clau.  
dian.

Quantum verò ad tempus & legem, quam servant plerique omnes æstu hęc, notat Plinius, aliisque p[er]en[te] à caluo ad calvum omnes, resque in Oceano nostro Flandrico est competitissima. Attollente se supra horizontem Lunari sidere, mare paullatim intumescit, donec ad Meridianum cæli

Y y 2 fastigium

fastigium pervenerit. Tunc in toto usque ad horizontem occiduum descensu, residit. Vbi statim iterum instari incipit, nec cessat, nisi Luna punctum mediæ noctis attigerit. Ibi secundò sorbetur & detumescit, quoisque fidus ad Ortu se reduxerit. Itaque die naturali, sive 24. horarum spatio (& quod, propter Lunæ reciprocationem, excurrit) bis affluunt, bis refluent maria. Vna verò fermé horâ quotidie serius, quia Luna intra 24. horas ad horizontem, unde exorta fuit, se revehere non potest; cùm interea temporis, circiter 13. gradibus motu proprio in Ortu reciprocaverit; qui adiiciendi sunt 24. istis horis. Sex igitur paullò amplius horis turgescunt, desiduntque totidem. Hęc regula communis est, quam paucissimæ infringunt exceptiones.

Scal. Exerc.  
52.

Tres tamen sunt. Primo, Scaliger asseverat, Garumnam Oceani Aquitanici æstu septem horis intumescere, cùm quinque tantum detumescat.

Secundò, Oceanus juxta fluvium Nigrum in Guiné Africæ, medio inter Aequatorem & Tropicum Cancri spatio, quatuor horis instar rapidi torrentis affluit, octo refluit, Aloysio Cadamusto fido mihi teste.

Liu. Dec. 3.  
lib. 8.

Tertiò, famosus ille inter Aulidem & Insulam Eubœam Euripus dicitur septies die naturali reciprocare. Livius tamen, Fretum Euripi, inquit, non septies die, sicut fama fert, temporibus statim reciprocatur: sed temerè in modum venti nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte precipiti devolutus torrens, rapiatur.

Pet. Gyll.

Sed contrà audiamus etiam de eodem Pet. Gyllium, in illis locis non ita pridem peregrinum. Evidem in Chalcidem cùm venissem, ait, Livij sententiam probare non poteram, cùm nullo flante vento certis temporibus contemplarer modo ferri ab Ortu Solis, modo ab Occasu, tanto impetu, ut ventos contrarios & plena navigia contrà navigantia secum asportaret: molasque multas ab eo versari vidi aliquot horas ab Ortu ad Occasum Solis. Cùm autem ipse à moletrinarijs, qui ex molarum motu accessum & recessum omnium maxime animadvertere habent necesse, percundatus essem,

esset, quoties & quot horas nunc huc nunc illuc converterentur mo-  
le, responderunt communiter, intra 24. horas cursum quater mutari  
solitum esse: sex horis ab una parte accedere, totidem ab altera re-  
cedere. Cum autem adjungere inciperent, esse quædam tempora, cum  
has certas vices non observaret, & ipse nimium attento vultu &  
animo excipiens illorum sermonem, & rei veritatem scire cupiens,  
quænam essent illa tempora, inquirere aggressus, deprehensus à  
quibusdam Corycais, & repente corruptus, ut explorator, aliquam-  
diu in custodia retentus sum. Male fit illis nebulonibus. Ego  
jam scientiam istam devoraveram, quam è faucibus mihi  
eripuerunt illi Turcæ Corycæ.

Molitorum tamen istorum in Euripo testimoia liquet,  
quater solum die naturali, non septies, / nisi forte quandoque,  
quod Gyllius ex ipsis, nimis avidè & extento collo  
audire cupiebat ) redire motus; ideoque bis fluere, toties-  
que refluere, secundum Oceani leges.

Aristotelem in Euripo perijisse, Iustinus Martyr, S.  
Gregor. Nazianzenus, & Procopius affirman; cum  
Chalcidem, quæ Euripo alluitur, Athenis clām profugisset,  
impietatis ab Eurymedonte Hierophantā accersitus, ut  
inquit Laërtius. Ibi enim Euripi reciprocationem admi-  
rans, nec caussam ejus satis capiens, infilij post hæc  
verba, inquiunt: *Quandoquidem Aristoteles non capit Euripum, Euripus capiat Aristotelem.* Sed non credo Princi-  
pem nostrum tam fuisse vesanum. Vt nec Hermippo,  
qui scripsit, anno ætatis septuagesimo Chalcide bibisse  
aconitum. Magis Apollodoro, qui anno tertio & sexagesi-  
mo climactere, naturali morbo, & ut alij narrant, debili-  
tate / à studijs & meditatione, ut opinor / stomachi de-  
fecisse. Quo etiam tempore Demosthenes in Calabris dis-  
cessit.

Aliquando etiam à caussis naturalibus, aut divinis accidentunt  
insolentes æstus. Ut inter prodigia Anni 1550. sub Edovar-  
do Anglia Rege puerο, Sanderus refert, ad xv. Cal. Ia-  
nuarias, Tamelum juxta Londinum ter intra novem horas Sander,  
lib. 2. de  
Schismat.  
Anglic.  
fluxisse ac refluxisse. Hoc etiam in risum accipe. In mari  
Erythreo,

Scal. Exerc. 52. Erythraeo, ait Scaliger, tantus est aestus, ut osores Sacrarum littoralium temerè mentiti sint, Moysen in fisco transmississe, nocturnum refluxionis occasionem. Quod tamen, inquit, fieri non potuit: propterea quod ad Sues usque (est oppidum) quod intimo in recessu jacet, mare operit litus illud; neque umquam regrediens ita nudat, ut inferiores partes, quā transferunt Hebrei, suā decessione aperiant. Locus enim trajectus Hebræorum, milliaribus Italicis ferè 5. à summo sinu distat, ut ex Adrichomio nostro colligi potest. Deinde Exodi 14. impressè afferitur, undam pro muro transeuntibus fuisse à dextris & sinistris. Vbi miraculum divinum sine effugio appareret.

## ARTICVLVS VIII.

Sententiæ aliquot belliores, de caussâ efficiente  
marini aestus, reiectæ.

**Q**uod ubique clamare soleo, nos nihil scire, maximè convenit huic disquisitioni, quæ tractat maris motum, clamat Scal. Exerc. Iul. Scaliger. Et reverè in abditissimo Democriti puteo 52. hæc veritas, si quæ alia, latet. Quam tamen Philosophi omni ævo varie conati extrahere. Et belliores aliquot probabilioresque deducemus in pompam.

Kepl. lib. 4. cap. 7. Harmon. Plato & Stoici, hodieque Io. Keplerus Mathematicus Cæsarius, terram ingens animal esse credit, quod immanibus pulmonum follibus marinas aquas per intervalla visceribus inspiret respiretque. Additque præter alia, quibus terræ animam adstruit, Scaldim nostrum apud Antuerpiam, antequam ait, frequentia illa mercatorum Vrbem desereret, uno toto die aestum stitissem; quia scilicet terra eo tempore deliquium animi passa esset. Fortè etiam Anno illo 1550. tussiverat, cum Oceanus Britannicus ad Tamesim, novem horarum spatio, ter reciprocavit. Et miraculum illud Scaldis, inquit Keplerus, non mediocriter Antuerpiam exterruit.

Verum, terram fabulosum tantum esse animal, alibi ostendemus. De deliquio Scaldis, olim in ocello illo Vrbium,

Vrbium, & compendio Orbis, Antuerpiæ Annis 1607.  
 1608. 1609. habitaui, in Illustri, Religiosissimo juxta ac  
 Eruditissimo S. Michaëlis, Canonicorum Præmonstraten-  
 sium Monasterio, Philosophiae Professor: & tamen nec ego,  
 nec alius, credo, quisquam, fando aliquid similis monstri  
 umquam accepit. Clarissimo etiam Medico Thomæ Fieno,  
 mirabilium curiosissimo & civi Antuerpiano rem proposui;  
 qui nil præter risum reposuit.

Exundationes tamen Scaldis & Oceani atroces, Flandri,  
 Zelandi, Hollandi, Brabantia sèpè experti sumus. Ut An-  
 no 1521. Anno 1530. Anno 1564. Anno 1570. & 1582.  
 Anno 1624. circa Festum Epiphaniæ, ac novissimè Anno  
 1634. liquatis subitâ tabe & ingenti eluvione nivibus. *Nostrâ*, Bodin, lib.  
*& patrum memorâ*, ait Bodinus, Batavis Oceanus centum am. 2. Theat.  
 plius millia iugerum dissipatis aggeribus eripuit. Nam 72. cir-  
 citer pagos obruit, quorum adhuc aliquæ turres emicant  
 ex undis. Et Lemnius narrat suâ, id est, avorum nostrorum Lemn. lib. 2.  
 memoria, Oceanum minimo temporis intervallo quartum cap. 41. de  
 hibernis mensibus in immensam altitudinem extumuisse,  
 miserandâ Belgij clade. Vides ergo, ut animal illud Keple-  
 rianum, spiritum non sustinere, sed nimis liberaliter in nos  
 effundere soleat.

Sed Famianum Stradam de Anni 1570 diluvio plenius  
 audivisse, fortasse non indelebat.

Accedit, inquit, & alia dissentendi ab Albano causa, ex nova Strad. lib. 7.  
 subitaq; Provinciarum calamitate. Etenim nocte ante lucem San- de bello  
 ctorum omnium venerationi sacram, intumescens præter modum  
 Oceanus, atque aggeres alicubi supergressus, alibi demolitus, tam  
 prodigiosa ac supra omnem Belgarum memoriam alluvione conte-  
 xit aliquot Zelandia Insulas, magnam littoralis Hollandie par-  
 tem, totam ferè Frisiam, ut exundationem illam, que ante annos An. 1530.  
 quadraginta tumulasse dicuntur pagos omnino duos ac septuaginta,  
 unius altitudine pedis excesserit. Strage non modo fortunarum  
 plane incomparabili, sed hominum vel in sola Frista viginti mil-  
 lium, quos mare haec, accessu recessuque iuxta serum. Quorum,  
 iumentorumq; cadavera una cum domorum sapientili, fractorumq;  
 tabubis

tabulis navigiorum, per campos nullo iam maris ac terræ discrimine fluctuantia, non aliam ferunt obtulisse oculis imaginem, quam perennit olim Nœtico eluvione Orbis terrarum. Invenio in Friesorum Annalibus, à cymbis per insecuros dies à Magistratu immisis ad colligendas naufragij reliquias, mortalium permultos collibus atque arboribus superstantes, extremumq; pñè spiritum trahentes, in tempore exceptos fuisse. Interq; eos Snekensi in colle repertum infantem, illuc cum fele cunis advectum placidissimè dormientem, diluvij naufragijq; he unicè securum.

His exemplis vides, non inspiratione pulmonum terræ, ut Keplerus fingit, mare sorberi, & Scaldim vada sua nudare, sed insolenti diluvio aquarum, ripis & aggeribus suis tantum superfundi. Causa verò, non in terræ pulmonibus, sed in Lunæ siderumque quorundam aquatiko aspectu, vel subita pluviarum in altas nives effusione, ut Anno 1634. vidi mus. Durum enim & contumax gelu præcesserat. Cui deinde superpusæ copiosæ nives. Ac denique effusissimâ pluviâ in aquas subito resolutæ, duro nec recipiente eas terrestri fundo, in Rhenum, Mosam, Scaldim præcipitatæ, diluvium illud effecerunt.

Altera de marino æstu quorundam Mathematicorum sententia est, mare æstuare, quia Angelus aliquis terræ moter (dubitant sub quo Zenith) globum terræ attollit supra centrum aliquot cubitis, totidemque infra deprimit, certis & modulatis intervallis. Cum terra in altum levatur, siccantur aliquousque apud nos vada; quia aqua in oppositum hemisphærium, tamquam ad loca jam depressiora, & centro gravitatis propinquiora, defluit. Cum verò terra deprimitur, mare hic tumet, quia ex altero hemisphærio ad nos affluit.

Verum hæc imaginatio aliquantò plus ingenij habet, quam probabilitatis.

Primò, Quia nulla sic ratio solida reddi potest, cur non semper æstus sint æquales. Cum tamen constet, plenilunio & novilunio abundiores esse, sicciores in quadraturis.

Secundò, Cur cum Lunâ sex horis pleraque maria surgunt,

surgunt, totidemque resorbentur? An quia Angelus vocando & relaxando aquas, cum Lunâ consentit? Hoc verò nimis ἀφιλοσόφικον & gratis confitum est.

Tertio, Pone, si placet, Angelum istum aquarium Amstelrodami in mediâ Hollandiâ. Cùm terram elevabit, non tantum Oceanus Deucalioneus in Galliam & Lusitaniam defluet; sed Scaldis etiam totus Cameracum usque & ultra, item Mosa relabetur versus suos fontes. Aut saltem, si elevatio non sit tanta ut alveum in fontes prouum efficiat, cursum tamen frenabit, aut retardabit.

Scio, effugium esse in loco & horizonte, per cuius axem Angelus iste centrum terræ adducendo reducendoque librat. Statuamus igitur locum Angeli in Palæstinâ & Ierosolymis. Audivi enim qui in hanc sententiam inclinarent. Sed tunc ecce in Iordanè, Nilo, Tigri, Euphrate, Mæotide etiam & Euxino, æstum advertere licebit. Et universim omnes aquæ etiam dulces, lacubus solum, qui alveo non egrediuntur, forte exceptis, reciprocationem & æstum persentiscent. Alia congeri possunt, quæ jam longitudinis verens subterhabeo.

Tertia sententia etiam in Angelos caussam æstu reiicit. Qui tamen non terram librando, sed ipsum immediatè aquæ elementum fundendo revocandoque, reciprocationem istam faciant. Sic nuper hîc censebat P. Leonardus Lessius, multosque hodie pronus video, præsertim quibus non vacat diu in hanc rem speculari, & cerebrū impendere.

Proabant tamen, quia Apoc. 16. Angelus quidam nominatur aquarum; ideo, verosimili conjecturâ, quia ei à Deo data provincia est æstu reciprocandi mare. Cur enim non tam mari assignati à Deo spiritales motores, quam cælis?

Sed argumentum nimis imbecille est, ut rem tantam sustinere possit. Legenti enim cogitatè locum Apocalypsis, Angelus aquarum statim intelligitur ille, qui effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum. Vnde à curâ illâ inficiendi aquas, extremo illo tempore, non ab officio

soleanni movendi & regendi aquas videtur nomen accepisse. Quod etiam inde firmatur; quia de Angelo singulari loquitur: cum tamen unicus esse non possit, qui universa fluminis, fontesque gubernet. Imò Angelus iste aquarius distinguitur ab alio Angelo maris ( hic enim secundus est, ille tertius ) qui effudit phialam suam in mare. Huic ergo potius solenne munus movendi maris incumbet. Sed iterum, cum unicus appelletur Angelus maris, non nomen istud habet, quia mare estu dicit ex officio ac reducit ( tot enim, & tam dissipata Oceani membra unns Angelus reciprocare simul fortasse non potest ) sed quia cura penes ipsum erit, corrumpendi aquas maris.

Non renuo tamen, Angelos quosdam fluminibus & mari esse praesides. Verum ij non efficiunt naturales eorum per aliueos motus, sed insolitas quasdam, ad castiganda peccata mortalium, inundationes, admirabilesque alios præter ordinem Naturæ effectus; ut motum aquæ Probaticæ piscinæ, &c. ut Lib. IV. circa caussam ventorum efficientem diximus.

S. Aug.  
1.b 3. c. 4  
Tract. lib.  
83. q. 79.

Quomodo etiam sententiam illam S. Augustini, *Omnia corpora reguntur per spiritum vita* & istam, *Vnaquaque res visibilis in hoc Mundo habet potestatem Angelicam sibi prepositam*, exponit D. Thomas I. p. q. 110. a. 1. ad 2. *Quia nos, ait, ponimus multa in corporibus inferoribus fieri præter naturales actiones corporum, ad quæ non sufficiunt virtutes celestium corporum*, ideo secundum nos necesse est ponere, quod Angeli habeant immediatam præsidentiam, non solum supra corpora celestia, sed etiam supra corpora inferiora.

Si deinde Angelis aurigantibus reguntur marini aestus, cur aquæ etiam dulces non æstuant? Cur Rhenus & Mosa ad scaturigines suas, perinde ac quidam alij, non reciprocant? Certè enim manifestam hic utilitatem prospicio: & magnis laboribus defungantur homines, ac miseri illi caballi, qui naves ex Hollandiâ Mosæ Trajectum & Leodium, adverso & obluctante flumine, pertrahunt. Cur deinde Angeli aquarij secundum Lunæ periodos urnas suas effun-

effundunt? Ut nautæ ē cælo signum æstus & navigationis haberent, respondebam olim. Sed cur potius non aspiciunt Solem, fidus omnium notissimum? Sic enim utilitas tam conspicui signi ad plures spargeretur. Denique, nemo non statim videt, asylum hoc ignorantiae esse: quod sine magna ratione, imò cum quadam Dei & Naturæ injuria confidunt. Imò verò cum magnâ in Dèum, inquiet, pietate, qui Angelos etiam huc usqué ad hominum ministerium demittit. Nego tamen. Quia dum effectus istos in Angelicæ & tam confessæ potentiae caussam resejunt, detrahunt ijs admirationem. Non enim paullò profundius in sapientiâ divinâ potentiaque obstupecscimus, si Lunæ aut caussis alijs corporeis dare potuerit tam admirandi effectus virtutem, quam si eum per Angelos operetur.

De motu cælorum, diversa longé ratio est, ut Lib. IV. circa caussam motricem ventorum est explicatum. Nec enim clara indicia alterius caussæ efficientis motus cæli, præter Angelos habemus, quæ tamen in motu maris plam se ingerunt. Et hinc etiam satis refelluntur, qui Deum solum, sine ullius caussæ secundæ interjecto ministerio, æstus marinos ciere existimant.

Quarta opinio Philosophorum Saracenorum est, nec aspernatur Mirandulæ Princeps. Putant mare unum in litus excurrere, ut alteri mari se naturali appetitu conjungat. Melius enim & tutius adversus contraria se protegent, si duo confluxerint, viresque confuderint in unum.

Pic. Mi-  
rand. lib. 3.  
c. 15adveſſ.  
Astrolo.

Verum, si tantus foret in aquis conjunctionis amor, etiam duo vicini lacus intumescerent, & medio quo interpolantur terræ spatio se superfundere conarentur. Et cetera quæ jam diximus, hanc opinionem satis respuunt.

Quintus exeat Rogerius Bacon, qui in Epistolâ ad Clementem V. gloriatur, se caussæ marini æstus unicum & & primum repertorem. Lunari, inquit, præcipue, & partim Solari influentiâ rarescit, & spiritu multo inflatur mare; quo exspirante & consumpto, denudò conflaccescit. Consumitur autem maris spiritus, quando Luna ad Meridianum

& cæli culmen pervenit. Inde enim radio perpendiculari, qui omnium fortissimus est, superficiem maris terebrat. In ascensu verò, quia radius obliquè incidit, ad resolven-das & commovendas, non absumendas exhalationes & spiritus, satis valet.

Sed quantumcumque placeat sibi Bacon, mihi satis dis-plicet. Cùm enim Luna à fastigio cæli ad Occasum defluit, pari angulo & obliquitate mare despicit, atque dum in pri-mo cæli quadrante, clivum inter Ortum & Meridianum ascendit. Cur ergo etiam tunc spiritus inflantes non resol-vit?

Et tamen non facit. Nam in Lunæ descensu, æstus de-tumescit. Deinde, quis credat, meridianæ Lunæ radio, qui non altè infra aquæ superficiem penetrat ( Solis quippe radius, tantò fortior, vix ad 15. cubitos pervenit ) tot spiritus & tam celeriter absumi; cùm extra plenilunium vix ac ne vix calorem, aut vim aliam rarefacientem ex-periamur, quæ insigniter tactum afficiat. Et denique, quomodo spiritus illos hic dispellit, ubi oppositum cæli verticem & Antipodum Meridianum tenet?

Sextus igitur amplius non paullò ingenij habet. Tho-mas Lydiatus est, Anglus, & Baconis conterraneus. Is nobis sub fundo maris, ut ollâ quadam ingenti, vastos bi-tuminis ardantis ignes accendit, quorum exhalatione mare subinde ampullatur & tumescit. Ita enim facilis erit caufsa, cur sola salsa exæstuent: quia nempe idem bituminis spir-itus, qui salsedinem ( ut nos quoque antè censuimus ) etiam æstum facit. Dissolvetur deinde sic non difficulter Gor-diüs & inexplicabilis ille nodus: quâ ratione Luna ex al-tero hemisphærio mare nostrum æstu attollat; quia sci-liset altissimi quidam in mari gurgites sunt pleni ardenti-bitumine, qui terram totam ( licet non per medium, & dia-metrum ) ad Antipodes usque perforant; per quos unda-de hemisphærio in hemisphærium perpetuò commeat & rebullit. Nec fabulosos esse tales sine fundo gurgites maris, ex lib. i. Rerum Septemtr. Olai ostendi potest; ubi plurima loca

loca Oceani Noruegici, circa cautes præsertim & scopulos, fundi per infinitas propemodum funium spiras, inexplorati esse scribit. Et de quādam ibi voragine, quam *Mostafstrom* appellat: *Mare*, inquit, *ibi intra cavernas accidente fluxu inflatur, & et fluxu reflatur*, quanto maximo impetu deferuntur torrentes vel rapidi fluctus. Navigatur hoc mare periculosisimo evenitu, quia iniquo tempore navigantes subito rapiuntur in voragines circulares. Ac ista, opinor, vorago est, de qua Scaliger. *Scal.*  
*Est promontorium, inquit, à specie quam refert, Nasus sacer ap. Exerc. 101.*  
 pellatum in finibus Finlapiorum. Sub quo specus, que senis horis mare vomit, totidemq[ue] resorbet. Tanto impetu, incantas ut hauriat naves. *Charybdis* vera, non illa Grecia mendacissima.

Vero simile igitur est, hac alijsque pluribus alibi Charybdibus terram in adversum usque hemisphærium perforari.

Sed licet vultu admodum probabili hæc sententia statim occurrat, diligenter inspecta tamen non est similis suæ fronti.

Primo, Quia valde effervescente aquam oporteat, & tactum pœnè adurere, si ardente spiritu ita rarefiat & turgescat. Olla enim, nisi longè ultra tempore incalescat, non altè inflatur & ebullit. Nemo tamen insigniorem aquæ marinæ calorem æstu tumente, quām sicco, percipit. Nec fluxus marinus idcirco æstus appellatur, quasi mare eo revera æstuet & feruat; sed metaphorice solum; quia surgit & ebullit, ut olla suppositis ignibus solet.

Secundo, Naves pleno & inflatisimo æstu altius, pati onere, deprimarentur; quia in aquâ rariori equalis gravitas magis descendit. Inde enim est, ut navis in mari, quod est aquæ densioris, non tam profundè, quām in flumine desidat. Adèò ut navis cuius onus mare facile portabat, quandoque submergatur statim atque in flumen exivit.

Tertio, Totum Oceanum in orbem circumquaque perforatum usque in adversam terrę partem, non in Septentrione tantum & raris quibusdam gurgitibus, esse oportet. Nam in quocumque paralicli sui puncto centrum

Lunæ consistat, mare semper in opposito hemisphærio ebullit & æstuat. Neque foramen unum in mari Noruegico sufficit ad implendum estu totum Oceanum nostrum usque ad Hispanias, dum Luna ab Occasu ad punctum medie noctis scandit. Si namque tota aqua ab inferiori hemisphærio per foramen illud mari nostro infundi deberet, prius in Noruegiâ, quam Hollandiâ, Flandriâ, Britanniâ, intumescet estus, paullatimque tumor, & sat longo post tempore ad littora nostra perveniet: quod tamen est compertissimæ vanitatis. Nam Noruegicus, Hollandicus, Britannicus Oceanus sub eâdem longitudine & Meridiano simul assurgit.

Denique, Periodica ista constantia marini æstus satis clamat, se non incendio aliquo incerto, & sibi sèpè quà magnitudine quà fervore, dissimili caussam habere. Ignes enim quicumque sub montibus aut mari, pro affluxu aut penuriâ materię ac pabuli, pleniùs aut malignius aluntur: apparebitque, sine dubio, similis inconstantia in æstu. Et tamen, quemadmodum quartana, ait Seneca, ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus respondet, quemadmodum purgatio, si nihil obstat, statum diem servat, quemadmodum presto est ad mensem suum partus; sic aque intervalla habent, quibus se retrahant, & quibus reddant. Caussam igitur magis statam & constantem, quam fortuitum sub fundo maris incendium, tam regularis, & tot millium annorum æstus habet. Nam subterraneorum incendiorum inconstantia, in Atnę aut Vesuvij interpolatis incendijs latis patet.

Deinde, quare surgente Lunâ reviviscere incipiunt illi ignes, & spiritum spargere quo undas attollant; ac consopiri statim, ubi sidus à Meridiano in Occasum descendit, idque certâ semper, ut dixi, & immobili lege?

Quia Luna, reponit Lydiatus, incendia calore suo instaurat. Nam licet bitumen flagret in aquis, ab externâ tamen caussâ accendi oportet, aut mole aquarum semisopitum recreari.

Sed profectò magis id à Sole fieri, quam Lunâ <sup>huius à dñis</sup>,  
Sole

Senec. lib.  
3. c. 16.  
Nat.

Sole quodam imbecillo, ut vocat Theophrastus. Deinde radij Lunæ aut Solis non traiiciuntur ad fundum usque maris: nedum fieri potest, ut calorem tantum deferant, qui bitumen, etiam altissimorum gurgitum futido aut parietibus illitum, flammet.

Ex his denique non valde æstimari potest opinio Thimonis, qui à Sole per aquarum rarefactionem evocari æstus credit. Sol enim non tantum profecto valet. Deinde sub Torridâ magis abundant æstus; nec cum Lunâ, sed cum Sole maxime congrueret eorum periodus. Quæ omnia exprimentum longè respuit.

Andreas Cæsalpinus tandem, veteri Seleuci Mathematici paradoxo agmen claudat. Maris æstum, terræ motus Pythagorici & Copernicani effectum esse sentit. Sed non potest; licet Solem stare, & terræ motum istum diurnum Pythagoricum & fabulosum, pro vero daremus.

Nam, vel mare æquo passu, ab Occasu in Ortum cum terrâ, spatio 24. horarum, circulum circa terræ centrum absolvit ( & ita ab hac causa nullus æstus apparebit; ) vel si assuefacta terræ motum non valeat ( quia fortè lubricus & & instabilis liquor parem cum terrâ impetum capere non potest, ut sentit Keplerus ) solummodo in Occasum refluxet, perpetuusque in illam partem inclinabit; quia motus terræ diurnus ab Occasu in Ortum semper currit. Deinde non solum mare, sed universa flumina & lacus, in Occidentem retrò fluent; quia à motu terræ reliquentur, qui celerior in Orientem eos prævertet, ut Artic. vi. adversus Keplerum dicebamus.

## ARTICVLVS IX.

Luna, princeps caussa marini æstu. Sol tamen etiam  
in partem aliquam venit.

**S**I ex effectu, causam conjectare licet, tam compertum videtur, æstus effici & gubernari à Lunari sidere, quam calorem

Thimon.  
lib. 2. q. 2.  
Meteor.

calorem ab ignibus effundi , aut lumen à Sole. Vnde enim aërem & Mundum hunc inferiorem à Sole illuminari intelligimus , nisi quia eo surgente noctem fugari & diem redire oculis cernimus? Ita quoque , quandoquidem cum Luna ascendentे mare statim veluti fermento quodam , ut sic dicam, intrumescere , & id constanti & inviolabili naturæ lege fieri semper videamus, quid aliud quām in Luna esse tumoris istius caussam, conjectare possumus?

Ideò enim etiam singulis diebus unā ferè horā seriūs aſſurgit eſtus, quia Luna motu proprio reciprocans in Ortum, unā fermē horā tardius, quām præcedenti die, ad horizontē redit. Nec valdē refert, quōd rarissimis quibusdam exemplis, quidam hanc legem frangere nitantur. Sufficit enim ut pleraque maria , & totus noster Oceanus, eam sequantur. Exceptiones autem illas quae in fretis quibusdam , & alibi forte evenire possunt, in locorum iniuritatem , & impedimenta cetera , reſicere debemus.

Nec etiam, quamvis altè , contra infinitos alios claman-  
Pic. lib. 3.  
c. 15. cont.  
Astrol.  
Senec. lib.  
de provid.  
op. 1.  
Cur.  
lib. 9.

tem, Picum Mirandulæ Principem audimus. Non respon-  
dent, qua respondere fit necesse. Ut cùm aucta lumine Luna, cùm ve-  
locior cursu, cùm propinquior terræ, cùm declinans ad Aquilonem  
à viâ Solis , cùm in Signis Aquilonariis posita , tunc ubiores  
fiant maris accessus. Contrà, tenuiores, cùm se aliter habet. Hæc  
enim partim falsa sunt; aliorum, cur non ita accident, ratio-  
nem postea afferemus. Verissimè etenim Zeno Romanus:  
Vnde ad horam ac diem subeunt, ampliores minorēsve, prout illas  
Lunare sidus elicit, ad cuius arbitrium Oceanus exundat.

Ideo Q. Curtius naturam maris imperio temporum obnoxiam  
merito appellat.

Alios innumeros non numero. S. Basilij, S. Ambrosij  
D. Tho. I.  
p. q. 110. 3.

S. Thomæ sententia est: qui ait fluxum & refluxum maris  
non consequi formam substantiam aquæ, sed virtutem Luna.

Hæc quoque sententia omnibus nauticis Ephemeridi-  
bus, ex Thesauro marino Lucæ Aurigarij Hollandi , &  
certissimā nautarum experientiā affirmatur. Nam ideo sin-  
gulis diebus, ut ante monui, ferè unā horā eſtus tardius,  
ob re-

ob recessum proprium Lunæ in Zodiaco, inflare se incipit. Ab interlunio etiam, sive Lunæ cum Sole coniunctione, usque ad primam quadraturam, sive semilunij tempus, septimo circiter ab interlunio, die paullatim minuitur, quando siccissimus, & ferè nullus est fluxus. Ideo enim nautæ *mare mortuum*, & Veneti *acqua stanca* tunc appellant.

Ab hac quadraturâ ad plenilunium, sensim rursus increbescunt & implentur æstus; adeò ut plenissimus incidat in decimum quartum, & ipsum diem oppositionis Lunæ ad Solem. Etsi alicubi paullò aliter. Ut non de nihilo Cæsar sæviorem in træctu freti Britannici tempestatem sensisse se dicat, quia *eadem nocte acciderat, ut esset Luna plena, qua maximos æstus maximos in Oceano efficere consuevit.*

Cæs. lib. 4.  
de bello  
Gall.

A plenilunio autem ad ultimam quadraturam quotidie perpetuò relanguescunt æstus. Vbi iterum inanes, & pænè nulli sunt. Quod circa 21. à coniunctione diem evenit. Vnde natum Venetis proverbium putant.

*Da vent' uno à venti due,  
L' acqua non va ne su ne giu.*

A quo tempore pederentim denuò se promovent, usque ad interlunium & coniunctionem utriusque sideris.

Ex quâ lege & periodo discimus, interlunio & plenilunio altissimos fieri æstus. Cum hoc tamen discrimine, quod, omnium nautarum testimonio, plenâ Lunâ sint aliquantò pleniores, quam siccâ & silente. Vnde meritò plenilunio & interlunio, mare vivum, in utrâque quadraturâ, mortuum vocare solent.

Ideò à Belgis & Lemnio nostro notatum, diluvia illa quatuor seculi præteriti, quibus Oceanus in immensam altitudinem excrevit, totamq; Belgicam dissipatis aggerum molibus miserranda clade oppresit, semper vel in novi lunium, vel in plenilunium incidisse. Idq; hibernis mensibus, quibus vis Luna in concitandis fluctibus, ciendisq; tempestatibus, quam astivis est acrior.

Lem lib. 2.  
c. 41. de  
Occult.

Qui autem Philosophiæ hujus diligentiores fuerunt, totum cæli ambitū ab Ortu ad Occasum in octo puncta divisorunt, quatuor scilicet fluxus, & totidem refluxus. Quorum

Aaa bina

bina fortia , alia duo , debilia appellant.

Quod ut capias totum cælum , seu parallelum quem Luna motu primi mobilis spatio 24. horarum & 48. circiter minutorum circumcurrit , in quatuor quadrantes secare oportet. Primus arcus ab horizonte Ortivo usque ad Meridianum & cæli culmen tendi debet. Alter à Meridianō ad horizontem Occiduum descendit. Tertius , hinc ad punctum mediae noctis. Quartus , inde ad Ortum redit. Singuli autem arcus continent 90. gradus : cum sint 4. equalia segmenta totius ambitus cæli , qui gradus 360. habet.

Cum autem Luna per primum arcum ab horizonte ad Meridianum ascendit , intumescit æstus. Et initio quidem parum se movet , deinde medio inter horizontem & Meridianum spatio , sive in puncto quod 45. gradibus supra horizontem extat , vehementius ; usque dum Luna ad Meridiani culmen enixa fuerit. Vbi stat fluxus.

Hinc igitur punctum , in quo parallelus Lunæ horizontem intersecat , vocant punctum debile fluxus ; alterum vero , forte , quod 45. gradibus ab horizonte , & totidem à Meridianō distat. Quia scilicet cum Luna eò pervenit , robustior longè & incitator fit æstus. Lunā deinde à Meridianō paullatim in Occasum , per secundum cæli quadrantem delabente , detumescit molliter in principio æstus ; ideoque hoc Meridiei punctum , vocant punctum debile refluxus. Sed celeritate manifesta torrentior fit , ubi Luna ad medium inter Meridianum & horizontem punctum descenderit ; quod idcirco appellant punctum forte refluxus. Vbi autem Luna Occasum attigit , cessat refluxus ; rursumque mare altero æstu erigere se incipit , duratque incrementum , donec Luna tertium cæli quadrantem , usque ad Antipodium Meridianum , emensa fuerit. Inde usque ad Ortum nostrum , toto scilicet ultimo quadrante , iterum mare supprimitur & tumorem ponit. Puncta autem fortia ac debilia in nocturno illo parallelī arcu statuenda sunt similia diurnis.

Vnde puncta fluxus debilia sunt , Ortus & Occasus : fortia vero ,

verò, punctum medium inter Ortum & Meridiem, & medium inter Occasum & punctum mediae noctis. Puncta debilia refluxus sunt, punctum Meridiei, & punctum mediae noctis. Fortia, punctum medium inter Occasum & Meridiem, & inter Ortum & punctum mediae noctis.

Præter autem varietatem illam duplē fluxus & refluxus quotidianam; est & tertia, annua, quam Posidonius apud Strabonem à Gaditanis se accepisse dicit. Non enim circa totum annum sunt pares æstus. Verum quippe illud Taciti Annal. lib. I. Sidere æquinoctiū maxime Oceanum tumescere, id est, cùm Sol initio Autumni & Veris æquinoctialem circinat. Circa Tropicos verò, sive potius, circa æstivum solstitium mitescunt æstus. Nam hieme totā & quoties abundant aquæ, æstus quoque tunc nobis sunt abundiores. Quamquam Plinius affirmatē dicat, *Aequinoctiū* Plin. lib. 2. *maxime tumentes, & autumnali amplius, quām verno: inanescap. 97.*

verò brumā, & magis solstitio. De solstitio facile dederim; de brumā, propior sum abnuenti. Lunā Aquiloniā, etiam inquit, & à terris longius recedente, mitiores sunt æstus, quām cùm in Austros digressa, propiore nīsu vim suam exercet. Cui proniūs non paullò credo, quām Gemmæ nostro, docenti: *Lunam in Apogeo, vel etiam in superiori Eccentrici portione, plus facere ad concitandos maris impetus, ob motus triplices minimè differentes: scilicet Epicycli, Apogai medijs, atque orbium qui augem Eccentrici deferunt. Omnes enim moventur contra Signorum seriem,* Gemma Astol. c. 91. *id est, ab Orta in Occasum. Addit tamen deinde, cùm vulnu propiore terras perlustrat, in infimā videlicet parte Eccentrici & Epicycli, ad exangendam aquarum molem, potentiorē effe, licet in movendis fluxibus nonnihil juris amittat. Sed reverā, si propior, & admota terris, in aquarum incrementa valet, etiam in fluxum & æstus validior tunc erit. Cum præsertim aquarum molem, magis inflando, quām novā partium aliquarum generatione, angere videatur.*

Ex quibus refellitur, quod initio objecit nobis Princeps Mirandulanus. Nam Luna propinquior terris (nisi quid aliud vim ejus eludat) æstus abundiores facit. Quod sanc

disertè paullò antè confitebatur Plinius. Etsi tamen fortasse hoc discerniculum non tam evidenter in oculos incurat.

Trangressa etiam Eclipticam, ad partes Zodiaci Aquilonares, et si radio directiore maria nostra feriat, non intendit tamen insigniter aestus; quia tunc circa Eccentrici Apogaeum longius refugit à terris. Limes enim ejus Boreus elevatior est Austrino. Deinde, vis illa magnetica, quam Luna in mare jaculatur, non est forte instar luminis, quod retunditur & reflectitur à corpore opaco, & reflexione ad angulos rectiores se magis multiplicat ( quomodo Sol in Signis Borealibus, cùm à vertice nostro propius abest, affluentius nos illuminat & calefacit;) sed opaca juxta ac transparentia, rara & densa, sine discrimine penetrabilis & irretorta permeat, ut latius statim diducemus.

Quod etiam in semilunijs magis quam novilunijs lamenteant aestus, cùm tamen illo tempore Luna auctior sit lumine in facie imminente terris; non ideo ostenditur ab ea non moveri aestus, sed Solem in coniunctione influentiam ejus adjuvare. Quod etiam pro comperto habemus; quandoquidem pro vario Solis aspectu intendat aut relaxet vehementiam fluxus.

## ARTICVLVS X.

Quā virtute Luna aestus moveat.

**L**umine, inquiunt aliqui; omnem, præter lumen, influentiam astrorum occultam respuentes. Sed defendi id vix potest. Quia interlunio, quando Luna in parte obversa terris, sicca est & illunis, grandes tamen aestus attollit.

Dico ergo Primò: Lumen stimulat, & adjuvat mari nos aestus. Patet, quia plenilunio abundantissimi sunt, quando facies Lunæ terræ impendens lumine turget: item interlunio, cùm lux solaris, adest Lunæ, & lummam saltem aquæ cutem diducit, inflat, & ad aestum præparat.

Nihil

Nihil etiam compertius est , quād medullas animalium & omnium plantarum, Lunæ plenitudine turgescere. Vnde etiam qui capite inoperto ad Lunam ambulant, humores cerebri commoveri sentiunt, & meninges cum dolore intendi. Hinc à Lemnio nostro admonitum , *Ne quis cornua Luna spectanda sibi persuadat, sed gibbam devexamq; quam Sol illustrat.* Ea siquidem pars qua<sup>e</sup> Soli terræ obversa est , aquam allicit, illosq; portus ac stationes maris affluxu implere satagit , quos è directo splendore suo irradiat.

Sed tamen non esse in lumine principem vim motricem, ex interlunij æstu & Oceani Torridè ostendi potest, qui & à Sole & à Lunâ maxime luminatur & calescit, & tamen infra Deucalioneum & Hollandicum nostrum æstuat. Deinde , Sole , Lunâ , & omnibus sideribus nubilo conditis, æquales atque sereno , fiunt æstus. Igitur non siderum lumine, quod tunc tenuiter & malignè per nubium obstacula in mare se transfundit.

Dico Secundo: Vis ista Lunaris, per rarefactionem mare non attollit. Ita mihi videtur , contra Laurentianos Colonienses Albertistas , in Commentarijs Anno 1491. editis, Valeſ lib. de Philos. tamen , quia in primis , æstu fervente naves altius in aquam rarefactam deprimerentur, submergerenturq; plurimæ; ubi perserit ad duas tréve orgyas æstus intumescit. Sic enim Anno 1531. in magno illo Lusitaniae terræ motu , mare ibi multo & fervente spiritu rarescens ac tumefactum multarum navium oneri succubuit , hausitque in profundum. Nam ut onus in aquâ natet, oportet levius esse aquâ paris cum eo dimensionis , ut certissima Philosophia Archimedis docet. Cujus iugurtha aut incogitania non paucos nec hebetes Philos. turpes & irrevocabiles errores præcipitat. Aqua rara ante densior & gravior erat pondere navis , rarefacta & discepta & explicata, levior efficitur ; & id ed magis , quod raritas est major. Magnam autem satis esse oportet , ubi ad duas orgyas , id est duodecim pedes, aut altius æstu pleno mare ascendit.

Aaa 3 Secundò,

Secundū raritas illa vel solo locali motu violento densitatem aquæ dissipante , vel calorificā alteratione efficitur. Nullum enim alium rarafactionis modum imaginari hic possumus.

Priori tamen modo Luna mare non rarefacit , quia radijs suis tanquam virgis aquam marinam non flagellat & discutit. Nec etiam posteriori , quia Sol, qui tanto magis calorificus est, potius quam Luna, feruertere faceret quasi ollam profundum mare, & poneret quasi cùm unguenta bulliunt , ut de Iob. 41. Ceto Leviathan marinam naribus efflante, apud Iobum loquitur Dominus.

Deinde si Luna calefactando mare rarefacit, nulla profectò apparet ratio, cur aqua marina infusa salinis, aut vase hausta , radijs Lunæ exposita non intumesceret. Citiùs enim & faciliùs , quam universum mare , sic intepescere potest. Denique altius æstate quam hieme marini æstus ebullirent ; apertâ experientiâ reclamante. Nam tumidiores sunt mensibus hibernis , ut antè ab expertis audivimus.

Dico Tertiò: Nec verum videtur quod ingeniosus & eruditus Astronomus nuper excogitavit. Lunam videlicet, cùm lucet in facie obversa terris, subjectum aërem usque ad superficiem maris rarefaciendo & dilatando sic premere & impellere versus terræ centrum aquas maris, ut undique in orbem loco cedant, & in altum rebulliant.

Si enim hoc sit, Sol qui tanto potentius aërem sibi subjectum rarefacit, longè fortius & profundius superficiem suppositi maris deprimeret , æstusque excitaret ; quod tamen non facit. Nec refert , quodd radij Solis à superficie maris in aërem resiliant , ut ingeniosus ille dicit ; quia etiam radij Lunæ . Deinde eo magis aëris mari proximus & duplicitate eiusdem directo & reflexo incalescit rarescitque ; ut vero aëris proinde superficiem & dorsum maris premi & cuncti oporteat. Nec verum est, radios Solis faciei Lunæ impactos, tanquam à speculo concavo, resilire in superficiem subjecti maris. Nulla enim ejusmodi in Luna concavitas. Nec si sit, conus sive focus,

quò

quò omnes radij reflexi concurrunt, statuendus esset in aëre contiguo superficie teræ aut maris; cùm ibi tantam Lunæ potentiam non experiamur. Quomodo deinde gelidissimâ hieme, quando frigus qualemcumque Lunæ tempore tam longè vincit, ullus æstus ab aëre laxato & aquam maris premente effici potest? Quomodo non etiam lacus, & omnis aqua, perinde ac mare æstuat, cùm supernæ prematur ab aëre rarefacto, non secus ac superficies maris? Quomodo ventus similem fluxum non efficit; cùm multo durius & impressius, quām aér molli tempore laxatus, dorsum maris premat? Deinde mare centro Lunari directe in plenilunio subiectum profecto non intumesceret, sed profundâ potius lacunâ deprimeretur, circa quam æstu circulariter rebulliret. Imò veiò nec rebulliret, cùm in tanta laxitate maris, nihil occurrat quod aquam ab aëre premente, loco pulsam coarctet, & in altum se erigere cogat. Fiet ergo solum, quod lapide in lacum cadente solet, tenues quidam aquæ circuli à punto superficies maris, centro Lunæ directe supposito, in orbem se diffundent, nec tumidiorem, quām illi circuli sunt, æstum efficient.

Denique interlunio, quando facies Lunæ obversa terris sine lumine est, nec ullo tempore subiectum aërem dilatare potest, quomodo mare intumescit?

Non ab illa amplius, sed à contraria causa, responder vir ille ingeniosus. Quia nempe aér, inquit, tempore interlunij, Lunaris luminis tempore destitutus, frigore corruptus sursum retrahitur, secumque metu vacui, maris dorsum attrahit, & attollit in gibbum.

At hoc quantum paradoxum est? Nam Sol qui tempore interlunij, Lunæ est conjunctus, quomodo aërem sic frigescere & contrahi permittit? Deinde in tanta aëris & maris laxitate, si aér dorso maris attiguus, frigore contractus sursum revocetur, vix & ne vix superficiem maris directe Lunæ subiectam attollet, quia aér aliis ratiōne circumfusus, affluet & vacui periculum propulsabit. Nam aliás quotiescumque gelu, vel alià causâ aér mari

con-

contiguus contraheretur, semper gibbum ei extraheret.

In summa, hæc nova opinio cum experientia nautica pugnare etiam videtur, dum aliam formam æstu plenilunij & interlunij nobis concinnat. Ait enim in plenilunio punctum maris directè infra Lunam, tantâ lacunâ versus fundum maris esse depresso, quanto tumore in interlunio assurgit versus cælum.

Dico Quartò, Nec etiam mare, tumore quodam, vi magneticâ à Luna suspenditur. Sentire hoc tamen, cùm Lunare sidus vocat *ancillans trahensq; avido haustu maria*, Plinius videtur. Consentientque, præter alias innumeros, Ludou. Coronellus lib. 7. Physic. Lemnius lib. 2. c. 41. de Occult. Tartaretus lib. 2. Meteor. Scaliger Exercit. 52. Et in 2. d. 14. q. 3. ex Albumazare optimè explicat Scotus.

Hæc olim opinio mihi etiam non displicuit; nunc non satis placet. Sunt enim quædam quæ me avertunt.

Primò, Si altissimè sub Lunæ centro mare tumet, & in cumulum istum aquarum undique, ab Ortu, Occasu, Septentrione, Austro, contrahuntur undæ; ergo Oceanus noster æstu versus Zonam torridam, ubi mare Lunæ directè est subiectum, confluet. Nam illuc à sidere illo ancillante & trahente aquas, advocabitur, nec umquam littora Septentrioni subiecta implebit.

Secundò, In Torridâ & locis vicinis quos supermeat Lunare sidus, inflatissimi erunt æstus; cùm ibi sit vertex montis illius aquei, qui pari cum Lunâ passu Orbem maris circumambulat. Secùs tamen est. Nam Flandricus noster Oceanus non paullò tumidiùs, quam Americanus exæstuat. Curiosi enim notaverunt, æstuaria, per quæ irique reditque Duynkerce ac Ostendæ Oceanus, ad 500. circiter passus à mari extendi.

Tertiò, Vix nautas in Oceano navigantes fallere poterit hic aquarum tam altus tumor & gibbus.

Quartò, Cardinalis Contarenus, universo ejusdem maris portus, ad quos simul Luna spectare potest, uno tempore compleri affirmat. Et Joseph. Acosta à fido nautâ accepisse se dicit

se dicit, maris Pacifici & Oceani Orientalis æstus sibi in freto Magellanico obviām venire. Quod manifestè vincit, utrumq; pelagus eodem momento intumescere. Nam si Luna exoriens Oceanum v. g. Moluccarum, aut Madagascar, in tumorem aqueum contraheret, undas ex freto Magellanico & mari Pacifico versus Ortum alliceret, & utriusque maris æstus in eamdem Mundi partem, id est, in Ortum inclinaret, nec unus alteri obviām procederet.

Quid ergo nos amplectimur, postquam alios omnes rejecimus? Decrevi pænè nihil, & complicare manus. Arcanum enim Naturæ magnum est marinus æstus; de quo facilius sit dicere, quæ caussæ eum non efficiant, quam à qua præcisè efficiatur.

Dia tamen fluctuatus, in hanc imaginationem ferē de-labor.

Primo, Vi illâ Lunæ, citra insignem rarefactionem, spiritus in fundo maris demersos evocari in superficiem. Hi enim sunt qui aquam inflant, & hac illâ diffugientes eam discerpunt.

Prob. quia hac viâ incommoda rarefactionis evitantur: nec difficulter intelligitur, quomodo duo ejusdem maris portus, quorum unus ad Ortum, alter ad Occasum, uno eodemque fluxu compleantur. Deinde Contarenus Adriatici æstum ē fundo ebullantem dicit se deprehendisse: quia medium mare jam intumescere incipit, sicco adhuc Veterorum portu. Vnde tumor ē medio in littora & portus defluit. Signum igitur est, non totam aquam simul infandi, sed illam primum, quæ plurimos spiritus motores infra, se aut permixtos habet. Nam si universa alvei aqua simul turgesceret, illa quæ littora alluit, non serius quam quæ medium alvei tenet, in altum assurgeret. Sic etiam unctione dubitationem illam compono, quæ me semper jaçavit: Cur aqua ē mari in pelvim hausta, vim etiam Lunæ non perinde sentiat, atque refusa in mare. Quia, inquam, spiritu illo multo ac conferto qui ē fundo maris sursum ebullit, non tollitur in altum aqua pelvis, spiritu jam cassa, aur

certè non tam referta, quām ad æstum est necesse.

Hinc consecutaneum est, non aquam maris præcipue, sed spiritum illum aquam animantem ( ita voco, quia substantia quædam naturâ suâ fortasse aridior est, et si humore aquo nequaquam levior ) à Lunâ commoveri & in aërem attrahi, aut expelli. Et inde rationem sumo, cur flumina & insulsi lacus, aut maria quædam non æstuunt: quia scilicet spiritu isto motore copioso destituuntur. Aut certè fluminum & aquæ dulcis affluentia, virtus aut qualitas illa hebetatur, quâ se spiritus in obsequium Lunæ movent, aut ab eâ moventur. Et hinc multitudine fluminum diluta maria, ut Caspium, Euxinum, Balthicum, sunt sine fluxu.

Quod deinde Oceanus Aquitanicus septem horarum æstu Garumnam influit, recipitque se quinque solum horis in alveum, caussa haberi debet penes copiam spirituum, aut tarditatem quâ se difficulter in ascensu, ex aquis in aëris libertatem expedient. Ex hac Philosophia patet, Apollonium Thyanum, Magorum sui ævi Principem, non omnino aberrasse ( an fortasse à dæmone doctus fuit? ) in

Volater. ex  
Philostri. Epistola scripta ad Indos, quando ait, Oceanum à spiritibus sub aqua existentibus impulsu, ex multis hiaticis, qui partim sub ipso, partim in terra circa ipsum sunt, ad exteriori diffundis ac rursus retrocedere, postquam velut anhelans is quem diximus, spiritus resedit.

Aquarum etiam inter scopulos hic illuc, ex allione, reciprocatio devexitas & inæqualitas fundi; deinde venti quibusdam locis solennes & ferè perpetui, denique flumina incurrentia, hanc in Garumna, & similem aliam, ut in Euripo, Guineâ Africâ irregularitatem fluxus facere, aut adjuvare possunt. De ventis, Flandri nostri suo sæpè periculo experiuntur, quantum Circij & Cauri incidunt Oceani fluxum, & in æstuaria ac continentem propellant.

Sed cujus substantiae sunt, inquiet qui omnia volet scire, spiritus illi motores maris? Aliquis putet è bitumine esse: quia marinum bitumen, nuper dicebamus præcipuum caussam

causam esse falsedinis. Maria autem nulla , nisi insigniter falsa , æstuant. Et hoc etiam me nonnihil impellit , quod legere his diebus memini apud Andream Libavium , magnetem allicere ad se ferrum spiritu quodam bituminoso , cuius aliqua vena tam magneti quam ferro contemperata est. Videtur ergo spiritus bituminis appetitum & pronitatem quandam habere ad sequendum vim illam ancillantem & tractoria Lunæ. Hoc tamen me retinet quod Asphaltites sive Mare mortuum , bitumine stans & plenissimum , æstum tamen non sentiat. Oportet ergo aliter temperatum esse bitumen , ut ad Lunam se moveat : nam alias sincerum omne bitumen æstuaret. Nec , si quæ in magnete & ferro bitumineæ venæ sunt , reverè retinent adhuc substantiam & formam substancialē bituminis ; sed materiam tantum & aliquas ejus qualitates , quibus superinducta est forma ferri aut magnetis. Hoc etiam fortasse aliquid nos adjuvabit. Scribit alicubi Swingerus , oleum quoddam vitrioli esse , quod tumescit cum Lunâ & detumescit. Quid si igitur similis substancialæ , aut qualitatis , id est , vitriolata , ut loquuntur Chymici , spiritum marini alvei fundus contineat ?

Quidquid sit , spiritum tamen esse , vix jam amplius mihi in dubio est , qui à Lunari sidere sollicitatus in æstum ebullit. Sol tamen calore suo , quo molliter aquam fundit , & halitum illum marinum irritat , in parte adjuvat. Rarior enim paulò & mobilior spiritus redditur isto Solis tempore. Et inde est , ut interlunijs , quando Sol in eodem cum Lutâ cœtu est , incrementa sumant æstus. Vti etiam plenilunijs , quando Luna integro & tumente orbe maria despicit. Ex alijs enim effectibus certum est , lumen tunc Lunæ potentissimum esse. Quandoquidem arborum & animalium medullas , conchylia , & infinita alia humore turgescere plenilunio faciat. Vis enim ejus in aliquantulam humoris ( & præsertim spirituum quos humor continet , raritatem ) non in dissipationem valet. In quadraturis autem succissimi sunt æstus , quia nec Sol Lunam satis juvat , cum ab eâ distet

90. gradibus (tunc enim oriente Lunâ Sol meridianus est; aut contrâ, oriente Sole ipsa jam est in meridie) nec adhunc sat luminis adepta, ut totos impleat æstus, sicut in plenilunio. An autem Luna terram, aut alia corpora sicca in aquam vertat, & sic humoris substantiam novam generet, quando conchylia, medullas & humores animalium arborumque implet, aliqui affirmant; est valde quod dubitem. Non enim quenlibet humorum plenilunio augeri videmus, quod tamen fieret, si Luna humorum novum humoris adderet. Solum ergo humorum spiritosi, quales sunt in animalium & plantarum venis ac meatibus, Lunæ tempore & influentiâ augmentur, hoc est, inflantur; quia vel rarescunt, vel solo locali motu ex latebris quibusdam excicantur, vel denique, quia molli tempore calor naturalis animalium & plantarum adjuvatur, ut tempore æquali plus alimenti concoquat, & in substantiam novam viventis convertat.

Sed quidquid in animantibus fiat, certum mihi est, marinos æstu non ex productione novi humoris intumescente. Quæ enim causa subito intra sex horarum spatiū, tantam humoris copiam corrumperet, quantum detumescere æstu, mare decrevisse appareret? Deinde non novâ humoris generatione, sed locali motu accendentis aut recedentis aquæ, impleri aut siccari æstuaria, manifestè cernimus. Vnde appellatur *fluxus* & *refluxus*.

Quod autem ante dixi, solos humorum spiritosos vim Lunæ sentire, vehementer opinionem nostram firmat, æstum maris à spiritibus quibusdam in fundo aut alibi delitescentibus, & à Lunâ commotis cieri. Adèò ut in ostreis conchylijs, animalium medullis & id genus alijs, quæ cum Luna timent aut desidunt, quandam imaginem marinæ æstu habeamus. Vnde *satis exploratum esse*, ait Bodinus, *ostrea & conchylia, etiam si longissimis terrarum spatijs à mari absint, accessum efficaciter sentire, & valuarum hiatu auram marinam haurire*. Refluente verò mari easdem concludere. Quod *satis est argumenti*, maritimam auram vitalem ac salutarem esse.

Sed sane si *longissimus terrarum spatijs à mari absint, nec aura maris*

maris eōusque perveniat, unde admonentur ostrea, ut valvas  
æstu maris surgente aperiant? A virtute Lunæ, sine dubio,  
quæ spiritus ostreorum, ut maris, commovet & ad valva-  
rum diductionem titillat.

## ARTICVLVS XI.

*Quæ virtus occidente Lunâ æstus apud nos faciat.*

**H**æc una ex quæstionibus illis est, quibus intellectus  
humanus maximum ludibrium debet.

Vicomercatus, & universi ferè agmine huc eunt, ut di-  
cant, radios Lunæ ab opposito cæli fornice reverberari in  
nostrum mare. Et hactenus etiam tota Subtilis Scotti subti-  
litas stetit. Videtur, inquit, quod radij Lune non possint penetra-  
re terram: & ideo videtur, quod eundem effectum, quem caussavit  
per radios incidentes, dum esset in quartâ Orientali supra terram,  
eundem causset tunc per radios suos reflexos à Firmamento, dum est  
in quartâ Occidentali sub terrâ.

A Firmamento autem radij Lunæ reflectuntur? Spatium  
est nimis immaue & immensum. Deinde, cum Luna toties  
globo terrestri minor sit, non totum ejus hemisphærium  
illustrat. Vnde quod radij globum terræ distringentes lon-  
gius protrahuntur, eò latius à se abeunt & diuaricantur: &  
proinde si à cælo, ut speculo quodam, reflectantur, non in  
mare nostrum resident, sed in Antipodes nostros, ubi tunc  
Luna lucet. Tertiò cum cælorum Orbis diaphani sint, dif-  
ficulter radium, præsertim per tantum intervalli, retor-  
quere valent. Quarto, retorqueant sane: imbecilli tamen  
erunt & ferè nulli æstus à radio longissimâ illâ reflexione  
debilitato & evanescente. Ita cum solidos Plane-  
tarum Orbis, & Eccentrico, id est, si retinerem, sic me  
expediebam. Punctum Antiselene, id est, Antilunare,  
sive partem Eccentrici Lunæ, quæ ex diametro semper  
opponitur, simili virtute spirituum marinorum motrice im-  
butam esse dicebam. Nequedum opinionem istam desere-

Scot. in 2.  
d. 14. 4. 2.

rem , nisi cælestes Cometarum motus mihi Planetarum Eccentricos fermè diffregissent. In hac autem mea imaginatione, cùm Luna est in puncto mediæ noctis, sive oppositi hæmisphærij Meridianō, mare apud nos est in summo æstu, non quem Luna, sed quem pars Eccentrici ei opposita facit. Hæc enim in puncto medij diei nostri est , quando Luna est in puncto mediæ noctis. Sic quando Luna oritur & æstum apud nos inchoat, Antiselene sive Antiluna occidit & in opposita quarta Orbis terræ parte æstum quoque suum moveare incipit. In duabus enim oppositis quartis mare semper simul intumescit, aut detumescit. Sed quid facimus jam, si nulli sint in cælis solidi Orbæ Eccentrici? Fingimusne Antilunam qui sit Planeta oculis nostris inconspicuus , nulli Orbi solido infixus, qui tamen è regione semper Lunæ , terram cum ea circumambulet? Tot enim jam in recenti Astronomia , per liquidos ætheris campos volant & palantur Austriaci, Borbonij, Medicei, alijque novitij Planetæ, cur non & ex opposito Lunæ Antilunam ponimus, quæ vicaria sit Lunæ , & æstus moveat, ad quos influentia Lunæ pertingere fortasse non potest?

Sed quare , inquires, Planeta ille nobis non lucet ? Quia forsitan, non sat opacitatis habet , ut lumen Solis ad nos visibiliter reflectat. Nonne multi censem , partem aliquam Firmamenti pellucidam esse , quæ vi tractoria tali polleat, ut magnetem & ferrum magnete tactum in acu nautica, versus Septemtrionem convertat? Aut si per æthera liberum vagari Planetam illum displicet, fabricemus ei , non integrum Orbem , qui Cometarum ascensum supra Lunam impedit, sed annulum solum , qui Lunam & Antilunam, tamquam duas gemmas ( & quis scit , an non plures? ) infixas gestet.

Sed hæc à somniis tuis in imaginatione sunt, inquires. Et nonne etiam Eccentricos Epicyclos , ex ascensu & descensu Planetarum, Proæstus somniauit? Quàm enim sæpè & ferè ubique ex effectibus caussas somniamus ? Si aliter æstus marinus expediri , nisi per talia somnia non potest,

poteſt, cur \* Atlantem eſſe jubes, & ſomniare vetas? Et ecce mihi aliud argumentum, quo Antiluna iſta affirmari poſteſt. Nam in plenilunio non tantum primus æſtus quem Luna exoriens vi magneticā & lumine ſuo inflat, eſt abundantif- ſimus & maximē inſignis; ſed etiam ſecundus, qui Lunā plenā occidente tumescere incipit. Quam autem cauſam abundantia iſta habere poſteſt? Non Lunæ ſanè plenitudinem, quia lumen Lunæ poſt occasum ejus, influentiam tractoriam Lunæ hīc juvare non poſteſt; cum radius Lunæ luminofus per terræ opacitatem transadigi uſque ad nos non poſſit. Ergo æſtum iſtum ſecundum Soli & Antilunæ unā cum Sole ſupra horizontem ascendentī tribuere oportet. Sic enim etiam Sol interlunij tempore, Lunæ ſilentī & lumine in facie nobis obverſa defectæ conjunctus æſtum plenum & abundantem facit. Verūm, quia novum illud Antilunæ fidus non multis placitum ſcio, alium etiam unguem huic nodo diſſolvendo adhibeamus.

Quid enim ſi influentiam magneticam Lunæ, poſt ejus occasum, per totam terræ cratiſtiem ad noſtrum mare redire & penetrare affirmemus? Licet enim Lunæ lumen terreſtris globi opacitatem pervadere non poſſit, viſ tamen magneticā poſteſt. Videmus enim vim attraktivam magnetis per muros & omnia opaca penetrare. Vnde Gilbertus: *In eo vigor magneticus lumen ſuperat, quod nullo op. scō aut denſo impeditur, ſed liberè procedit, & vires suas extendit un-* Gilbert. lib. 2. c. 7. de magnet.

Similis ergo Lunæ virtus, nullo terræ obſtaculo offenſa & hebetata, ex altero hemiſphaerio ad noſtrum mare quidni redire poſteſt?

Sed vide quām multa turbent hanc ſententiam. Quæ tamen utcumque componere tentabimus.

Primo: Æſtus primi nocturni quadrantis, ſive qui à Lunę ſtatiſ occasu incipit, imbecillior & ſiccior ſemper erit, quām æſtus primi quadrantis diurni. Nam totā terræ diametro tunc Luna à mari noſtro longius diſtat, quām quando per primum quadrantem diurnum ad Meridianum noſtrum ſcandebat.

scandebat. Agens verò quod longius à paciente diffitum est, et languidius in ipsum agit. Quod etiam in magnete usu venire testatur Gilbertus. Certam enim activitatis sphæram habet, intra quam virtutis sue radios, ut lumen, momento temporis uniformiter difformiter diffundit. Vnde ferrum magis strenue ex propinquo, quam ex remoto trahit.

Respondeo tamen, diametrum terrę, in tantā Lunę & terrae intercapidine, non esse tam insignis longitudinis, ut evidens discrimen inter unum & alterum æstum faciat. Quod similitudine hac ostendi potest. Luna cum Perigaea est, seu proxima terris, unā & quinquaginta terrae semidiametris, ex sententiā Copernici, à superficie maris distat; Apogaea verò, sive cum longissimè à terrā refugit, septem & sexaginta semidiametris: id est, sublimior est, quam Perigaea, octo terrae diametris. Nec tamen ista distantiae varietas evidenter se in æstu ostendit. Mathematicè tamen rem æstimando, discrimen aliquod esse oportet. Deinde, spiritus fortasse illi æstuum motores ex altissimis gurgitibus & ipsa abyssō subterraneā evocantur. Nec illi integrā unā terre diametro longius absunt à Lunā, quando apud nostros Antipodes, quam quando apud nos lucet.

Hanc profunditatem spirituum, qui principia sunt mari- ni æstus, admirabili comparatione indicat Illuminatissimus ille Thaulerus Serm. 2. de S. Ioanne, ubi cum fundo animæ nostræ, in quo Deum delitescere dicit, comparat. *Ad hunc fundam, inquit, vel mille milliarum vires attingere nequeunt. Quæ verò latitudo in hoc seculo fundo manifestet, imaginis, & formæ, & modi expers est, & neque Hic, neque Illuc habet. Sed immensa quedam abyssus est, que fertur in semetipsa absque fundo. Vellut fluxus maris, qui modo in ima merguntur, ita ut nulla quasi illuc aqua fuisse videatur, post horulam verò magno cum impetu prorumpunt, quasi omnia sorbere velint. Sic & hic fundus in quamdam tendit abyssum: in ipsoq; propriè est habitatio Dei, multi veris, quam vel in celo, vel in omnibus creaturis.*

Secundò: Vis illa Lunę magnetica trahit, non repellit moto-

motores spiritus: igitur post occasum Lunæ, in gurgites & abyssum potius eos revocabit, inflabitque quidem subjectum sibi apud Antipodas mare, sed nostrum resorbebit, spiritus motores versus centrum terræ & alterum hemisphæriū retrahendo. Argumentum hoc, fateor, me acriter urit. Et video rarefactionem aquæ spirituumque futuram hīc commodissimam. Raritas enim rem aliquam quoquoversus in orbem laxat & dispergit.

Verū nullam insignem rarefactionem, nisi à calore hīc experimur. Calor verò Lunæ aut Solis ad quindecim cubitorum profunditatem intra superficiem maris non penetrat. In hac enim profunditate, piscatores unionem juxta Panamam in America, mare illud, maximè tamen æstuosum, gelidissimum se experiri affirmant. Et alia jam antè contra istam rarefactionem diximus.

Quid igitur facimus? Ferunt quosdam esse magnetes qui ferrum non allicit, sed respuant: quid si talem igitur virtutem Lunæ adferamus? Sic enim virtus ista spiritus maris nostri, cum Luna apud Antipodes est, revomet & in altum reijciet. Sed ecce dum de æstu illo nocturni quadrantis sollicitus sum, diurnum omni jam caussâ efficiente destituo. Nam si Luna repellit spiritus & mare, igitur asurgens supra horizontem non inflabit, sed siccabit æstum maris nostri compulso intra gurgites & subterraneam abyssum spiritu.

Itaque, si vis Lunæ ancillans, ut loquitur eleganter Plinius, tractoria tantum est, censeo retinendam esse Antisenen, sive invisibilem cæli partem ex adverso Lunæ semper ambulantem, quæ Lunari tractoriæ vi, perinde ac Luna, polleat. Deus enim qui *Solem & Lunam & omnia astra* Deut. 4. *cæli creavit in ministerium cunctis gentibus qua sub cælo sunt*, tot visibilia nobis aut invisibilia astra condidit, talesque virtutes ac influentias per illa ceteraque cæli partes dispersit, quot ac quales mortalium necessitas aut usus flagitavit. Unde de virtute aliquā cælesti marini æstus stimulatrice non tantum quando Luna supra horizontem versatur, sed etiam

quando infra est, providere debuit. Vnde quamdiu nulla alia caussa probabilior se in conspectum offert, non hoc gratis confictum, sed ex naturæ & divinæ providentie promptuarijs haustum censeri debet. Vel si quadrantis nocturni æstum etiam à Lunâ jam infra horizontem demersâ esse mavis, dicio virtutem ejus non esse propriè tractoriam, sed instigantem & extimulanten spirituum, ac marini humoris qui eorum qualitatem bibit. Quæ est Plinij sententia, qui ex æstu quem Luna post occasum suum in nostro hemisphærio movet, probat hebetes esse Epicureos, qui negant subtermeare sidera, ac rursus eadem resurgere. Non aliter, ait, sub terra manifesto sideris Lunaris cursu, aliore effectu, quam cum præter oculos nostros fertur.

Plin. lib. 2.  
cap. 96.

Lunâ igitur ex oriente, fundo maris & parietibus gurgitum cavernarumque sub aquis illiduntur magnâ vi motores spiritus, resiliuntque in altum, & quoquo versus disperguntur usque ad maris superficiem.

Et hujus ecce rei insignem imaginem in Lucretio, dum forte librum ejus sextum aperio. Loquitur de magnetæ ferri inimico & abactore, qui ramenta, seu scobem ferri in æneo vase suppositus exagitat, & quasi in furorem ac æstum agit.

Lucret.  
lib. 6.

*Fit quoque, ut à lapide hoc ferri natura recedat  
Interdum, fugere atque sequi consueta viciſſim.  
Exultare etiam Samothracia ferrea vidi,  
Et ramenta simul ferrifurere intus abenis  
In scaphijs, lapis hic magnes cum subditus effet.*

Hanc porrò ramentorum turbationem & ebullitionem æstum appellat: bellè omnino & pro æstu nostro maris.

Si enim virtute magnetis ramenta ferri sic undique sine rarefactione, commoveri & exæstuare possunt, cur Deus similem virtutem in spiritus marinos tribuisse Lunæ non potest? Hanc autem Lunæ virtutem, magneticam etiam vocamus; non quod ejusdem speciei cum virtute magnetis esse existimemus, sed quod modus agendi sit ei analogus & similis.

Sed

Sed cur , Lunâ à culmine cæli per secundum quadranten delabente , residunt & resorbentur maria , quando quidem fidus non longius absit , nec alio radiorum coniectu mare adspiciat , quām quando primi quadrantis clivum scandebat? Præter hoc nihil habeo : Quia plurimi spiritus agitatione illâ in aërem expulsi sunt , qui mare antea attollevant , aut certè laxius per aquam & sparsim vagantur. Hinc etiam ratio fortasse aliqua miraculi illius reddi potest , quod ex Aristotele narrat Plinius , *Nullum animal , nisi æstu recedente , expirare.* Et addit: *Observatum id multum in Gallico Oceano , & dumtaxat in homine compertum.* Caussam ejus tam admirandæ rei , penes spiritus Oceani motores , qui cum æstu affluunt & inflando paullatim ebulliunt , posuit olim Thyaenus. Probat enim æstum ab ejusmodi spiritibus effici , quia apud Gades agrotantibus , quo tempore excrescens aqua regio- Volatæ nem inundat , animæ morientes non deserunt. *Quod profectò non lib. 13.*

eveniret , nisi spiritus ipse in terram secederet. A spiritibus enim quibusdam salutaribus , intumescente æstu , in terram & aërem mari propinquum exhalantibus , recreari tantisper ægri possunt , ut anima , nisi relabente æstu & spiritibus dissipatis , eos non deserat ; ut olim Democritus halitu calidi panis fugientem animam aliquot dies retinuisse fertur.

Lemnius tamen noster nonnihil ab Aristotele & Plinio dissentit. Nam in Hollandia , Zelandia , & circa Oceanî Flandrici littus , hydroscopicos & plerosque quibus ex humorum plenitudine est morbus , crescente aut summo æstu suffocari ; hecticos verd , tabe , aut senio invalidos , subsidente æstu expirare ait. Cùm igitur tumidissimo æstu , quando Luna ad cæli culmen pervenit , spiritus quibus mare turget , in aërem undequaque ebulliant & expirent , necesse est ut aqua , spiritibus qui eam succollabant & suspendebant , destituta , residat.

Non est etiam insigne & evidens discerniculum tumoris inter æstum diurni & nocturni quadrantis , in plenilunijs : quia etsi lumen sideris infra horizontem depressi illuminare Oceanum nostrum nequeat ; aqua tamen ex

lumine & tempore , quem jam autē immediate à præsentia Lunæ accepit, mobilitatem aliquam & raritatem , quā spiritui impulsori magis obediat, retinuit.

Hæc sunt quæ de marino æstu muginari & meditari potui. Et fortasse hæc una est quæstionum, de quibus nos monet Sapiens , *Altiora te ne quæsieris , & fortiora te ne scrutatus fueris.* Certè si Averroes non mendax, quando Aristotèlem *Humani ingenij finem* appellavit , si Scholasticorum quorundam regula non fallit , qui dicunt aliquid superare humani ingenij culmen, si Aristoteles non intellexit ; non est quod quisquam marini æstus caussam se inventurum sperret, quæ Aristotèlem ita obstupefecit, ut vocem etiam perdidit. Non revelat autem abdita ista naturæ hominibus Deus, ut mysterijs Christianæ Fidei promptius intellectum submittamus, dum in rebus etiam naturæ, ad exclamacionem illam Apostoli fugere cogimur , *O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles via eius !* Ut illi soli omniscientiæ laus & gloria detur , qui sit benedictus in secula.

## C A P V T I I .

## De Fontibus.



ISTINGVENDA hæc vocabula & res: fons, flumen, fluvius, amnis, rivus, torrens. Fons est aqua jugi fluxu è terrâ manans. Aut certè, si fontes etiam comprehendere voles, qui in rivos non effugiant, sed instar puteorum, aquas suas resorbent. Fons est aqua è superficie terræ jugiter ebullans. Flumen & fluvius synonyma sunt, & à fluxu nomen habent. Flumen enim est aqua majuscula, perenniter alveo defluens. Amnis, inquit M. Varro , est flumen quod aliquid circuit. Nam ab ambitu dicitur amnis. Amnes igitur sunt omnes Maeandri , qui

*In mare deducunt fessas erroribus undas.*

Ovid.  
Met.

Flumen

Flumen à rivo magnitudo discernit, ait Vlpianus, aut circumcolentium aestimatio. Re enim verâ, definita magnitudo statui non potest, quam flumen flagitet. Et apud quosdam rivì appellantur, qui alibi, ubi aquæ penuria major, nomen ferre possent fluminis. Nulla verò aqua mihi dignitatem istam fluminis mereri videtur, quam homo pa- sim saltu, nullo baculi adminiculo, transmittere valet.

Rivus ergo est aqua tenuior è fonte in alveum infusa, & jugiter decurrens. Pro alveo igitur rivum continente accepit rivum Vlpianus, cùm finit, Locum per longitudinem depresso, quò aqua decurrit. Similiter M. Varro fontem pro loco scaturiginis, ubi inquit, Fontem esse, unde funditur è terra aqua viva. Vbiaqua viva, dicitur talis à motu continuo, ut Mercurius argentum vivum.

Ceterum multi rivi in unum corrievati mensuram impletant justi fluminis.

*Flumina magna vides parvis de fontibus orta.*

Ovid. de  
Remed.

*Plurima collectis multiplicantur aquis.*

Rarum enim est, ut fons in totum statim flumen erumpat.

Flumen & rivum à torrente separat perennitas.

*Flumen perpetuo torrens solet altius ire :*

Ovid. de  
Remed.

*Sed tamen hac brevis est, illa perennis aqua.*

Torrentem definit Festus, *Fluvium subitis imbris concitatum, qui siccitatibus exarescit.* Torrente enim à torrendo deductum, quod propriè significat, siccare. Vnde Veteres aridum, torrum, & torridum vocabant; & nos etiamnum, æstatem siccain, torridam. Quia verò torrentes ex aquâ cœlesti, aut nivibus, Statius vocat

— *Nubigenas è montibus amnes.*

Græci verò χειμῶνες ποταμοὺς λέγουσί τοις umina: quia hieme maximè liquatis nivibus, aut aquâ, quæ tunc plures & pertinaciores, colliguntur.

Ex dictis intelligi potest, foras, flumen, &c. constare aquâ, ut materiâ; eruptione verò è venâ subterraneâ, aut lapsu per alveum, tamquam formâ.

## ARTICVLVS I.

*Vnde materia fontium.*

**F**lumina & rivi palam fontibus eliquantur: occultior, & in abdito est fontium origo ac materia. Quidam sub terrâ cavitates amplissimas, quibus pluviales & nivales aquæ toto anno colligantur, constituunt; & inde haurire fontes existimant. Sed refellit Aristoteles, quia tantum aquæ circa totum annum, terræ venis effunditur, quantus est totus terræ globus: igitur terram ad summam usque cutem excavatam, & aquis plenam esse oporteat, ut tot fontium & fluminum perennitati sufficere possit. Verum, quia vis argumenti hujus evitari potest, si statuas, aquam quæ toto anno effluit, non simul contineri venis subterraneis, sed parte unâ in scaturigines fontium effusa, supplementum à pluvijs novis aut nivibus venire; addi potest è Senecâ altera ratio. Quod aqua cœlestis intra primam terræ crustam consumatur, nec in inferiora descendat.

*Lib. 3. Nat. cap. 7.* Nam ego, inquit, tibi vinearum diligens fossor affirmo, nullam esse pluviam tam magnam, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat. Deinde, quædam flumina erumpunt faxis & montibus, quibus parum conferre valent pluviæ, quæ per nudas rupes deferuntur, nec terræ mollitiem, aut rimas inveniunt, in quas se insinuent. Et tales nihilominus aliqui toto anno, pleni & abundantes ire solent. Ut de Langiâ Nemeæ sylvæ fluvio Statius:

— Langia perennes

Servat aquas. Solet & rapidi sub limine Cancri  
Semper, & Ita ~~et~~ et in tuba fulgeret astri,  
Ire tamen.

Et quidam apud Seneca ~~er~~ omnes terram multa aquarum genera decurrunt. Aliud petui amnes, quorum navigabilis etiam sine adiutorio imbrum magnitudo est.

Non videtur tamien hec aestimasse Leon. Lessius: Flumina, inquit, ex nive & imbris, qui in mediterraneis & montosis locis deci-

decidunt, colliguntur & perpetuantur. Additque, per saxonum commissuras, ad radices montium & in scaturigines fontium pervenire. Vnde, ait, si duobus vel tribus annis nihil vel pluviae vel nivis caderet, necesse esset omnia flumina, & omnes panem fontes inopia materia deficere. Et ego profecto siccitatibus perpetuis torridae illius æstatis Anni 1619. plurimos fontes adverti exaruisse, aut tenuissimo & sitienti aquarum filo profluxisse.

Sed rem hanc dubiam facit Georg. Agricola, rei metallicæ diligentissimus Scriptor. Nam rimæ saxonum montanorum, plerumque vix octavam, inquit, digitii partem latæ sunt. Raræ etiam commissuræ, venulæque rariores, quæ centum sèpè pedibus à se distant. Quomodo ergo tantum aquæ per istas angustissimas rimas, montium alvis infundi potest? Deinde, major pars vaporum in mare repluit, antequam venti in terram abduxerint: & qui in terram cadunt, bonâ etiam ex parte ab ea sorbentur in alitudinem plantarum; tantumque in cavitates subterraneas effunditur quod supra desiderium cecidit, nec poris combibere valet.

Denique Ecclesiastes disertè: *Omnia flumina intrant in mare, Eccl. 1. & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Si autem flumina ex mari, igitur & fontes inidem suas aquas hauriant, quia per fontium scatebras, flumina alveis suis infunduntur.

Scio respondendum, fontes ac flumina mari exire, quia vapores & aquæ nivales ac pluviales è mari calore Solis extrahuntur, quæ posteà in fontium & fluminum materiam reliquantur. Attamen Scriptura magis indicat quemdam aquarum per venas subterraneas circuitum, quo è mari in fontium scaturigines veniant, & inde in mare iterum revolvantur, ut rursum ad scaturigines redeant. Iacob Gen. 49: etiam benedicit filio Ioseph *benedictionibus cali desuper,* (fundentis scilicet temporibus suis pluviam) *benedictionibus abyssi jacentis deorsum;* unde fontibus fluminibusque subministratur materia, ad irrigandam terram. Quod alibi etiam repe-

reperitur , distinguiturque manifestè duplex irrigatio , qua-  
rum una superne è cælo & nubibus , altera infernè ex sub-  
terraneâ abyssō venit . Innuit etiam ille Apocryphus , ro-  
gans , quanta sunt habitationes in corde maris , aut quanta vena  
sunt in principio abyssi , aut quanta sunt vena super Firmamentum ?  
4. Esdr. 4.  
S. Aug.  
Psal. 148.  
Homer.  
Iliad. p.  
Et S. Augustinus : Sunt speluncæ aquarum latentium , unde flumina  
unde fontes procedunt , ut fluant super terram . Homerus quoque  
in Oceano omnium fontium fluminumque originem ponit .  
Quod Plato in hunc sensum explicat : Oceanus venis qui-  
busdam in Tartarum abyssumque subterraneam combibi-  
tur . Ac deinde agitatione quadam , aut reciprocō tumore  
in fontium scaturigines superfundit .

Aristoteli nihil horum placuit , sed aquam fontium ex  
aëre subterraneo , frigido , stagnante , & suffocato immedia-  
tè gigni , contendit . Quem tamen deserunt plerique Pe-  
riatetici ; imd Iul. Scaliger etiam , qui rarissimè , aut num-  
quam alibi solet . His præstructis ,

Dico Primo : Pluviæ & nivales aquæ plurimum con-  
ferunt fontium abundantiæ & perennitati . Satis id evin-  
cunt , quæ antè obstendimus . Hæc etiam ratio est , cur ar-  
boribus vestiti montes pluribus venis scaturiant , aut ube-  
rioribus , quæm investes illæ & nudæ cautes ; qnia scilicet  
arbores umbris suis aquam imbrium & nivem defendunt ,  
ne Sole vaporatæ ( quod in locis campestribus & apertis  
evenit ) in altum rehalentur , antequam in cava montium  
per poros & venas destillent , ut scitè notavit Vitruvius .

Vitru. lib  
§. c. I.

Secundo : Subterranea abyssus sola multos fontes alit ,  
& plerisque omnibus alijs suppeditat aliquam materiae par-  
tem . Id antè ferè satis firmavimus . Ac inde fit probabile ,  
quod ubique sub terrâ vena uberes , siccissimis etiam locis  
inveniantur , in altitudine non decem tantum aut centum  
pedum , quò fortè cælestis & collectius humor pervenit ,  
sed etiam orgyarum quingentiarum , ut in Bermanno te-  
statut Agricola .

Vnde non de nihilo Virgilius , describens quid Aristæus  
sub terra viderit , dum Cyrenes Nymphæ & genitricis  
sus

suæ domum & subterraneum cubile invisit.

*Iamque, domum mirans genitricis, & humida regna,  
Speluncisque, lacus clausos, lucosque sonantes,  
Ibat, & ingenti mox stupefactus aquarum,  
Omnia sub magnâ labentia flumina terrâ  
Specatbat diversa locis, Phasimque, Lycumque,  
Et caput, unde aetus primum se erumpit Enipeus.*

Virgil.  
Georg. 4.

Ex hac ergo aquarum ibi abundantiam parabilem fontium materiam habemus ; & una optimam rationem , cur illa abyssus , aut mare , non redundet. Quia videlicet , mare venis transcolatur in abyssum , abyssus vero in fontes se partim exonerat. Hinc eleganter Rupertus abyssum hepati Rupert. lib. animalium comparat , unde per venas & tubulos se sanguis 2. c. 24. de Trinit. per totum corpus dispergit. Imò affirmat hunc esse fontem , ex quo fluxerunt quatuor flumina Paradisi : qui etiam Gen. 2. 4. matix & mamma , inquit , ceterorum fontium omnium est. Ostendam quoque Articulo sequenti , Aristotelem ab hac mente vix latum unguem abesse. Sed ingens difficultas & rixa est,

### ARTICULUS II.

*Quæ caussa aquam fontium in scaturigines pellat. Malè à Bodino , Conimbricensibus , Scaligero , Valesio assignatam.*

**S**uppono , omnem aquam naturâ gravem , & sponte suâ sursum per aërem se rariorem nunquam ascendere. Hinc sequitur , quod Aristoteles , & experientia aquilegium docet ; fontes nunquam altius è terrâ spontali impetu emicare , quâm sit origo , unde aqua primum coepit defluere. Ut si in verticem montis deducere aquam velis , montem alterum paris aut excelsioris altitudinis , & in cacumine ejus fontem reperire oportet ; quem deinde tubo demisso , & in verticem alterius montis reflexo , infundas. Sic enim tubus totus impletur , & aqua per medium vallem eousque ascendet , donec superficiem suam in eodem circulo

D d d

centrum

centrum terræ ambiente , cum superficie scaturiginis componat. Quia , ut Epist. ad Paullum Capram docet Bapt. Benedictus , aqua una premit alteram , & tantum sursum elevat, quantum ipsa est elevata. Hoc est quod brevissimo

S. Ber. Ser. 4. Vigil. verbo absolvit S. Bernardus: *Fons, inquit, ad altiora non ascendit, quām sit locus eius unde procedit.*

Nat.

Hoc igitur mihi dari volo : Aquam ex subterraneâ abyssō , non nisi à vi externâ in ora fontium posse attolli. Aliás enim fieret quod in Proverbio est , & Aristoteles Platoni obijcit, ἀνα τόπου, sursum flumina. Sed quænam illa vis est? Poëtæ Nymphas urnis haurire , & effundere in scatebras fabulantur.

Iovian.

*Cœrulea per stagna agitant liquefacta Nymphae,  
Alternisq; impletant undantes roribus urnas,  
Alternisq; simul effundunt.*

Et video, quibus Angeli forte haustores , abactis Nymphis, substitui non displicebit. Sed quæso, humanius paullò philosophemur.

Bodin.

lib. 2.

Theat.

Io. Bodinus putat terram intra mare , ut navem, vi deprimi, fontesque emicare, ut aqua per rimas è fundo navis, aut per cribrum vi adauctum , sursum ebullit. Sed fundus hujus opinionis falsus est : nempe mare gibbo quodam altiori supra terram elevari. Item, non tantum in montibus & vallibus, sed è plano etiam sæpiissime, aquâ vi terræ tergum dirumpente, exsilirent fontes. Denique, omnes terræ specus redundarent aquâ , & tota terra undique scatebris difflueret ; veluti sanguine corpus , abruptis & apertis undique venis.

Conimbr.

Tract. 9. c. 5.

Meteor.

Molin.

Oper. 6.

diuers. d. 11.

Conimbricenses credunt aquam corporum cælestium influxu in scaturigines attrahi. Et adjuvari insuper vi quædam tractoriâ ipsius terræ , quæ more spongiae humorem sursum prolectat. Idem Philosophi Parmenses in Thesibus quas nuper legebam. Et accedit Lud. Molina , Affertque similitudinem panni, qui aquæ partim immersus humorem altius bibit & evocat extra aquæ superficiem.

De astris illis aquarijs , in primis non placent : quia hoc

est

est imbecillitatem fateri, statim tam procul & usque in cælum fugere. Deinde , cùm eadem astra per totum eundem terræ parallelum circumferantur, ubique in illo tractu vim illam attrahicem ostenderent; quod est falsum. Cur etiam aquæ situlam sub diu expositam stellæ illæ aquariolæ non exhauriunt?

Vis etiam magnetica aquam emulgens & sursum invitans, per fugam difficultatis, & sine magno veritatis colore , allinuit orificijs fontium.

Primo , quia sic numquam fontium venæ in cælum exsilirent, sed ubi aqua ad summum labrum fontis pervenisset, ibi fixa hæreret, nec saliret altius ; sicut ferrum , cùm magnetem attigit, ibi in ejus amplexu hæret , nec ultra ire conatur.

Secundū , cùm ubique montium, collium , & terrarum nasci possint fontes ; vel ubique sine delectu, vel nusquam statuendæ sunt vires illæ aquarum ancillantes & tractoriæ.

Tertiò , manifesto experimento vires illæ deprehendi possent. Nec enim tantum ex alvo suâ & cavitatibus subterraneis mons aquam attraheret; sed foris etiam per exteriorem superficiem subjecto flumine aut lacu humor subiret.

Quarto, ubi semel tota semita,quâ humor ab abyssō subterraneâ ad scaturigines fontium ascendit , immaduisset, non amplius attraheretur illâc aqua. Ita enim in calce , pane,panno ( ad quorum experientiam nos vocant ) videmus humorem non ultrâ scandere , ubi pori saturati, & siccitas expulsa fuerit.

Sed tamen, nec vim magneticam in calce, & id genus siccis & porosis ( quidquid alij donent ) concedimus. Viginti amplius sententiæ inter se rixantur, quâ vi aqua per pannū, calcem, panem partim immersum, subeat in partem sicciam & suspensam extra humorem. Ut videas quâm in minutis etiam istis, ne superbia nos inflet, ingenia humana inveniant ludibrium. Quidquid sit , non placet tamen à siccitate per vim tractoriam,humorem, id est hostem, sursum evocari,in propriam necem. Obiter vero & in transcursu hoc censeo.

Tenuiores partes humoris suapte levitate insinuare se in poros. Vnde facilior & evidentior est ascensus; ubi aqua calida est & fumans. Item in vino, præsertim Hispanico, & humoribus vaporulentis, quam in aqua. In pannum enim frigidum, aquam algidam, expertus sum ne hilum quidem per totum diem subiisse. In panem verò nostrum biscoctum, quo secundis mensis utimur, satis raptim aliquousque scandit vinum. Sed spiritus vini præsertim id faciunt. Nam spiritali aliquo humore statim & facilimè panem istum biscoctum resolvi constat, cum illicè flaccescere soleat flante Austro. Spiritus autem illi partim sponte vino exhalantur, partim modico tempore, quo panis in vinum agit, resolvuntur. Constat enim, vinum etiam gelidissimum, postquam à pane, etiam à furno aut ab igne non recenti, combibitum est, intepescere. Sed unde pani vires illæ calorificæ? Dic, sicca ista & porosa corpora spiritus quosdam calorificos continere, præsertim ubi multi & conferti, in unum ab humore compulsi, confluxere. Quod in vivâ calce est evidenterissimum. In ceteris verò & paucitate spirituum, & virium imbecillitate non ita deprehenditur.

Scal.

Exerc. 46.

Iul. Scaliger viam aliam est muginatus. Ut aqua putei, à lapide aut rotundâ tabulâ, quæ æquali sit cum orificio putei latitudine, compressa, in altum per laterales tubos exsilit; ita putat aquam subterraneam ab aquâ maris aut alio pondere supernè pressam, elidi sursum & emicare in ora fontium,

Miror ingenium Scaligeri potuisse hic acquiescere. A qua enim illa putealis exsilit per tubos ei immersos, quia maximâ vi supernè à ponderosissimo lapide in puteum demisso premitur, nec alias, nisi per tubos apertos, exitus ei datur. Quid autem perpetuò sic lacus subterraneos premit? Si enim saxum forte aliquod ingens in gurgitem cadat, aquam simul & semel in altum elidet. Sed quis iterum elevabit, ut denud recidat, ut aquam sèpius & toto anno in scaturientes expellat? Mare verò, si humilius orificijs plurimorum fontium est, ut nobiscum Scaliger supponit, numquam tam gravi pondere in abyssum subterraneam pro-

procumbit, ut in altiorem, quām ejus superficies est, locum exprimat. Maximē cūm non totā mole ei proximē incumbat, sed per longos sēpē & tortuosos meatus tantū se ei infundat.

Hinc Valesius ad æstus & fluctus maris recurrentum existimat. Fontes igitur ei in montium etiam verticibus scatent ex aqua subterraneæ abyssi, quam æstus maris quotidiani, & fluctus tempestatum eousque attollunt. Sed iterū frustrā. Nam æstus ad decem solos aut quindecim pedes, non ad altitudinem montium, ubi scaturiunt fontes, intumescit. Tempestates autem & decumani illi fluctus non sunt tam ordinarij & solemnes, ut fluxum fontium diu pari semper abundantia continuare valeant. Itaque ubi tempestas & turbatio erit in mari, fontes statim uberioris profluent; flaccescent verò cessante fluctu, & venam tenuabunt, si non siccant. Deinde, ubi mare minime tempestuosum, quale Pacificum, nulli in Regionibus circa, excelsis locis fontium latices exsilient.

In re igitur tam perplexâ, & ubi tot & tanti Philosophi perdiderunt acumen, non mirum, Lipsium etiam nostrum aberrasse. Censet enim, superficiem maris adæquare juga montium, unde se fontes expurgant. Sed mare littore suo altius non est.

Finiamus cum Plinio & Vitruvio. Volunt (& cum ijs D. Basil. Homil. 4. in Hexaëmerum, ut jam video) aquam abyssi, spiritu quadam in juga montium adigi. Et patere inde existimat Vitruvius: quia si latius circa venam fodiat, aqua residit, & refluit deorsum in naturale suum libramentum; velut aqua in olla tumorem ponit, sublato operculo, & diffugiente qui eam leviter spiritu.

Verum spiritum istum valde levatum & vehementem esse oporteat, qui tam altè aquam recollet, & tam ubertim implet fontium venas. Vix efflatum ejus facile percipere erit, si quis scaturiginibus apponenteret manum. Quod tamen mendacij est compertissimum. Deinde, ut spiritus tanto impetu aquam sursum efflaret, necesse foret, subterraneam

Lipf. lib. 2.  
c. 26.  
Physiol.

terraneam venam esse tubum aliquem undique clausum & aquâ plenum; ut scilicet ventus infernè inspiratus, non aliorum effugere posset, quam aquam ante se agendo, & expiendo sursum. Tales autem subterraneæ venæ nullæ sunt, aut rariissimæ. Tertiò, quæ caussa spiritum illum elevat, & tanta vi in venas adigit? Et ( quod caput est ) unde illi tanta constantia, ut toto etiam anno per eandem semper venam sine interpolatione spiret? Flatus enim naturales tam diu pertinaces esse non solent, & sapissime interpellantur.

Sed hoc pœnè omiseram. Fortasse quis existimet aquam ex abyssō in venas subire metu vacui. Sed cave hoc etiam credas. Non enim potest esse vacui periculum, ubi tanta venarum laxitas est; nec ita plenæ, quin plurimum ubique aëris admittant. Ipse etiam aëris per omnes terræ poros, velut in spongiam insinuatus, & in omnem vacui occasionem paratus, liberat aquam ab illâ se movendi, ad depellendum vacuum, sollicitudine. Vnde licet arte creari possit tale periculum vacui, ut aqua per tubum vndique conclusum ascendat, exsucto aëre; id tamen exemplum in venis subterraneis locum invenire vix & ne vix potest. Quia nec ibi est qui exsugat aërem, & si sit, alias aëris tamen per parietes venarum facile ei succedet, quia rimosi sunt & ubique respirant.

### ARTICVLVS III.

*Vera caussa quæ aquam fontanam deducit ad scaturiginem.*

**D**I CO PRIMÒ: Aq[ua]s niviales plerumque gravitate suâ in ora fontium fluunt. Sunt enim altiores, quia supernè in hiantes saepe in rimas insinuatæ, visceribus montium colliguntur, inde pondere suo ad radices defluunt, ubi frequentius scaturigines ebulliunt. Idem est in aquis nivium, quæ de canis montium capitibus in viscera liquantur & destillant.

Se-

Secundò: Aquæ altera portio, quæ non è caelo, sed ex abyssò inferiore in ora fontium venit, per vaporationem ed ascendit. Prob. quia nullam aliam viam fecimus reliquam. Secundò, experimento metallariorum, qui supra capita fontium, nil nisi roscidos lapides, aut terram vapore humectam reperiunt.

Tertiò: Aquileges signum venæ sublatentis habent, si manè vaporem tenuem è terrâ scandentem viderint. Quem Vitru. lib.  
8. c. 1.  
deprehendi docet Vitruvius, mento æstate ante ortum Solis ( Augustum mensem ceteris præfert Palladius ) in terram procumbente, oculisque ad Orientem versis, & superficiem terræ aspectu radentibus. Vbi vapores tremulos & colludentes aspexerint, ibi fodiunt. Similiter tussilago, & aliae quædam herbæ, quarum radices vaporem illum avidè bibunt, indicium latentium aquarum præbent. Cùm igitur fumos istos vaporulentos jugiter ex aquis subterraneis scandentes habeamus, quidni juxta terræ superficiem, & in capitibus montium, statuimus frigore redensari, & in origines fontium refluere? Et hinc ecce optima se mihi suggerit ratio, quare hieme nec nivali nec imbriferà, fontes aquam tamen largius, quam æstate ( nisi valdè pluvia sit ) vomant. Plures enim à spiritibus tepentibus & inclusi terræ per hibernum frigus, vapores ex abyssò, & alijs aquis subterraneis gignuntur; qui venas proinde fontium ubiores faciunt.

Quartò: Thermarum, & fontium tepantium aquæ à subterraneis ignibus vaporantur, ut Artic. proximo ostendam: igitur verisimile est, ex ijsdem fumis refrigeratis, & excusso longis per venarum anfractus erroribus fervore, ceteros fontes lymphas suas colligere. Et hæc intima cauſa videtur, cur montes præcipue sint scaturiginosi. Quia, inquam, montes sæpiissime ignes suppositos habent; etiamsi ob profunditatem foci, vel exiguitatem ignis à nobis, id non intelligatur. Mons igitur instar capitis Alembici in distillationibus Chymicorum est, in quo vapores à lento igne supposito in altum expulsi, refrigerantur, & tam ab int.

internâ formâ aquæ , quâm rigore ambientium saxonum, ad naturalem densitatem se reducunt. Guttatim quidem primò ; deinde plures per modum imbris in unum torrentem confluentes , ac prolixiore circuitu incrementa majora colligentes , plenâ tandem venâ ebullant.

Ex quo liquet , fontium generationem imbribus planè esse affinem. Ut non immerito (huc,nisi mentior, alludens) Poëta ille animosus fluvios nubium cognatos appellari.

— *summis cognatos nubibus amnes.*

Vel etiam, si hæc imago allubescit. Quod in homine, lacrymæ & catarrhi frigore cerebri , in cranio densati & deorsum in podagram , aut alium humorem repluentes sunt, id in montibus fontanæ aquæ. Caput ergo mons est , oculi fontium scaturigines & orificia : juxta illud, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Lacrymæ tamen falsæ , fontes plerique dulces sunt ; quia lacrymæ per loca algentia & angustissimos terræ poros non transcolantur, ut aqua fontana ; nec longis ambagiis in oculos è capite defluunt, ut fontes in scaturiginem solent. Hæc enim causa aquis fontanis salem detergit, si quem forte initio (quod tamen rarum ) habuerunt. Eadem etiam longâ agitatione spiritus suos excutiunt, qui faciebant teponem.

Quandoque tamen evenit, ut statim & recentes adhuc ab ignibus, gelidae tamen aquæ ebulliant. Ut in Aquitanâ & Pyreneis , ubi tenui discernente intervallo frigidæ juxta calidas emicant, teste Plinio. Verosimile autem est, utrasque ab eodem vicino subterraneo igne vapor.ri. Frigidæ , laxitate venarum per quas fluunt, aut frigore terræ vel cautium quas lavant , calorem exuunt , antequam in lucem erumpant.

S. Clemens verò in Epistola sua nuper allata ex Oriente & typis excusa An. 1632. non lacrymis oculorum , sed lacti uberum , elegantissime etiam comparat ; atque *fantes præbere hominibus ubera indescientia ad vitam sustentandam.*

Igitur abyssus subterranea est hepar , ignes subditæ sunt calor hepatis, vaporessunt sanguis , meatus ad ora fontium sunt

Stat.  
Theb. 1.

Jerem. 9.

Plin. lib. 31  
c. 2.

sunt venæ ad geminos colles uberum. Et veluti sanguis qualitate uberum in lac mitescit & mutatur; ita subterranei vapores, montium collumque frigore, in fontanam convertuntur.

Nec hanc uberum & fontium similitudinem solidè Plutarchus refellit, experimento Paulli Emilij Ducis Rom-<sup>Plutar.  
in Paulla</sup> in bello adversus Perseum Macedoniæ Regem. Exercitus enim Romanus, inquit, juxta montem Olympum penuriâ aquarum laborabat. Paullus autem arboribus & arbustis virentibus vestitum montem conspicatus, humorem unde alerentur subesse conjectans, fodi circa radices montis jussit; moxque, velut è corpore humano percussâ venâ sanguis, sic è monte latex undique emicuit. Vnde confutari eos Plutarchus credit, qui docent fontium aquas in monte aut colle unde profluant, veluti lac in uberibus matrum generari, non autem ex præparato & anté collecto in locis subterraneis asservari.

Verum, sicut non dicunt illi Philosophi, lac in ipso mucrone papillæ quam infans sugit sed profundiùs intra ipsam mammarum substantiam formari; ita nolunt aquam fontium in supremis scaturiginis labris, sed intra montium collumque venas & concava, frigore cautum concrescere, ibique tanquam lac in mammis, colligi. Origo tamen prima altior est, nempe ex inferioris abyssi vaporibus; sicut lactis materia ex sanguine, quem omnis humoris humani corporis fons hepar fundit.

Ex his etiam sumitur ratio, quare fontes quandoque exarescant. Vel scilicet, quia vena, collabente terrâ obstruitur, avettiturque, aut retroagitur humor; vel quia defectu novi supplementi, aqua unde ascendit vapor, siccatur, aut igniculus eam vaporans suffocatur. Hinc enim, quia calidifontes ignem in materiâ multâ ardenter habent, nec subterranei lacus aut putei in quos agit facile deficiunt, magis perennes & quodammodo æterni sunt. Rarissime quippe, ait Fallopius, fontium calidi siccantur, extatque, <sup>Fallop. lib.</sup> inquit, à 2000. annis memoria Aponitanæ aquæ. Nam de <sup>de Therm.</sup> c. 2.

It is à 1600. paullominus profecto annis Lucanus:

Luc. lib. 7.

*Aponus terris ubi fumifer exit,*

*Atque Antenorei dispergitur unda Timavi.*

Fatetur etiam Gœbelius, Thermas Annæbergenses in Mis-  
niâ pari semper venæ ubertate, æstate, hieme, à tot jam  
annis profluere.

In hanc etiam de origine fontium opinionem facilè de-  
duci potest Aristoteles, cùm subterraneum aëra in fontium  
latices cogi affirmat. Vaporem enim sæpè aërem vocat. Et  
reverà totus hic circa & intra terram aër, continuus ferè  
qui dam vapor est; cùm totius elementi aëris sit quoddam  
sedimentum, & in ipsum omnes superiorum regionum hu-  
mores paullisper gravati desidant. Et quām minimo pænè  
frigore statim aquescat, patet ex superficie exteriori vitro-  
rum, quæ infuso vino aut aquâ gelidâ, subito rorat, & ve-  
luti pinguedine quâdam illinitur, aëre scilicet ambiente,  
frigore liquoris infusi, in rorem coacto. Non enim doctissi-  
mo Mercuriali accredo, qui liquorem per vitri crassitatem  
transludare credit: cùm multis experimentis mihi constet,  
vitra minimè porosa esse, aut non tam laxè, ut momento  
transmittant tam densum humorem.

Eccle. I.

Non tamen existimo, solum aërem subterraneum suffi-  
cere perennitati tot fontium & fluminum. Aliás enim  
oporteret brevi tempore totum pænè elementum aëris in  
cavernas subterraneas defluere, ut perpetuò convertatur in  
aquam toties aëre densiorem. Deinde, Scriptura sacra, è  
mari, non ex aëre, generari fontes & flumina significat. *Om-  
nia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum unde  
exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Quia scilicet mare  
in venas terræ delapsum, ignibus deinde, aut spiritibus calidis  
viscera terræ calefactibus in capita montium vaporatur.  
Dixi, aut spiritibus calidis. Quia non soli subterranei ignes, sed  
spiritus aut mineralis (quo media terræ regio, unde etiam  
metallarij eruunt metalla, semper æstuat) aut supernè poris  
terræ infusus, aquis subterraneis tempore & halitum vapo-  
rulentum, qui in humorem fontium refrigerescat, conciliare  
potest.

potest. Sic enim ex fimo , aut foeno humido & compacto, imò hordeo aut tritico madefacto , impeditâ respiratione, calorem concipi , & fumum exhalari videmus. Quod vestibus pelliceis etiam evenire, si atcte comprimantur, Hippocrates narrat. *Quin & vestis pellicea, inquit, vehementer colligate & compressa, per se exuruntur, veluti ego vidi; non secus ac si igne conflagrarent.* Sic ergo viscera terræ , libertate respirationis impeditâ, incalescunt , & aliquid sursum semper exhalant, quod in humorem fontium deinde coagulatur; sicut viscera ac interanea hominis semper aliquid in caput expirant, quod in cerebro frigeratum, in saliuam, phlegmata, & catarrhos refluit. Certè tamen aquæ subterraneæ aliquam vaporationem necessariò interponendam , jam antè satis ostendi. Nec aliùs nunc modi mihi in mentem venit, dum altitudinem montium & locorum, unde vivi latices emicant contemplor. Ecce , ut alia infinita insuper habeam ; fons Marsyæ amnis *ex summo montis cacumine excurrit*, ait Curtius. *Carr. lib. 3*

In Oceano juxta Scotiam summus excelsissimi scopuli apex aquam dulcem largissimè vomit, magno , inquiunt , naturæ miraculo. In supremâ etiam altissimorum montium Peruvianorum planicie frequentissimi lacus sunt , non ex nivibus collectitiij, ut Ioseph. Acosta ostendit ; sed naturali , & toto anno æquali abundatiâ, infernè eos alente venâ. Et ut intelligas, ignium ( qui sub illis montibus satis certi , quandoquidem crateribus plurifariâ se in auras exspuant ) effectus esse; quidam eorum sunt calidi.

Quispiam tamen pertinax , qui in aëre subterraneo sat esse materiæ ad alendos fontes, sine aquarum vaporatione, defendere perseveraret , exemplo hoc, quod nuper in Cardano cum voluptate & admiratione legebam , juvari potest. Anno 1481. quidam æger in Italâ , urinæ libras singulo quoque die 36. reddebat , cùm in cibum potumque simul non plus 7. libris insumeret: Vnde urina 29. libris superabat. Idque sic factum spatio 60. dierum. Quo tempore colliguntur libræ urinæ 1740. ultra cibi potusque substantiam: cùm tamen totum ægri corpus vix 150. pon-

Eee 2. dere

Hippocrat.  
lib. de nat.  
pueri.

Acosta lib.

3. c. 16.

Histor.

Indic.

Lib. Variet.  
8. cap. 44.

dere æquaret. Quæsum fuit à Io. Marliano, inquit, unde id contingere posset? Respondit, aërem qui in arterijs ubique continetur, in substantiam aqueam converti, eaq; cieclâ, aliud succedentem similiter in aquam converti; atque ita multiplicari. De Lasyrta etiam Lasyonio, potu non egusse, minxisse tamen, velut ceteros homines, scribit Athenæus: multoq; aggressus id curiosè observare, antequam rem satis explorassent, non credidisse. At per aëstatis tempus, cum triginta dies illi assedit, cibarijg; nullis abstinentem salcis vidissent, vesicam tamen exonerari lotio plenam, tandem verum id esse sibi persuaserunt.

Quod iterum ex transmutatione aëris & superfluorum cibi in urinam, factum oportuit. Verumtamen licet similis conversio subterranei aëris juvare possit generationem fontium, non tamen implere, nec tot annorum perennitati sufficere, ut autè satis, ut puto, probatum.

#### A R T I C V L V S . IV.

*Vnde calidi fontes qualitatem illam habent.*

**F**ontes aut puri sunt, & nullo sapore infecti, aut medicati. Qui scilicet peregrinâ aliquâ qualitate, & sapore præsertim, adulterantur. Inter medicatos, calidi maximè insignes sunt. Vocantur etiam à plerisque, metallici; quia metallum aliquod ut plurimum, ait Fallopius, resipiunt. Quidam tamen communi frigidorum, aut nullo sapore sunt; ut Thermæ in agro Lucensi & Pisano. Quidam etiam tam grato, ut quis præ ijs, ait Vitruvius, non desideret fontem Camoenarum extra portam Capenam, vel Martiam viâ Prænestinâ, quem Plinius clarissimum vocat toto Orbe fontem.

Vitru. lib.  
3. f. 2.

Quidam credunt, radijs solaribus aquam subterraneam fervefieri. Sed radij ad istam profunditatem non perveniant. Deinde nec aquas quidem Soli expositas sic calefaciunt.

*Alij agitatione ventorum sub terrâ fiantum incalescere malunt.*

malunt. Sed major longè tempestas quâ venti marinas ja-  
stant & exercent, non creat tantum fervorem. Deinde,  
ubi sub terrâ silentium erit à ventis, Thermæ egelidæ sta-  
tim, aut frigidæ profluent.

Bodinus allisione quâ se aquæ ad rupes & angulos sub-  
terraneorum cavernarum frangant, fervorem istum con-  
cipi credit. Sic enim equisones putealem aquam agitatio-  
ne, contra equorum torinina rumpunt & tepefaciunt. Sed  
isti nil juvant Bodinum. Rare scere quippe aliquantum  
istâ diverberatione potest aqua, & spumare, non ita accen-  
di. Metallarij etiam ingentibus præcipitijs frangi aquas sub-  
terraneas, frigidas tamen, inquit Agricola, experiuntur.  
Denique sapor & odor satis plerumque indicant materiam  
ignium aut spirituum quibus incaluerunt.

Dico igitur Primo: Nulla alia cauſa probabilior calidos  
fontes ferre facit, quam ignis subterraneus. Prob. quia  
plerique omnes nitrum, bitumen, sulphur id est, ignium  
pabula olenit & respiunt. Deinde maximè in Regionibus,  
ubi montes & alia loca flammivoma sunt, ut in Campaniâ,  
& novo Orbe, calidi fontes manant. In Peru, ait Ios. Aco-  
sta, ita quidam fervent, ut nemo ( depositâ etiam in certa-  
men pecunia ) spatio Salutationis Angelicæ valuerit in ijs  
manum continere.

Sed ubi ignes isti ardentes? Sub fundo, aut circa canales ex-  
trinsecus, an in ipsis aquis, quæ per canales labuntur? Agri-  
cola timet lapideo setiam canales brevi corrumpendos igne,  
si hic ijs supponatur. Itaque ignes aquis ipsis intra tuborum  
& meatuum cavitatem permisceret.

Dico tamen Secundo: Thermæ nullo exoticō sapore  
corruptæ, circumjecto canalibus, ut in lebete, aut dra-  
cone, videntur calefieri. Vee ~~vee~~ <sup>n</sup>, ut testis mihi Se- <sup>Senec.lib.3.</sup>  
neca æreos dracones, pluribus ~~vee~~ <sup>cam</sup> voluminibus tor- <sup>c. 24. Nat.</sup>  
tuos conficiebant, quibus aqua tenebre infusa, & circum-  
currens, saepiusque & identiter suppositum ignem per  
multas spiras ambiens, tempore primum in summis volumi-  
nibus concepto, collectoque deinde in ceteris fervore,

calida yomebatur. Canales autem illi subterranei non tam citò ignibus violentur , aut quia materia contra ignes contumax est, aut quia hi tepentes tantum, nec flammā vorace ardent. Aqua etiam ipsa intra tubos , eos in parte ab ignibus tutatur. Si autem aquæ , bituminis aut sulphuris ignes lavarent, spiritu ipsorum, aut sapore, sine dubio tingerentur.

Dico Tertiò: Frequentius tamen ignis in ipsis aquis flagrat, & parietibus canalium adhæret. Ita Agricola , Fallopius, & alij, qui materiam illorum ignium , solum bitumen esse sciscunt. Quod tantum abest, ut ab aquis extinguitur, quin etiam acrius & diutius in ipsis alat flammat. Vnde etiam aqua Thermarum in agro Parmensi, ait Fallopius, statim ad se rapit visum ignem , nec potest , nisi vento aut panno extingui , idque ob bituminis & naphthæ copiam.

Bartholinus tamen & alij quidam , percipuam materiam in sulphure , non bitumine , esse constituunt. Quia Thermæ pleræque omnes sulphur , rariores bitumen sapiunt. Bitumen etiam solam aquarum , quibus innatat , superficiem flammā suā lambit , non ardet intra aquam.

Falsum etiam videtur, quod sumit Agricola , solum bitumen in aquis servare flammat. Nam ignes artificiales è sulphure passim concinnantur, qui sub aquis vivunt. Vnde Livius alicubi ait , Matronas Baccharum habitu crinibus paſſis, cum ardentiſbus faciibus decurriffe ad Tiberim, demissaq; in aquam facies, quia vivum sulphur cum calce inefſet, integrā flammā extuliffe. Et licet aquis extingueretur , ardere tamen in fornicibus cuniculorum quibus allinitur , extra aquæ contactum posset, & inde eam præterlabentem vaporare.

Seneca vero non tantum ardere sulphur in aquis , sed aquā affusā accendi uicem existimat. Quem tamen ex-

Fallopi. lib. perientiā suā refellit . Sulphur, ait, in aquam proje-  
de Thermis cap. 4. ctum ſive aqua ſit calida, ſive frigida, non effervescit. Hoc expertus sum sapiens in veṇā ſulphuris in agro Volaterrano , & alibi in quo-

cumque ſulphure vivo , & mortuo vivo.

Boët. lib. 2. c. 293. de Ge m. Anſelmus Boëtius tamen affirmit , oleum sulphuris ve- rum, ſi aqua miſceatur frigida tam calidum in vitro reddi , ut id manu

*manu vix teneri possit.* Vnde oleum istud non nihil à naturā sulphuris abivisse opörtet.

Verūm, unde tantum subterranei sulphuris & bituminis, quod alendis uno loco per tot annos ignibus sufficiat? Respondet Fallopius, sulphur & bitumen perpetuò regenerari. Nam constat, ait, quatuor annorum spatio, locum sulphure effosso, terrā repletum, iterum ad naturam sulphuris reverti: idque satis expertum esse in agro Mutinensi. Carbones etiam Leodiensium, & metalla quoque, licet tardius, regenerantur. De ferro certè in Iluā sive Æthaliā, maris Mediterranei inter Corsicam & Italiam continentem Insulā auctor est Strabo. Et etiamnum hodie effoditur ibi Strab. lib. 11. copiosum, magno Ducum Florentiae proventu. Credunt autem Metallarij, mille tantum annorum circuitu terram in ferrum redurari. Salem etiam fossilem apud Indos regnī dixit olim Clitarchus, & Agricola Parium marmor. Plin lib. 35 cap. 15. Plinius, *Inter plurima alia Italie miracula ait, ipsa marmora in lapicidinis crescere auctor est Papyrius Fabianus Naturæ rerum peritißimus.* Exemptores quoque affirmant compleri sponte illa montium ulcera. Quæ si vera sunt, spes est, numquam defuturam luxuriam. Diu autem in eodem loco aut propinquo adhærent Thermarum ignes; quia absumpto aut liquato sulphure vel bitumine, aliud affluit in locum præcedentis, sequiturque ut in lampade, alimentum flammarum. Ignes etiam illi maligne (ut inter aquas & contraria debilitantia) ardent, ideoque pabulum suum non citè & voraciter absumunt. Hinc pluribus Regionibus fontes calent, ubi nulli tamen crateres ignivomi sunt. Verumtamen alio etiam modo, sine igne Sennertus fontes nobis calefacit. Spiritus enim vitrioli & oleum vel sal tartari, item aqua fortis & tartarum, denique butyrum antimonij & spiritus nitri, etsi frigida, confusa tamen ad fervorem se adducunt. Quid si ergo in venis aquarum permisceantur?

## ARTICVLVS V.

*Vnde frigi medici qualitatem illam traxerunt,*

**C**onsentient omnes, fontium istorum aquas, venas metallicas, aut salem, alumen, nitrum, sulphur, bitumen, & id genus fossilia perlabi. Id enim ex colore, odore, sapore intelligi satis potest. Dupliciter autem aqua ab ijs quæ prætervehitur infici & tingi solet; spiritualiter, aut corporaliter, ut loquuntur Chymici. Spiritalem tantum tinturam rapit, quando spiritus metalli aut mineræ sic ei se permiscet, ut ramenta aut succum nullum aqua deradat, & secum abducat. Corporalis vero tintura erit, si mineræ substantiam secum trahat.

Inter fontes medicatos famosissimi sunt aciduli illi, quales Spadani nostri, quos natura in calculi & omnium obstructionum remedia fluere jussit, aliaque beneficia, quæ apud Clarissimum Medicum Henricum ab Heer Tungensem legere in Spadanis quivis potest. Talis olim fons ille Tungrorum, de quo Plinius: *Tungræ civitas Gallæ fontem habet insignem plurimis bullis stillantem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumq; vitia.*

Hic vero, ni fallor, est ille, cuius hodie adhuc vestigia, non procul ab oppido Tungrensi, viâ Hassleutenſi, quem ferreum fontem etiamnum appellant, & de quo senes multa sanitatum miracula accepisse se à majoribus narrant. Sunt tamen qui Plinij locum ad fontes Spadanos trahendum contendant. Quod non facio. Nimis longè Spada Tungris distat. Nec eo tempore in Tungrorum, ut opinor, sed Eburonum ditione erat.

Acidulas autem illas chalcantho sive vitriolo abundare censet Bartholinus. Verumtamen non unicam venam, sed plurimum minerarum conflugem plerumque continent, ut ostendit Henricus ab Heer. Spadanus Geronster præter alia,

Plin. lib. 31  
cap. 2.

alia, sulphur odore & alvi (quod etiam experti sumus) citatione evidenter prodit.

Multi etiam medicatorum, et si frigidi scaturiant, initio tamen caluerunt, & longo meatu fervorem ac spiritum exhalarunt. Hinc Fallopius existimat Aquirianam, quæ ex Italia in Germaniam & Galliam passim defertur, ac per centum etiam annos incorrupta perseverat, in origine calidissimam fuisse, & ab igne perfectissimam hanc & pœnè indissolubilem mixturam fecisse.

Fontes qui auri aut argenti venas lavant, ramenta & scobem metalli sui fluminibus etiam sæpè invehunt. Sic auriferi olim Pactolus in Lyciâ, Hermus in minori Asia, Tagus in Lusitaniâ. In Tago tamen nihil hodie auri reperiri intelligo, sed corallorum ibi tantum esse piscationem. In Indijs Occidentalibus ut in Hispaniolâ, Balloventâ, Cubâ, in Regno Chilli, Quito, Granatæ, &c. sincerissimi auri arenulæ in pluribus fluminibus inveniuntur; sed propter difficultatem separationis parum inde redit ad Hispaniarum Regem.

Fontium etiam & fluminum color, à metallo & minerâ quam lavant, aut à terrâ venit, quam admordent. Sic in Umbriâ,

*Sulphureâ Nar albus aquâ.*

Alibi à cretâ, lactei quidam fluunt. Quandoque etiam non aquæ, sed fundi est iste color. Talis non uno loco apparet Danubius. Et Andreas Corsalus Florentinus narrat, Oceani inter Mozambicum & Indiam Orientalem lactescere, quia cretacei fundi speciem rapit. Sic quoque Peneus in alveo viorem simulat, cum exhaustus splendorem habeat argenteum. Quidam etiam atramento se infuscant, ut Ganges in Indiâ, Galesus in Italiâ. Quanquam hunc Virgilij verum,

*Quâ niger humectat flaventia culta Galesus,* Virgil lib.  
4. Georg.  
de aquæ profunditate Turnebus interpretetur. *Solet enim,* Turneb.  
*inquit, aqua profunda nigrum colorem ducere.* Sed Allera in lib. 4. c. 14.  
Germaniâ, & quidam in Hispaniâ Novâ, omnium atra- Adversari.

mentosissimi & nigerrimi sunt. Est in Regno Peruanō tam ruber & miniatus, ut mero sanguine dicas profluere. Rhenus subviridis, Mœnus & Tiberis ab arenis flavi, Mosa argenteas undas declinat paullisper in cœruleum. Cydnus Ciliciæ fluvius crystallinā pelluciditate & placidissimo aquarum agmine tam blandus, ut Tarsenses S. Pauli Apostoli concives, quos alluit, totis diebus otiosos, & admiratione sui defixos ebriosque olim teneret, ut apud Philostratum narrat Thyaneus.

## C A P V T I I I .

*De Fluminibus.*

## ARTICVLVS I.

*De fluminum alveis.*

LVMINA è fontibus & rivis unum alveū capaciorem influentibus oriri, & essentiam eorum in aquâ, & jugi illo per alveum defluxu consistere, antè diximus.

De hoc ergo fluxu, tamquam ipsorum formâ, & alveis, per quos incedit; item de quibusdam alijs proprietatibus, aliquid paullò explicatiū est enarrandum.

Alveos fluminum tertio Mundi die excavavit, & ad fluxum in mare, eorum devexitatem Omnipotens manus inclinavit. Quod certissimum est in alveis quatuor illorum fluminum Paradisi. Sed plurimi etiam alij in reliquâ parte Orbis ejusdem Artificis sunt, præsertim qui inter montes & lapideas ripas decurrunt. *In petris rivos excidit.* Petras enim & montes ab initio statim creationis rerum excitatos, duratosque, ut essent veluti ossa Telluris, satis induit Sapientia: *Nec dum montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar.* Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines Orbis terra. Ridiculum enim est quod asseverant nostri

Iob. 28.

Ptole. 8.

nostri Athei, universos montes fortuitò h̄ic aut ibi à spiritu subterraneo in auras subvectos esse. Rarissimi enim aliquujus molis colles sunt, quos spiritus ille terræ motor excutit. Et stultum id credere de Atho, Olympo, Atlante, Alpibus, & duplici illâ catenâ montium Peruanorum, cœlo pœnè minantium, quæ per 500. leucarum spatiū à Septemtrione in Austrum, perpetuis jugis decurrit. Verissimè igitur ad Dominum suum divinus Psaltes: *Ascendunt montes* Psal. 103.  
*& descendunt campi in locum quem fundasti eis.* Et minimè fabulosè ille fabulosus de Orbis Conditore canit.

*Addidit & fontes, & stagna immensa, lacusq.,  
 Fluminaq; obliquis cinxit declivia ripis.*

Ovid. I.  
 Met.

*Inssit & extendi campos, subsidere valles,  
 Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.*

Vnde cùm sub Imp. Tiberio actum in Senatu esset, *An ob Tac. lib. I.*  
 moderandas Tiberis exundationes, verterentur flumina & lacus, per *Annal.*  
 quos augescit; in Pisonis sententiam itum est, qui censuerat,  
 nihil esse mutandum. Optimè quippe rebus martalium consuluisse  
 Naturam, quæ sua ora fluminibus, suos cursus, utq; originem, ita  
 fines dederit.

In mare autem maxima fluviorum pars se refundit, ut  
 irrigatis per longos & ambitiosos errores regionibus quas  
 lavant, quod superest aquarum, mari tanquam fonti suo  
 reddant; ut pro tot emulgentibus sub terrâ venis, & pro nu-  
 bium vaporibus, abundantia semper, ei suppetat.

Licet autem plurimos alveos Deus initio concinnaverit;  
 aquæ tamen etiam, in molli præsertim terreno, multos sibi  
 ipsæ inaraverunt; non paucos denique humana industria fe-  
 cit. Et Aristoteles septem ostia Nili manu facta videri, ex- *Arist. lib. I.*  
 cepto solo Canopico, affirmat. Drusus Cæsar contra incur- *c. 14.*  
 siones Hollandorum Rhenum in Iselam ( quo hodie suam *Meteor.*  
 tutantur Velaviam ) deduxit. Corbulo Romanorum in  
 Germaniâ sub Claudio Dux, ne miles otium exueret, inter  
 Mosam Rhenumq; trium & viginti millium spatio, fossam produxit, *Tacit. I.b.*  
 quæ incerta Oceanii vetarentur. Quia verò fluminum alvei, non  
 directi, sed in cornua, aut meandros sinuosí, Deos fluminum  
*11. Annal.*

Hierony  
Mag. lib. 4.  
c. 2. Mil.  
cell.

*cornutos Antiqui fecerunt, si Hierony. Magio credimus.*  
*Vnde illud Maronis,*

Virgil. lib.

4. Georg.

Ovid. lib.

8. Met.

Claudian.

S. Aug. lib.  
3. c. 7. de  
doctr.

Christ.

Lucan.  
Lib. 2.

*Et gemina auratus taurino cornua vultu  
Eridanus.*

*Aut certè illi soli fluvij propriè cornuti, qui alveum in fine diffindunt, & duobus, aut pluribus veluti cornibus in mare incurront. Ut Achelous Acarnaniæ fluvius, cui alterum cornu in luctâ ab Hercule defractum fabulati sunt.*

*Fluvios quoque, Neptuni crines non illepidè & inconciuè finxerunt.*

*Tu Neptune pater, cui tempora cana crepanti  
Cincta salo resonant, magnus cui perpetuement  
Profluit Oceanus, & flumina crinibus errant.*

*Velut enim crines ex capite exeunt, & humore ejus pa-*  
*cuntur; sic flumina ex Neptuni cerebro, ubi Oceanus sta-*  
*gnat. Quod tamen carmen tanquam sonorum quidem, sed*  
*inane S. Augustinus alicubi ridet. Hec siliqua, ait, intra dulce te-*  
*ctorium sonantes lapillos quatit. Non est autem hominum, sed por-*  
*corum cibus. Novit quid dicam, qui Euangelium novit. Non*  
*spernit tamen eloquentiam Sanctus Pater, si pictæ tecto-*  
*ria linguae solidum aliquid crepent; veluti nec gratiam co-*  
*loris, si valetudo subsit.*

*Ceterū plurimorum fluminum alvei in Aquilonem*  
*aut Austrum undas suas exonerant: in Orientem tam pauci,*  
*ut dicere ausit Poëta iste Hispanus:*

*Quà colitur Ganges, toto qui solus in Orbe  
Ostia nascenti contraria solvere Phœbo  
Audet, & adversum fluctus impellit in Eurum.*

*Verūm Danubius etiam & Padus in Ortum se detorquent.*  
*Tagus in Lusitaniā, & Africæ Niger in Occasum. Imò*  
*Ganges magis defluit in Meridiem, quàm Solem ortivum.*

*Certamen autem est de principatu inter alveos fluviorum.*  
*Aristoteles noster Indo videtur dare palmam, quia*  
*alicubi amplitudine 50. stadiorum sive 6. amplius mill. Ita-*  
*licorum se dilatat. Arrianus tamen Gangem ei præfert.*  
*Virgilius Eridanum seu Padum fluviorum regem nominat.*

Dio-

Diodorus Siculus Nilum potius coronat. Sed controversiam fluvius Amazonum sive Maragnon in Americā diremit, qui latitudinem ad 70. etiam leucas diffundit, mare verius, quam fluvius. Suppar deinde ei fluvius Argenteus, vulgo *Rio de la plata*, quem non adaequent Nilus, Euphrates, Ganges, confusis in unum alveum aquis. Proximus est in eadem Americā fluvius S. Magdalena, qui tanto impietu Oceanum invehitur, ut intra decimam leucam, sale vi-  
to & undis, dulcedinem & fluxum servet, duarum leuca-  
rum aquæ latitudine.

Rapiditas fluviorum ex alvei devexitate præcipue oritur. Quantò verò fontes oporteat esse altiores ostijs, video non convenire inter Geometras. Cardanus dicit antiquos in aquæductibus sesquipedem in centenos pedes constituisse. Card.lib.v.  
c. 6. Varies. Sed nostrā, inquit, etate, subtiliore ratione, sed ad irrigandum solum oportunā, in singula spatha pedum 600. solum pollicem unum declinamus. Ut ergo aqua rapidius decurrat, & naves facile deducere valeat, majorem inclinationem alveus habere debet.

Fluvij rapidiores ad 3. 4. 5. aut plures pedes ad centrum terræ per singula millaria declinant. Si verò ad 6. pedes, cursus tam rapidus & torrens erit, ut regendis in eo navibus fiat incommodus, inquit Daniel Barbarus. Tales fortasse Rhodanus in Gallia, Tigris in Mesopotamia, qui omnium habentur velocissimi.

Sed verūmne est illud, quò altius est flumen, è rapidius esse? Experiētiā id constat, si devexitas alvei eadem sit. Nam hibernis torrentibus inflata incitant magis naves, & velocius deferunt quidquid, ut in superficie. Causa est in abundantia aquarum, quæ magis se premunt & invicem præcipitant. Ita enim nō è pleno vase, detracto epistomio, emicat longius, & majori impetu.

Quo magis etiam flumen à centro terræ distant, hoc celerius, pari impulsu, circa terram gyrantur; quia circum lumen majorem circumcurrunt; ut circumferentia rotæ rapidius in orbem se agit, quam modiolus, qui excipit axem.

Ex dictis jam patet, caussam efficientem defluxus fluminum, esse propriam aquæ gravitatem, quæ per alvei devenitatem centrum quærerit, & ad propinquissima quām potest loca defluit. Vnda etiam succedanea antecedentem quandoque urget; & hæc etiam illam, ratione & jure continuitatis, blanditer trahit & vellicat.

## ARTICVLVS II.

*Quā de causā Nilus, Niger, Melas, Argenteus, alijs  
fluvij sic exundant?*

**Q**Væstio de Nili inundatione omnium antiquorum ingenia exercuit. Sesostris & Philadelphus Ægypti Reges, Cambyses Persarum, Alexander Macedonum, quosdam in ultimam Æthiopiam miserunt, ut Nili fontes, & incrementi illius quotannis stati caussas vestigarent. Qui omnes incerti redierunt. Novissime Nero Cæsar, ait Seneca, ut aliarum virtutum (ò si scias, qualis brevi futurus!) ita veritatis in primis amantisimus, Centuriones duos misit. Qui, ut idem se ab ijs audivisse narrat, ad immensas tandem paludes pervenerunt, quarum nec incolæ exitum sciebant. Iul. Cæsar etiam apud Lucanum super coena illa Cleopatræ post cæsum Pompeium, ex Achoreo, sacerdote Ægyptio, tam ab alijs curis securus est in illo rerum æstu, ut multa de Nili incremento quæreret. Sed scire legem exundationis antè oportet, quām caussam investigemus.

Primò, ut Leo Afer, & qui hodie colunt Ægyptum narrant, circa 17. Iunij dies, isto stilo, nostro jam stilo, incipit intumescere, statim scilicet solstitium. Durat verò incrementum ad quadragesimam diem, secundūm Strabonem, totidemque decremetum. Toraque periodus ambit dies octoginta; etsi Herodotus extendat ad centum. Legem verò aliquando non servasse constat. Nam decimo & undecimo Regni Cleopatræ anno intra alveum se continuit. Quo interpretati sunt, nec vanè, significatam Imperij Antonij

Senec.lib.6.  
c.8.Nat.

Lucan.  
lib.10.

tonij & Cleopatræ defectionem. Sub Theodosio etiam aliquamdiu stetit. Quod idcirco factum calumniati sunt Gentiles, quia Imperator ei vetuisset amplius sacrificari. Sed ecce statim post abundissime se superfudit, & fertilitate insigni egregie pensavit antecedentium annorum sterilitatem. Verum ne sic quidem compressa calumnia: & publicitus in theatris cum risu clamabant, *senem Nilum quidquid iam aquarum habuisset eminxisse.*

Porro tam spatioſa eft inundatio, ut valles & campi lateant, oppidaque cum collibus quibus inaedificantur, more Cycladum Insularum extent; nec ullum in Aegypti mediterraneis, niſi per navigia, sit commercium.

Ad modum autem incrementi, anni sequentis fertilitas respondet. In 12. cubitis, ait Plinius, famem sentit, in 13. Plin. lib. 5. etiamnum esurit, 14. cubita hilaritatem afferunt, 15. securitatem, <sup>cap. 9.</sup> 16. delicias. Maximum incrementum ad hoc aevi, fair cubitorum 18. Claudio Principe, minimum Pharsalico bello; veluti necem Magni, prodigo quodam, flumine aversante.

Nec longe ab ludunt, quæ scribit Leo Afer, qui Aegyptum oculis, & habitatione Africam usurpavit; conversusque à Mahumete ad Christum, à Leone X. Pont. Max. nomen in Baptismo accepit: Scriptor, ut mihi videtur, non infidus.

Consentientia quoque D. Stochovius, Nobilis Belga Brugensis refert, qui nuper An 1632. in Aegyptum & Orientem peregrinatus: Nilus, inquit, circiter medium Iunij iufari incipit, & ad medium usque Septembbris incrementum durat. Si ad pedes 22. & dimidiatum, aut ad 23. perveniat, signum habent magna fertilitatis. Si non ultra 20. pedes affurgat, sterilitatem portendit. Si ad 24. tristi & infallibili prognostico, pestem eo anno secturam denunciat. Nam aqua longius exspatiata ac in lacunis, unde se in alveum suum recipere non potest, diu stagnans, noxijs vaporibus aerem inficit.

His præstructis, Thales, Plinius, & Alexander in Etesijs cauſam inundationis coniiciunt; qui à Septentrione contra cursum fluminis reflantes, aquas sustinent, quæ ab alijs à tergo

à tergo affluentibus pressæ, ripis se superfundunt.

Sed non magnæ operæ est id refellere. Etesiæ enim venti lenes sunt, qui aquæ cursum tantopere frenare non valent. Deinde non ijsdem & tam statis anni temporibus, ut Libro IV. vidimus, semper spirant.

Lucan.  
lib. 10.

Senecio etiam ille Achoreus apud Lucanum perperam docet Cæfarem, Nilum influentiâ Mercurij intumescere, ut Lunæ Oceanum. Nec enim Nili periodus Mercurium adspicit, ut æstus marini Lunam.

Fracastorius rem istam in Epist. ad Io. Bapt. Rhamnusium cum curâ tractavit, & credit à torrentibus pluviarum, quas Sol circa Tropicum Cancri levat, Nilo infusis fieri hoc incrementum. Verùm imbræ isti in Æthiopiam recidunt, 600. milliaribus à Cairo Ægypti, ut fatetur ipse Fracastorius: cùm tamen eodem tempore quo Sol in Tropico Cancri versatur, Nilus ad Ægypti Cairum, sentire incipiat incrementum; nec aqua per tantum intereavalli, in momento quasi transcurre possit in Ægyptum. Vedit hoc Fracastorius, & respondet, octo aut decem diebus, torrenti alveo, facile eousque defluere. Sed est incredibile. Nam sic millaria 60. quolibet die transvolaret, etiamsi rectissimâ lineâ decurreret.

Alteram igitur responsonem tentat. Scilicet, ut lapis in aquam dejectus, eam in circulos impellit, & intumescere facit; ita torrentes Æthiopici Nilum in Ægyptum usque propellunt, antequam ipsi eò pervenerint.

Sed in vanum. Sic enim flumen non se inflabit, sed superiorum torrentium impulsu, celerius tantum ad mare perveniet. Deinde, aqua Nili turbida indicat satis, incrementum esse à torrentibus & aquis adventitijs se illi pertinacientibus.

Dico Primò: Magna pars incrementi Nili ex tate nivis Atlantis montis venit, quam Sol ab Æquatore ad Cancrum rediens, & vires suas canis illis montium verticibus, qui Tropico fermè subjacent, admovens, fundit. Hoc mihi Poëta significare visus:

Sic

Sic ubi se magnis refluxus suppressit in antris  
 Nilus, & Eoē liquentia pabula brumæ  
 Ore premit; fumant desertæ gurgite valles,  
 Et patris undosī sonitus expectat hiulca  
 Ægyptos, donec Pharijs alimenta regatus  
 Donet agris, magnumq; inducat mesibus annum.

Star.  
Theb. +

Liquentia enim pabula brumæ sunt tabes nivium. Fallitur enim vehementer Fracastorius, qui Atlantem nivalem esse neget. Nam Leo Afer tantum nivium unā etiam nocte circa sāpē defluere, ut arbores & domos tantum non sepeliat, sequē propemodum, cūm iter illāc faceret, ab ijs suffocatum affirmat. Vnde Dion dicere audet, sibi pro comperto esse, Nilum hac aquā nivali auctum superfundi. Quod, inquit, veteribus Græcis ignarum fuit. Iuba etiam utriusque Mauritaniæ Rex, litteris quām Regnis non paullò clarior, ut ait Plinius, asserit, prout in Mauritaniā nives inbresque ceciderint, ita Nilum increscere.

Dion lib. 75

Niger etiam Africæ itidem fluvius, Hispanis hodie *Rio grande*, qui medio inter Tropicum Canceris & Äquatorem Spatio in Oceanum Atlanticum se evomit, eodem tempore & lege quā Nilus exundat. Tantā verò rapiditate mare tunc incurrit, ut intra quadragesimum milliare, ruborem aquarum, & limum retineat. Fontes autem suos in radibus nivalium istorum Africæ montium habet. Quamquam nonnemo sit, qui Nili ramum tantum esse conjectet, quia Crocodilos, & Hippopotamos alit, ceteraq; quæ in Nilo, in ipso præternavigantes videant. Verū nuperrimæ Orbis delineationes manifestum spatij discerniculum interponunt inter alveum Nili, & Nigri fontes.

Dico Secundò: Non solæ nives Atlanticæ, sed pluviae etiam, quæ circa Tropicum Capricorni & Nili fontes, Martio, Aprili, Maio, recidunt, inflant Nilum. Hæc Aristotelis sententia est. Indicatque Homerus, cui Nilus Διπετης τωταμος fluens à Iove, id est, aquā cælesti, fluvius Odyss. 4. Prob. quia Franciscus Aluarez, olim per Abyssinorum Regna peregrinus, scribit lacus quosdam in ultimâ pænè

G g g

Æthiopiâ

Æthiopiâ vidisse pluvijs vernalibus tumidos superfundit;  
Nilumque illis in locis, longè ultra Atlantem , pluvijs istis  
turgescere.

Acosta lib.  
2. c. 4. Hi-  
stor Indic.

Iosephus Acosta affirmat, circa Tropicum Capricorni, &  
ultrà usque ad Promontorium Bonæ spei, ubi Sol Arietem  
intravit, imbres largiter depluere. Prout etiam in regno  
Chilli Americano usu venit; quod eamdem latitudinem &  
Poli elevationem cum Promontorio Bonæ spei habet. Ra-  
tio est, quia tunc apud eos autumnus, & imbrum tempus  
incipit , quando ver nobis. Omnia enim contraria ipsis  
eveniunt. Nam ultra Capricornum colunt , & hiemem  
habent, quando nos æstatem ; autumnatque ibi , cùm ver-  
nat Europæis. Etiamsi autem pluviæ per Martium aut  
Aprilem ibi cadant; tardè tamen , & Iunio solùm mense,  
tot circuitibus fessum , & Insulis hebetatum aquarum  
agmen in Ægyptum pervenit. Ex his patet , paludes illas,  
quas sub quarto parallelo, Antidiämeroës , inter Æquato-  
rem & Tropicum Capricorni statuit Ptolomæus, non esse  
( quod putat ) primos Nili fontes: quos novissimæ Hollan-  
dorum Tabulæ, extra Capricorni circulum , cum Lunæ  
montibus , in ipsam pænc Africæ cuspidem reiiciunt.

Iof. 13.  
Ierem. 2.

Ceterum, undecumque aquæ irruant, certum est ex limo  
quem vehit, torrentibus, ut cetera flumina, Nilum intumes-  
cere. Ideo enim oblimiatione suâ campos quibus aliquam-  
diu & altus infedit, foecundat. Inde Scriptura sacra turbidum  
aliquoties eum appellat. *A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum.*  
Et alius: *Quid tibi vis in viâ Ægypti, ut bibas aquam turbidam?*  
Vbi tamen arenae & limus in sedimentum defluxit, limpida,  
& suavissima, quia percocta est Zonæ torridæ caloribus, in-  
quit Diodorus Siculus. Ideoque Aegyptij ustantur in potu .  
Ac in convivio Cæsar is & Cleopatræ lego apud Lucanum:

Lucan.  
lib. 10.

— manibusq; ministrat  
Niliacæ crystallus aquas.

Tam magnæ autem & delicatæ manus limpidissimâ aquâ  
solent ablui. Imò in tantâ gratiâ & dignatione apud eos  
erant Nili aquæ , ut Ptolemæus Philadelphus , Polybio  
teste,

teste, ad filiam Berenice, Antiocho Regi Syriæ collocatam,  
ut eam biberet, solitus sit missitare.

Melas etiam Boeotia fluvius, teste Plutarcho, anno cre-  
mento Nilum imitatur; haud dubie ex caussis similibus.  
Plutar. in Sylla.

Argenteus deinde, vulgo *Rio de la plata*, in Americâ, aquâ  
etiam cælesti, & montium Perianorum tabescentibus nivi-  
bus inflatus, semel quotannis, tribus mensibus ripas indi-  
gnatus, mediterranea submergit. Quo tempore accolæ sca-  
phis, & partim natatu, quo fermè ritu piscium valent, vi-  
tam tolerant.

## ARTICVLVS III.

*Quæ nam aquarum in usu laudatissimæ.*

**S**Aluberrimam aquam breviter & scitè definit Plinius, Plin. lib. 31 cap. 3.  
*qua aëri simillima est.* Id est, pellucida, levis, insipida, in-  
odora. Talis enim maximè sincera & impermixta erit.  
Exhalationum quippe & ceterorum opacorum mixtu-  
ra claritatem illam infuscat. Levitas autem ex raritate na-  
scitur. Quæ tamen cum turbidâ opacitate consistere etiam  
potest. Aqua enim cælestis, levis est, quia ex vapore  
nubium levi, & paullò antè in aëre pendulo, subitò & per-  
functoriè est condensata. Hæc tamen turbida est ab exhalationibus quas vapor simul implicat. Hinc licet aquæ pluviales levitate & tenuitate suâ multum laudentur, eæque magis, quæ inter fulmina & tonitrua ceciderunt, ideoque tanquam in dulcedinem aliquam percoctas, bruta avidissime bibunt; celeriter tamen, ob exhalationum mixturam, putrescant, & aliquantam inde noxam ( nisi fallor ) quamvis refederint, trahunt.

Negare tamen id videtur Scaliger, cùm aquas pluvias  
cisternarum Venetijs *saluberrimas* appellat, ideoque nolle Scal. Exer-  
cit. 100.  
magnis impensis puteos in mari fodere ( quorum tamen fo-  
diendorum rationem docet ) cùm tam salubres & parabiles  
cisternarum aquas habeant.

Grandinum quoq; quæ ex guttis pluvialibus coagulantur, aquam, ab eadem exhalationum miscelâ, pestilentissimam Plinius vocat. Spiritus enim illi qui humor i nubium se confundunt, non solum ex terrâ, sed varijs etiam mixtis, & plantis aliquando venenatis, in alium extrahuntur ac nubibus permiscentur, ut Lib. II. circa materiam fulminum est dictum.

Hinc errant etiam quidam Apud Athenæum, qui nivalem aquam saluberrimam contendunt. Hippocrates enim, Aristoteles, & Plinius, ut inquinatissimam damnant. Et reverâ terrestre illud, quod in ea subsidi satis probat insinceritatem. Nec verum est quod ajunt, frigore quo gelatur vapor nubis in nivem, exprimi halitum; sed includitur potius, & in eisdem floccos cum vapore alligatur. Vnde Agellius cùm in illâ plurimorum hæresi esset, bibendi nivalem, scribit se ad meliorem sententiam reductum à Peripatetico quodam, & auctoritate Aristotelis asseverantis *Aqua è nive & glacie virtuosa esse.* Non male igitur Nero Princeps, cetera fere pessimus, invenit artem decoquendi, vitroque in nives demissam refrigerandi aquam; ut sic voluptas frigoris, sine vitijs nivium, contingeret. Coctura enim halitus expellit, & rarefactione aquam laxat tenuatque, ut citius & penetrabilis externum nivis frigus accipiat.

De noxâ aquæ glacialis, non videtur perinde certum. Nam glacies ex summâ & levissimâ parte aquæ coagulatur; quæ purissima habetur, quia terrestre quodcumque & facutinum subsedit in fundum. Fortè tamen ideo glaciem Aristoteles condemnat, quia exhalationes ex aëre in terram & aquam perpetuo subsidentes, circa supremam aquarum superficiem hærent, sequē ei permiscent. Hinc etiam intelligitur, fontium illos esse deteriores, qui labris suis, & rivorum quos inserviunt alveolis aliquid allinunt, aut musco investiunt. Hæc enim alicujus impuritatis, etiam si oculis statim non sentiatur, indicia sunt.

Porro raritas & tenuitas aquæ non unâ ratione exploratur. Hippocrates eam quæ igni prompte obedit, celeriterque postea deponit fervorem, tenuem & laudabilem dicit.

Quæ

Athenæ  
lib. 2.Agell. lib.  
89. c. 5.

Quæ enim corpulentiores sunt, frigus pertinaciùs retinent; sed ubi semel etiam incaluerunt, segniùs ad naturalem rigorem, calore contumaciter in densitate illà hærente, redeunt. Aqua fluvialis, tanquam motu exercitator, levior puteali habetur. Signum levitatis est, quòd citò pervadat & dissolvat quæ incoquuntur. *Vnde coci de collegio Montis, ait bonus Major, ad coquenda pisa, vadunt allaturi aquam de Secana,* Io. Major  
in 4. d. 15.  
q. 3.  
*relinquentes aquam putealem.*

Palladius ad incolarum adspicit valetudinem. Si sanis pulmonibus & thorace, renibus, & vesicâ sunt, salubrem judicat aquam, quæ per illa corpora traiicitur. Talis igitur nostra Spadana. Nam in eo pago multi seneciones integrâ valetudine decrepiti sunt. Sicci etiam, & adstrictâ castigatissimâque corpulentia planè lignei visuntur.

Si viscera etiam & hypochondria citò deserat, tenuitatis est signum. Nam tenue penetrabilius est. Et Aristoteles affirmat idè in mare demersos tardius, quam in flumine, suffocari; quia fluminalis tenuior est marinâ, ocyusque in omnes corporis sinus se insinuat.

Quæ etiam valde rara est, speciem corporis immersi, ut v. g. lapidis, aut baculi, minimè refringit & inflat, sed ejusdem molis & figuræ apparet, quam in aëre. Talem aquam se inter Paduam & Vincentiam, in loco, qui Cubalus dicitur, vidisse asserit Vitello lib. 10. theor. 42. Fluvij deinde qui onera navium non ferunt, ut Silas in India, insigni, sine dubio, raritate sunt. Vti etiam Borysthenes, cuius aquæ alteri fluvio Hypani supernant.

Pondere denique, densitatis & tenuitatis discriminem comprehenditur. Sic Pirene, fons ille Musis sacer, omnium qui in Græcia levissimus & tenus repertus ab Athenæo. Attica Eulei fluminis drachmam minus olim, quam aqua Tygris aut Euphratis, rebatur: & ob hanc dotem, Parthorum Reges Euleum & oasispem bibebant, eosque, quamvis in longinqua, plaustris comitabantur. Snellius noster lib. 2. cap. 5. Eratosthenis asserit, aquam pluvialem graviorem esse distillatâ in cubo pedali, duabus uncij &

granis sexcentis duodecim : putealem verò propensiorem pluviam , uncijs septem & granis trecentis septuaginta. Aqua etiam post brumam , gravior à diligentioribus reperta est: ubi scilicet spiritus illos subterraneos in se extinxit, & inde crassamentum sibi fecit. Vnde per clepsydras olim defluens, hemales horas paullo longiores reddebat æstivis, exitu tunc ob crassitatem tardiore.

Ceterum, flumina rapidiora , & scopulis multis, aut Insulis affilientia , magis frangunt & laudabiliores reddunt suas aquas : ideoque Avicenna præfert civitates & loca quæ talibus alluuntur. Imò Plato libro de Legib. vetat civem suum in arce pernoctare , in quâ aut leges exulant, aut nullus fluvius currens. Illud enim animum, inquit, hoc corrumpt valetudinem. Renuat fortassis igitur Insulis Flandrorum hospitari, ubi fluvius , qui Cortracum non fluit, sed repit testudineo gradu, pigerrimus est , ac ob minimam alvei inclinationem, pænè stagnans; qualisque omnino Ticinus in Italiam apud Poëtam Consularem:

Sil. lib. 2.

*Vix credas labi, ripis tam mitis opacis,  
Argutos inter volucrum certamina cantus,  
Somniferam dicit lucenti gurgite lympham.*

Aimon.  
lib. 1. c. 5.  
de gestis  
Franc.

Et Araris in Gallia , qui , ut narrat vetus illus Aimonius, incredibili lenitate in Rhodanum influit; ita ut oculis in quam partem fluat, iudicari vix possit.

Roderic.  
tom. 2. q.  
4. 2. 4.  
Quest.  
Regul.

Talem , credo , fluvium mente conceperat Cardinalis Caietanus , cum de reformatione quorundam in Ordine S. Dominici , à Provinciali Lusitanæ consultus, brevissime & sapientissime respondit, *Coge intrare mare per fluvium.* Significans suaviter & paullatim non ex abrupto & uno impetu, inquit Rodericus, ultimam ~~in~~ inclinationem esse inducendam. Vnde non ex portu marino in ~~in~~ laté solvere , sed leni fluvio, aut per Mæandros, qui

*In mare deducunt fere erroribus undas,  
in altum reformationis venire oportet.*

Vt tamen salubrior sit aqua fluminis, alveus magis præcepis fodiendus, ut torrentior sit unda, & exercitio tenuetur ad salubritatem.

ARTI-

## ARTICVLVS IV.

*Quid censemus de varijs miraculis aquarum, quæ à Scriptoribus narrantur?*

**X** Anthum amnem irrufare, Cratim & Cesiphum fontes candorem, Penium nigratiam pecori facere, affirmant multi. Et de Clitumno, in agro Falisco Propertius:

*Quà formosa suo Clitumnus flumina luce  
Integrit, & niveos abluit unda boves.*

Quidni autem cum Theophrasto hæc credamus? Nonne aquæ per corpus nostrum transfusæ qualitas temperiem ejus mutare potest? Nonne senectus, nonne ingens unius etiam noctis sollicitudo & animi anxietas, multis canitiem extemporalem fecit?

Sic quoque fons unus in Bœotia memoriam, alter obli-  
vionem, violato cerebri temperamento, adducere fertur.  
Nam aquâ melissæ vino albo infusâ, per distillationem ite-  
rûm extractâ quosdam memoriam correxisse, Cardanus est Cardan.lib.  
2. Subtil.  
auctor. In Ciliciâ esse fontem, qui sensum bibentibus  
acuat, in Ceâ Insulâ, qui heberet, doctissimus Romano-  
rum M. Varro dicit. Nec habeo, cur refellam. Tantum-  
dem enim facit vinum modicè, aut largius sumptum. Nec  
hoc magis mirum: Clitorium in Arcadiâ, vini creare fasti-  
dium. Audi illum ingeniosum:

*Clitorio quicumque siim de fonte levavit,  
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius undis.*

Ovid. 115  
Metam.

Ova etiam noctuarum eodem valere narrant. A visco quo-  
dam stomachi parietibus aut orificio adhærente credo fie-  
ri hanc nauseam. Sic etiam qui multis ovis se semel aut ite-  
rûm inficiunt, eorum in posterum amittunt appetitiam.

Sed quid de quinta essentiâ Cardani sive aquâ illâ distil-  
latiâ, quam ætherem vocat, viresque corporis, & vitam  
in longissimum tempus producit, existimamus? In Bonic-  
â etiam Insulâ, non procul ab Hispaniolâ novi Orbis, fons  
è ver-

è vertice montis salit, qui senes ad juventutem revocet, et si canitiem non aboleat, nec impleat rugas. *Cuius rei*, inquit Cardanus, prater per se verantem famam, locuples testis Petrus Martyr Angerius Mediolanensis, Regis Hispaniarum olim à secretis, in suis Orbis nuper inventi Decadibus. Et confirmari potest succo fructus arboris vitæ Paradisi, qui ex sententiâ D. Thomæ, & magis acceptâ vim naturalem habuit corrigendi vergentem jam in senitatem ætatem, & humidum, ut vocant, radicale instaurandi. Quidni igitur humor aliquis sit, è terrâ, naturali fonte scaturiens, aut Chymicâ & distillatitiâ arte preparatus, qui partibus fortè quibusdam heterogenijs constet, quarum aliquæ vi purgandi, & recrementa humorum quæ partibus singulis animalium allinuntur caloremque naturalem suffocant, abstergendi, polleant; aliæ verò optimo succo præditæ, in substantiam viventis sine ferè pugnâ faceant, humidumque radicale largiter instaurent?

Verum, et si non facilis sit refutatio naturalis talis succi; non credo tamen adhuc repertum. Nam cur alias Cardanus tam citò finitus est, si ætherium illum succum habuit, qui usque ad nostram hanc ætatem, & per plurimos annorum circulos circumducere eum potuit? Succi ergo hactenus cogniti, excellentia solùm quædam medicamenta aut alimenta sunt, quæ lapsantem, aut delapsam valetudinem restituere aliquoties, non in perpetuum (etiamsi sàpè repeatantur) valent. Senectutem etiam tardant, & aliquando sustinent, numquam ad carceres juventutis revocant. Illud etiam satis credibile, Lyncesti fluminis Macedonia aquam temulentos facere. Naso dicit:

Ovid.lib.  
15. Met.

*Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis,  
Quem quicumque parum moderato gurgite traxit,  
Non aliter titubat, quam si mera vina bibisset.*

Plin.lib. 2. cap. 15. Hanc autem ab acore quodam, acidulam vocari afferit Plinius. Vnde in parte, acidulæ nostræ Spadanæ est similis. Quam etiam expertus sum largius potam cerebrum paullisper tentare, & invitare somnos. Minùs tamen quam Lyncestus, qui spiritualior, & halitu aliquo minerali plenius fumat,

Fon-

Fontes plurifariam esse, quorum aqua in rivum effusa stet statim & lapidescat, compertum etiam est. In Piceno lacu, & Alliensi fonte Arvernorum, ait Bodinus, *ligna, calamos,* Bodin. lib. quisquiliis lapidescere vidimus duarum triumve horarum spatio: ne 2. Theat. cui videatur incredile, quod Plinius de fonte Gnidi narrat, terram in eo lapidescere octimestri spatio. In Peru, calidum quemdam vedit Ios. Acosta, qui statim in rupem se durat. Vnde ferro exciduntur lapides idonei etiam ædificijs, & simillimi, quantum conijcio, flaventibus illis & mollibus nostris Mo- sæ-Trajectinis. Aquam etiam Stygis non aliter quam gypsum sub humore constringi, & alligare viscera, Seneca & alij tradunt, Senec. lib. ideoque mortiferam esse. Plinius tamen frigidissimam, & 3 cap. 25: omnia vas a perrodere, præter muli ungulam, idque ab Aristotele repertum, & sic venenum illud ab Antipatro datum Alexandro affirmat: magna, inquit, Philosophi infamia. An igitur alumni sui necem machinatus cum Antipatro Aristoteles? Non credo Plini. Q Curtius certè de Antipatro tantum & filio Iolla famam sparsam fatetur; de Aristotele, silentium. Credidit tamen Cæsar Caracalla: qui, quod Magnus Alexander videri vellet, Aristotelis libros abolere statuerat, quia is propinati Alexandro veneni vide- retur auctor. Plutarchus etiam in Alexandro scribit, à qui- busdam suspectatum Aristotelem. Sed magis in eos incli- nat, qui negant toxicum interiisse; quia corpus exanimū mul- tis diebus, nullo balsamo aut odoribus conditum, fervido & torrenti cælo, sine tabe, livore, & ullis veneni indicijs permanxit.

Illam autem vim Stygiam omnia vas a perrodentem, non in valde miris Agricola ponit. Nam aquam metallicorum, quæ argentum ab auro secernunt, parum aut nihil acrifi- moniam ab aqua Stygis absesse dicit. Ad conciliandum vero aquæ maximum frigus, plurimum confert profunditas ve- næ, deinde Mercurij sive hydrargyri, aut etiam nitri mixtu- ra. Nitrum enim ex utroque contrario spiritu calido & frigi- do, sed isto uberiori, compositum esse docet Bartholinus. Vnde si aquæ admisceas, promptissimè totam refrigerat. Idem

H h h

ergo

ergo fieri credendum etiam in subterraneis, & aquâ Stygis.

Fontes autem qui lapides cunt, plurimum gypsi ac tenacis luti vehere certum est, unde lapidibus gluten & materia.

Sunt quoque, qui iniecta in lapides mutant. Talis vis Anieni Italix fluvio. In quo, cadaver à latrone demersum, & radicibus arboris implicitum, lapideum repertum ferunt. Item nuces & amygdala in eum decidua, lapides cere vulgo notum est; appellarique à propinquo Tibure, bellaria Tiburtina. Nec opus plura exempla aggerare, quæ à Plinio & alijs satis celebrata. Hoc tamen etiam addam. Albertus Magnus ætate suâ prope Lubecam extractum è mari ramum, cum intexto nido pullisque purpurei coloris scribit; quæ omnia in lapidem dirigerant. Aquæ igitur istæ aut revera sacrificæ sunt, & inectorum temperiem mutant, aut gypso solummodo incrustant.

Hoc etiam jam nimis est vulgare: Asphaltum, sive Mare Mortuum in Iudæâ, onera pleraque immersa respuere. Periculum in hominibus Vespasianus & Trajanus Cæsares feceré: qui pedibus manibusque colligatis iniecti, fluitabant innoxij. Miraculi caussa, ut alibi diximus, est in densitate permixti bituminis. Vnde fit, ut aqua paris molis corpori humano præponderet.

Cyzici etiam fons quidam Cupidinis appellatur, à quo amantes frigerari, & amorem ponere, credidit Mutianus. Et quidni etiam accredamus? Certè frigore, aut aliter consumendo genituras, id facere potuit. Hoc tamen merum fabulamentum est. In Andro Insulâ, fontem Liberi patris Nonis Ianuarijs semper vini sapore fluere. Nisi tamen genij cuiuspiam mali artificium id fuit. Istud autem ad naturales caussas proprias accedit: in Dodone fontem Iovis esse gelidum, qui cum faces immersas extinguat, extinctas tamen statim accendat. Nam spiritus sulphurei quos exhalat, in mari facile possunt & rursum facem animare. Alia præter propter innumera congeri possunt. Sed abstineo, ne similitudo

litudo ista Philosophis nostris , & quicumque morosioris palati sunt, fastidium faciat. Tales enim ferè in amoenitates istas historiarum despovere solent. Sed hæc, si placet, saltuam, aut omnino non attingant, & mihi ignoscant, quia non ipsis solis & unicè scribo.

## C A P V T I V .

*De Rore, pruinâ, melle, mannâ.*



INITIA aquarum, unde meteora aquea materiam sumunt, tractatione, ipsa jam ingredimur. Initium à rore &c. facimus, quia in infimâ regione, & loco generationis propinquissima sunt terris. Servabimus enim hic, quod antè in igneis: ab imâ aëris regione scansim ad superiores perveniemus.

## ARTICVLVS I.

*Quæ cauffæ roris.*

**M**Ateria roris, vapor est; forma, mollis ille ex vicino aëre in terram relapsus. Cauffa efficiens à multis nocturna astra putantur. Poëta vetus, & amoenissimus in Pervigilio Veneris:

*Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus,*

*Manè virginæ papillas soluit bumenti peplo.*

Sic Luna, roris mater, & rōscida à Poëta appellatur. Virgil. lib. 3. Georg. rūm licet Luna tepore molli vapores educendo, aut aërem laxando ut guttulæ facilius in unum confluant, & plenitudine sua deorsum fluant, rorationem adjuvare possit; cauffa tamen efficiens præcipua est nocturnum frigus, & forma substantialis vaporis, quæ ad frigus & densitatem, ac postremò ad gravitatem, materiam suam reducit.

Relabi autem rorem ex propinquo, inde liquet; quia  
Hhh 2 com-

compertum, altiores montes parcissimè irrorari, & humiles plantas, quàm altissimarum arborum folia, pleniùs inebriari. Causa est, quòd humilibus locis major aëris profunditas superster, unde ros decidit. Et hinc etiam calcei ambulantium in sicco, roscidâ nocte, amplius quàm caput, humectantur. Refluunt tamen etiam rores in colles & montes, qui non excelsissimi: ut in montes Gelboë, & in montem Sion.

Tempus ergo rorationis est nocturnum. Quando scilicet vapor à Sole eductus, & ab ipso occaso destitutus, refrigerat se ac redensat, fitque jam aëre illo gravior, in quo ante levior natabat. Hinc sub auroram, cùm plurimum noctis exivit, plures generantur, & magis frigent rores. In Zonâ autem torridâ, ubi noctes toto anno duodecim circiter horarum sunt, nocturnus aër à longâ & gelidissimâ roratione frigidissimus est, ut de Africâ Francisc. Alvarez, de Americâ, Ios. A Costa experti testantur. Et hæc cauſa est, præter ceteras, quæ Zonam illam temperat, & ardorem diurni Solis ita lenit.

Non abstineo etiam quin bellatulam aliam rationem Io. Bapt. Benedicti, Epistolâ ad Adr. Panetium huc addam. Quâ ostendit, cur aér sub auroram gelidior & densior, quàm reliquâ parte noctis. Hoc enim frigus, & densatio aëris extream partem noctis magis rorifluam efficiet. Duo autem supponit, quæ vera sunt. Primo, umbram terræ, sive noctem, jaci semper in partem Soli adversam. Deinde, aërem iounbratum condensatis, & eò arctius, quòd Sol vicinum umbræ aërem magis calefacit & tenuat: nisi radij multi & conferti refleuantur in umbram. Ita flagrantissimâ æstate, umbras arborum gelidiores experimur. Nec existimo id solùm ita videri, ex comparatione ardentioris æstus circumstantis; sed reverà plus frigoris (undecumque veniat) in aëre umbrâ perfuso tunc esse. Ratio est, quia ob rarefactionem vicini aëris quem Sol illustrat, ait Benedictus, aër alter in umbrâ se contrahit: quia aliquæ aëris illustrati partes, rarefactione in umbram propelluntur,

&amp; unâ

& unà cum ceteris ibi colliguntur quasi in nodum. Quò autem major & diffusior est rarefactio, eò plures partes incurruunt in umbram, & à reliquis ibi refrigeratæ constrin-guntur.

Sed à quâ caussâ, aër inumbratus, subitò sic refrigeratur? *Quia*, inquit Benedictus, *naturaliter calor sequitur rarum, rarum calorem, & frigus densum, ac densum frigus, ut unicuique sanæ mentis patet*. Sed nullus Philosophus, qui paullo altius introspicit, hîc acquiescat. Alibi profundiùs nos in hanc rem demitteremus. Dico jam in transcursu: aut aërem naturâ esse frigidum, aut hunc terræ circumfusum, vaporibus plurimis mixtum & intextum esse, qui à radio calefaciente & diffundente liberati, ad frigus & nonnullam densitatem, per antiperistasis se reducant. Deinde aërem antea inumbratus & refrigeratus, sicut corpora nostra refrigerat, ita aërem alterum qui advenit & in umbram incurrit, simili frigore corripit.

Hoc constituto, probat Benedictus, aërem matutinum ante auroram magis frigescere, densari, ac in rores cogi quâm vespertinum: quia Sol manè supra horizontem nostrum rediens, aërem nobis Orientalem rarefacit, partemque ejus in conum umbrae terre, hoc est, in nocte nostram, continuo accessu impellit; qui ibi magis magisque successivè condensatus, frigus matutinum intendit. Secus ve-rò in crepusculo vespertino. Nam Sol occidens, perpetuo recessu radium suum à cono umbrae terræ, seu à vespera nostrâ abducit, adeoque minus minusque, juxta proportionem recessus, aërem rarefactum retrorsum in noctem nostram repellit. Possunt tamen accedere aliæ causæ, quæ crepuscula vespertina magis solis, tamen auroram efficiant.

Omnis tempore anni gigni possunt rores, sed facilius & affluentius autumno & vere. *Quia* & vapores sat multi in materiam tunc suppetunt, & Sol nimio ardore non consumit. Cælo nubilo etiam, aut flante, ait, ex Aristotele nostro ut pleraque solet, Plinius, non cadunt rores. Ven-tus enim paullo violentior materiam, ne coeat, dispergit:

in nubilo autem, vel non attrahitur vapor rorifluus, vel certè non rorat, sed pluit.

Inter ventos, mollis Auster rores provocat; quia aërem ad guttularum confluxum laxat, & tempore insuper vapores elicit. Contrà tamén evenit in Ponto, Asiæ minoris Regione, inquit Aristoteles: quia Auster eò lassus, & excusso, longo volatu, tempore pervenit. Vnde nec calore vapores provocat, nec antiperistasi insignis frigoris. Aquilo verò, ibi cùm Regio Septemtrionalis sit, gelidissimus per antiperistasi exhalationes diurno Sole calefactas sic in unum compellit, ut vapores circa terram, aut in ejus poris hærentes intepescant, & descendant in materiam roris. Quod non solum in Ponto, sed omni Aquilonari Regione, ubi par Aquilonis & Austri qualitas, verum esse debet. Ex suprà enarratis definies rorem: Vaporem tenuem, in infimâ aëris regione, vi nocturni frigoris densatum & minutissimis guttulis in terram relapsum.

## ARTICVLVS II.

### *Effectus Roris*

Sennert.  
lib. 4. c. 8.  
Physic.

**M**el, & manna, effectus roris sunt, ut caussæ materialis, ut statim dicemus. Erucæ etiam, ac aranei, & infinita insecta à rore materiam sumere putantur. Cùm enien ros multas siccas exhalationes permixtas habeat, tempore: Solis materiam utramque percoquente, facile dispositiones concipit ad generationem imperfecti animalis. Chynici quoque docent, ait Sennertus, idq; eos experientia docuit, roren̄ continere subtilissimæ, nitri & salis ammoniaci in superficie terra contenti partem. Ex ista autem materiarum ingredientium contempnatione, certum est varia corpora naturalia fermentari posse & generari.

Conchas etiam marinas, oscitatione rorem sorbere, & eo concipi dignique in ipsis margaritas, multi post Plinium docent. Sed egregie confutat eos Anselmus Boë.

Boëtius. Qui apertis plurimis gemmantibus conchis, deprehendis se scribit, uniones eodem, quo testa, animalis succo concrescere. Cujus rei magnum indicium est, quod quando margaritæ fuscae sunt, aut alio colore tinctæ, interior conchæ testa sit concolor.

Ros etiam ovibus & capris aliquam noxam affert. Alvum enim ijs citat, & auget bilem aufertque aliquando vitam. Unde prudentes opiliones non summo manè per roscida edificant gregem, sed diem adultum exspectant, donec Sol rem resorbuerit.

In Anglia tamen aliter, ut quidam Auctores narrant. Auct. Stat. Imp. Mundi.  
Nam opiliones ibi greges suos à fontibus & fluminibus arcent, ut solo rore ad aquatæ, & valeant sanius, & lanâ tenuiori se vestiant pretiosius. Inde enim panni Anglicani pretium & principatus. Temperiem autem istam Anglici roris in tepentes circumflui maris halitus refert Bodinus. Bodin. IV. 2. Ther.  
*Cum enim in Angliam venissem, inquit, satis aperte comperi, hanc unam esse caussam, quamobrem Regio illa ad Aquilonem posita, temperatur sit à frigoribus quam Gallia ubi Iupiter serotinus ac matutinus senibus & agrotantibus exitialis est. Nusquam tamen in Anglia, in qua etiam greges & armenta sub dio pariunt & stabulantur.*

Ambulatione quoq; sub arboribus rorifuis quandoq; contrahitur scabies aut lepra, ut ex Plutarcho docet Mercurialis. Qui scilicet ros morsicat & scarificat cutem, tam propter exhalationes admixtas, quam quod superficiebus foliorum arborum, quas colliquat, aliquid malignum deradit. Nimis tamen superstitione delicati sunt, qui statim occidente Sole

*cum frigidus aëra Vesper*

Virg.  
Georg. 3.

*Temperat, & saltus reficit iam roscida Luna,*  
sub testa recurrent, clauduntque curiosè fenestras. Quas etiam manè non nisi serò aperiunt, domique le continent, metuentes relapsum roris. Minimis enim istis incommodis duranda cutis & valetudo est, ut respuere majora pericula valeat, quæ passim tota vita incurruunt. Excusandi tamen Galli, si verum est quod statim à Bodino audiabamus,

*Iovem*

*Iovem serotinum & matutinum senibus & agrotantibus ibi exitialem esse.* Et in Italia, Hispania, ac ubicumq; post dies fervidos gelidissimi rores vesperi & manè refluent, idem puto accidere. Patulos enim & hiantes humani corporis poros frigore suo astringunt, & catarrhos cieut.

Rores etiam corpulentiam nostram consumunt. Hinc alicubi feminæ crassulæ rore se lavant, aut etiam bibunt, ad gracilitatem. Vnde lepidè Theocritus in Tyrside, de vitula macrâ:

*Roréne vivit, more cicade?*

Observant deinde venatores, odorem feratum obtundi nimia roratione. Vnde plenilunio, cum densissimè rores cadunt, difficulter canes olfactu feras vestigant.

Species etiam quædam rubiginis, & vitium morbus, ratio appellatur: quæ acini vuvarum, priusquam crescant, in callum decoquuntur. Id autem accidit, cum deforestentibus vitibus, ros impluerit, non aqueus & secundus, sed aridus, & noxiæ exhalatione permixtus. Hæc etiam ratio siccato vapore, instar farinæ, arborum folia respergit, adurit, & necat. Mannam rustici nostri vocant; lupulinque salictarium maxime hæc lues infestat. Et ab hac caussâ, proventus ejus incertissimus est, maximè variante pretio.

Rubigo verò, sive robigo, in frugibus & præsertim frumentaceis (legamina enim minus eam sentiunt) est putrefactio quædam: cum exceptus spicâ ros aut pluvia, non defluit, sed Sole ibi calefactus putrescit. Propter robiginem Robigalia sacra, ad eam avertendam, Numa olim Romæ instituit: celebrabanturque tempore Plinij vii. Kal. Maij, quando seges maximè obnoxia robigini. Flora lia verò deiude instituta ex oraculis Sibyllinis, iv. Kal. Maij, ut feliciter omnia defracerent. In locum autem Robigalium & Flora lium, Ecclesia Catholica dies Rogationum & Supplicationes illas amburbias & ambaruales die S. Marci, & tribus ante Ascensionem Domini diebus, substituit.

## ARTICVLVS III.

*Pruinæ cauſſæ, & effectus.*

**P**RUINA fit, inquit eleganter & scitè Apuleius, si molli-tia roris matutini frigoribus incanuit. Aut potius sic finiri debet: Vapor in infimâ regione, priusquam in rorem convertatur, congelatus. PRUINA ergo ad rorem, ut nix ad pluviam, se habet. CAUSSA materialis, est vapor; formalis, congelatio: per quam à rore differt. EFFICIENS, est hibernum, aut autumnale frigus. DUOBUS enim illis solùm anni temporibus, & cælo gelante provenit. ALIQUANDO tamen etiam vere, imò æstate: certà segetum lāt̄escentium aut florentium pernicie. Ita anno 1607. & nupero 1625. pruina fo-stitalis, natantes in lācte suo spicas plurifariam in Belgio adussit.

Respergitur autem pruina per herbas instar raræ cuius-dam nivis. Filatim etiam arboribus dependet: quia multæ vaporis & exhalationis siccioris mixtim guttulæ, in longum & catenatim nexæ, frigore sic concrescunt; ut stiriæ illæ gla-ciales, dependulæ ē suggrundijs tectorum, aut agricolarum barbis solent.

*Stiriaq; impexis induruit horrida barbis.*

Virgil,

PRUINA verò hæc capillata, nebulam frequentissimè comitem habet; quia exhalatione multâ tenebricosâ & nebulosâ ad ejus generationem est opus.

Finis & effectus principalis pruinæ (nam semper effe-ctus aliquis, est cauſsa finalis meteororum) est contractio spiramentorum terræ, ut circa plantarum radices, & in vis-ceribus terræ contineatur spiritus, vehiculum caloris.

*De filis illis, quæ D. Virginis appellantur.*

**P**Ruinæ capillari affinia quodammodo sunt fila, quæ autumno maximè per agros, instar telarum aranearum volant; multiq[ue] in Belgio fila Divæ Virginis vocant. De quibus nil umquam me legisse memini.

Falluntur autem, qui retia araneorum vento abrupta & abrepta credunt. Non enim tot h[ic] agrestes aranei, nec eorum fila tantæ longitudinis & crassitie sunt. Et quod caput est, vix valido vento araneorum retia (in agris enim retiarij ferè, non textores, quales in domibus habemus, aranei sunt) tenuitate filorum impetum fallente, & per interualla transcribrante, difflari valent. Fila tamen illa Virginea, tranquillo tantùm nascuntur & volant, sine valente ullo flatu. Itaque ex vapore percocto, & terrestribus ac viscidis exhalationibus contemperato, concrescunt. Temperatura autem similis est humor[um] illi & excrementio visco, quod araneifilatim è visceribus, aut, ut Aristoteles credit, è superficie corporis, in retia aut telam perpetuam deducunt.

Vere etiam tantum & autumno gignuntur, quia calorem temperatum & siccitatem postulant. Autumno tamen maximè; quia aér tunc exhalationes siccas æstatis reliquias adhuc habet, quæ necessariae ad hujus meteori temperiem. Vnde post siccas caligines matutinas maximè fila illa nentur; veluti etiam pruinæ arboribus filatim ex simili feré materia dependulæ, caligines & nebulas aëris permixtas habere solent.

## ARTICVLVS V.

*De Melle.*

Plin. lib.  
xi. c. 12.

**P**LINII inclinat, ut mel cæli sudorem, aut quamdam siderum saliuam esse affirmet. Queriturque ac dolet, plurimum sordium contrahere, & taminari tam longo, à cælo

cælo ad terram, delapsu. Sed si hoc esset, non æstate magis quām hieme decideret. Multos etiam annos in viâ consumeret, tam lento in terram defluxu. Denique sidera non salivant, nec vaporibus aluntur, quod credit Plinius.

Nascitur ergo prope nos mel, ac instar roris ē vicino aëre delabitur. Dubitat tamen Seneca, inveniāntne ipsum in floribus apes, an succum tantum quemdam, quem spiritus sui proprietate, ut loquitur, & exhibito quodam veluti fermento, in melleam substantiam denseant & coagulent. Quod postremum placuisse videtur Erasmo in Dialogo Ciceronianus. Non statim mel est quod adferunt, inquit: singunt ore visceribus suis liquorem, ac in ipsas transformatum, rursus ex se se gignunt. Sed tamen liquorem, & succum illum dulcem, sive specie à melle apum jam elaborato differat ( quod satis probabile est ) sive non, mel in Meteorologicis appellamus.

Materia ejus, vulgò exhalatio terrestris puratur aqueo vapore permixta, & unā fermentata. Sed magis probem, exhalationes siccas plantarum simul admisceri, & ab istis esse præcipuam dulcedinem. Nam certum est, halitum florū & plantarum, in quas humor ille decubuit, incitare aut hebetare suavitatem mellis. Nec de nihilo Poëta.

*Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.* Eclog. 5.  
Herbas enim teverà eligunt; quia non omnes parem dotem affundunt melli. Ex floribus autem odoriferis, & jucundi spiritus, qualis thymus, mel laudatissimum venit; ideoque talibus delectantur apes,

— & olentianacte  
*Pascua, per flores, & thyma summa volant.*

Contra, herbæ venenatæ spiritu pestilenti mel inficiunt, ut auctor Plinius, & Dioscorides. Ex præsertim flos aconiti, & napelli cucullatus, ut affirmat Amatus. Apes etiam Sardiniæ mel amarum colligunt ex absinthio. Signa mellis venenati sunt, si non densetur, & protinus moveat sternuta-menta. Tale etiam ponderosius est innoxio.

Ex his facilè intelligitur, cur non ubique mel sit ejusdem dotis. Quia scilicet non ubique flores sunt unius halitus.

Senec.  
Epist. 84.

Ovid.

Amar. in  
Dioscorid.

Vapor etiam in Regionibus calidioribus melius digeritur; & ideo Hispanicum præstat Belgico. In Russiâ tamen, Regione Aquilonari, excellentissimum nascitur; quia æstivi dies longiores sunt, & radij solares, etsi obliqui, spatio tamen ad percoquendum valent. Aliquam etiam laudis; partem referre oportet qualitati herbarum, ac deinde apibus. Nam ideo in Peruanâ Regione mel pravum & dilutum gignitur, inquit Cardanus, quia apiculæ tantum sunt muscis simillimæ. Tali fortasse vicitavit S. Io. Baptista in eremo. Inter mella, Dioscorides, Cardanus, & Medici passim rutillum præferunt: sed Amatus afferit candidum hodie palmam habere, si à calore nocturno sit istum colorem. Quale Olyssipponense & Æthiopicum, quod nivibus nihil cedit de candore. In totâ Italâ præstat quod ex Cephalenâ, maris Ionij Insulâ, advehitur: quod dulcius saccharo expertum se Cardanus dicit. Triplex autem est genus mellis: Anthuum, sive vernum, quod legitur è primis floribus: Horæum, sive æstivum, sic dictum à tempestivitate præcipuâ. Colligitur enim post solstitium, per dies ferè 30. Syrio ardente. Tertium vocatur ericæum, sive autumnale, ericâ florescente, infimæ laudis.

Mel vim exsiccandi, & calorificam in secundo gradu (id est apud nos Philosophos, in quarto) obtinet; & pituitosis putatur perquam utile. A calidâ verò complexione facile vertitur in bilem. Apudredi ne etiam præservat. Græci Medici dabant olim ebrijs panem melle illitum contra ebrietatem, dum irent cubitum; quia frangit vini vires. Quod mirum, cum mulsum, sive hydromeli nostrum, tam potenter inebriet. Veteres hydromeli ex melle & aquâ pluvia, aut nivali purâ temperabant. Aristæum primum omnium apud Thraces docuisse artem miscendi mel vino ad ceno-meli, auctor mihi Plinius.

Cantipratanus Belga ait, circa solstitium tantum in Belgio, & modicâ quantitate mel defluere; noxiunque ovibus ac capris. Ideo opiliones tunc cavere, ne citò manè, antequam Sol roscida & mella vaporaverit, educant greges.

Plenilunio

Plata 2.  
Sympof.  
lib. 3. q. 7.

Plenilunio plurimum mellis gignitur, sed ubertas roris ipsum facit dilutius.

Quousque ad mellificationem avolent ex alveari apes, Plin. lib. incertum videtur. Operantur, ait Plinius, *intra sexaginta passus.* II. cap. 8. Addit tamen, *subinde consumptis in proximo floribus, speculatores ad pabula ulteriora mittunt.* Bodinus vero ad 14. etiam millaria evagari credit, id est, ejus sententiâ, ad longitudinem semidiametri horizontis visibilis, sive quousque oculus noster superficiem terræ videre potest.

Hoc etiam à multis celebratum: vinum optimum esse in Cardam, medio, oleum in summo, mel in imo. Ratio est, inquit ex Ma- lib. 17. crobio & Plutarcho Cardanus: quia vinū summum ab aëre circumfluo, si suum à fœce patitur. Supremū autem in óleo pinguissum, quia levissimum est. Mel vero imum, quia grauissimum & densissimum, præcipuam dulcedinem habet. Hinc non immeritò Alexion apud Plutarchum ridet Plut. lib. 7. Hesiodum, qui suadet strenue ē vino bibendum, dum vas q. 3. Sympos aut plenum, aut ferè vacuum est; parendum vero, cum ad dimidium decrevit. Quid enim stultius, inquit, quam optimo abstinere, donec exspiret & evanescat?

Ladanum non diversum à melle meteorum, sed species ejus est. In Cypro præcipuè nascitur, villisque ac barbis capraru, pastibus matutinis, adhæret, dum rorulenta est Cyprus. Sed tandem adverte, hæc & id genus alia quæ in meteoris tractantur, reverà tamen meteora non esse; si mel, manna, &c. formam substantiale corporis mixti (quod est vero simile) non simplicis elementi habent. Concrescunt tamen ex vapore, ut ros, & ali meteora aquæ.

## ARTICVS VI.

## De Mannâ.

**M**anna apud Græcos & Latinos veteres, mīcæ quædā Plin. lib. thuris sunt. Plinius: *Micas concussu( in vindemiâ thu-* 12. c. 14. *ris ) elias mannam vocamus.* Hinc merito ubique Galenus

de manna, ut medicamento adstringente, mentionem facit; cùm tamen meteorologica nostra manna, inter laxantia sit. An verò Galeno cognita fuerit, dubitationem habet. Affirmat Amatus; & esse illud quod non mannam, sed ἀερόμελον & ἀερόμελον, mel aërium & roscidum appellat. Aitque in monte Libano copiosum nasci, ac pellibus per terram expansis, arboribus decussum excipi. Vix autem differt manna à melle, nisi corpulentia & concretione. Vnde etiam quandoque in granula quædam se colligit. Quæ si minora sint, granata; si majora, mastichina manna appellatur.

Est ergo manna succus dulcis, pinguior & densior melle, ex rore & exhalatione percoctus, & in insimâ aëiis regione, nocturno frigore concretus. Meurerus existimat, specie à melle, non solo accidente, distingui; quia manna purgabilem, mel auget. Sed mel crudum, ut Amatus docet, tantumdem valet, aluumque subducit; licet calida corpora id vertant in bilem. In Syria & Indijs uberrimus mannae proventus. Cardanus tamen in Calabriâ laudatissimam nasci affirmat, Amatus etiam in Lusitaniâ, Meurerus in Germaniâ. Imò Lemnius in lib. de S. Scripturæ plantis, narrat se tranquillo manè hic Lovanij invenisse, circa exitum veris, in oppidi moenibus.

Dubitant S. Scripturæ Interpretes, An manna, quæ 40.

Vales. lib. annis Israëlitis in deserto pluit, ejusdem speciei fuerit cum  
de sacer. vulgari meteorologicâ. Francis. Valesius affirmit. Repug-  
Philos. c. nant tamen alij; quia Israëlitarum corpora, inquiunt, nimis  
57. laxa & fluxa fuissent, tam longo veluti pharmaci laxantis  
usu. Deinde, Num. cap. 11. faciebant ex manna tortulas  
saporis quasi panis ordinario, mod in mannam nostram non  
competit. Sed alia pro Valesio reponi æquæ & probabilius  
Exod. 16. possunt. Quod sapor ordinarius fuerit quasi similæ permix-  
tae melli, quod albi coloris, quod evanesceret incalefcente  
die, quod figurâ seminis coriandri. Nam hæc universa  
mannæ nostræ, præfertim Polonicae, satis assident. Vidi ego  
grana ( mannae, quæ serenis Iunij & Iulij noctibus in Polo-  
niâ cadit ) inquit Cornel. à Lapide Comment. in Exod.  
suntque

suntque instar milij, sed longiora & rubicunda: pullesq; inde confe-  
ctas gustavi. Sapor est, qualis est pultis ex panicō. Nec valde mo-  
vere debent, quæ alij contrā reiiciunt. Nam certum est,  
multa accidisse supernaturaliter mannae Hebraeorum, quæ  
assumi non possunt ad arguendam speciei diversitatem.  
Ut quod 40. annis depluerit abundissimē, quod non am-  
plius in sportulā suā inveniret qui plus quam qui minus  
collegisset, quod saporem ad arbitrium sumentis verteret,  
ut Sapientiæ 16. legimus. Carnes enim in eā gustabat qui  
vellet, aut pisces, si mallet &c. Sic igitur potuit & esse  
ejusdem speciei cum nostrā, & solidam tamen, non fluxam  
& marcentem alituram præbere corporibus. Vocatur au-  
tem P̄al. 77. panis Angelorum; quia matutinum rōrem &  
halitus colligebant Angeli, & inde mannam pinsebant, fer-  
mentabantque activa passivis componendo.

Figura etiam Eucharistiæ nostræ fuit, quæ verè panis  
Angelorum, & omne delectamentum in se continet. Non  
pluit amplius, sterili hoc seculo, apud Sacramentarios cæ-  
lestis hæc manna, nec cæci & miseri intelligunt, quanto &  
quam inenarrabili bono careant. *Quam mira dulcedo*, inquit Lib. 3. dē  
D. Laurent. Iustinianus, & stupenda iucunditas, ut quem non Incendio  
meremur nominare, possumus masticare! Sed manna abscinditum amoīs.  
est, nec omnes voluptatem illam exsugere sciunt, etiam qui  
sumunt. Sacramentarij blandiantur sibi quantum velint;  
nullum sub cælo eos majus. infortunium incidere potuit,  
quam non agnoscere tantum benignissimi Creatoris be-  
neficium.

## ARTICVLVS VII.

## De Saccharo.

**S**Accharum vox Arabica est. Veteribus etiam res cog-  
nita, recensetque Dioscorides inter species mellis; sed  
nesciverunt coquere, ut hodie facimus. Est autem succus  
quidam dulcis, quē Indi, & alibi exprimunt ex arundinibus.

*Quidq;*

Lucan. l. 3.

*Quiq[ue] bibunt tenera dulces ab arundine succos.*Cocturam tamen etiam non ignotam ijs fuisse censet noster  
Lipsius: diciturque Papinij versu:

Senec.

Epist. 84.

*Et quas percoquit Ebisia cannas.*Rudimentum tamen hodiernæ coctionis fuisse credo, quā  
satis nuperam docet Amatus.

Quidam Antiquorum saccharum, salem Indicum appellant; quia pars succi, calore Solis evocata, concrescit in superficie arundinum, specie resinæ &amp; splendentis salis.

Materia sacchari hodie copiosissima Antuerpiam &amp; in Belgium, ex Insulâ S. Thomæ, Canarijs, &amp; Maderâ advehitur. In Insulâ S. Thomæ, sub ipso Äquatore, molunt cannas, &amp; quod superat expresso succo, obijciunt porcis; qui inde in tam miram teneritudinem pinguescunt, ut carnes de bonitate cum capis Hispánicis certent, denturque vulgo ægris, &amp; ventriculis invalidis, ad facilem concocturam.

Saccharum gignit sitim, spiritusque calidos ac lucentes continet. Vnde si cultrum ei affrices ( quod sæpè sum expertus ) in tenebris, lucem velut igneam executies, ictu nullo ferè frustrante &amp; irrito. Albius minus calorificum esse, censet Amatus. Saccharum autem revera meteorum non est, quia corpus est perfecte mixtum. Imò verius est, non è vapore aut rore in cannas deciduo gigni, sed esse humorum alimentarium, radice è terrâ attractum, ac yeluti arundinum sanguinem.

## C A P V T V.

*De nube.*

ATERIA nubis est vapor, multâ exhalatione permixtâ contaminatus, ut ex aquæ pluviae, &amp; nivalis impuritate liquet. Forma, est concretio &amp; densatio in mediâ, aut circiter, regione aëris.

Materia vero nivis est nubes, Forma, congelatio. Refrigescit autem vapor &amp; exhalatio

exhalatio à formâ istorum halituum substantiali, vel frigore aëris, à vapore aliquo præcedente aut quandoque montium cacuminibus & cautibus refrigerati. Vnde capita aliorum montium vix unquam sine nubilo conspicimus. Vel denique, quia ipse fortasse aër naturâ suâ frigidus & frigorificus est. Congelatio verò nivis, à gelidâ & siccâ venti aliquius nubem perstringentis, exhalatione esse solet. Libro enim III. docuimus, omnem passim conglaciationem à talibus ventis concrescere.

De altitudine nubium à terrâ, respice ad Cap. I. Libri I. ubi quantitatem regionum aëris definivimus. Nubem sic definies: Vapor exhalationi mixtus, circiter medium aëris regionem, frigore citra congelationem densatus & ibi hærens.

## ARTICVLVS I.

*Quæ caussâ nubes in mediâ aëris regione suspendat.*

**A** Sole, vi quadam magneticâ suspensi, Antonius Ber- Scal. Exer-  
cit. 79.  
aga, & Scaliger credunt. Sed perperam: quia sic nocte  
uniuersæ nubes reciderent in terram, desertæ à Sole occi-  
dente. Sol enim apud Antipodes lucens, nequit hemisphæ-  
rij nostri nubes in aëre sustentare. Meurerus non dissolvit,  
sed unico iactu abscondit difficultatem, dicitque à Deo su-  
stineri. Sed Deus tales effectus non solet sine caussis secun-  
dis producere. Secundam autem inquirimus, quæ cum  
ipso ligat aquas in nubibus. Iob. 26.

Dico Primo: Non aliter nubes suspenduntur à Sole,  
quam quia ab ipso rarefit humor, & levitatem ad scanden-  
dum, & in sublimi consistendum, accipit. Patet ex dictis, &  
jam dicendis.

Dico Secundo: Aequilibrij leges, quibus graviora in me- Prou. 8.  
dio liquido subsidunt levioribus, tenent nubes in aëre. Vnde Sapiens ait Deum librasse fontes aquarum: quod plurimi  
Interpretes de nubibus aquam pluviam fundentibus intel-

Iob. 26.

ligunt, quas Deus velut in trutina, librat & ponderat cum aëre in quo natant, ut ibi consistere possint. Hoc verò etiam est quod Iobus vocat, *ligare aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.* Probatur deinde exemplo omnium quæ aquâ vehuntur. Lignum enim, & universa quæ natant, ideo nō merguntur, quia è quale, aut minus ponderis habent, quâm humidum paris extensionis, in quo sustentantur. Nam hinc est, ut calculus exiguis defluat in aquæ fundum, non trabs ingens, infinitò pænè illo ponderosior. Quia calculus, inquam, gravior est particulâ illâ aquæ, cuius præcisè locum occupat, trabs non item. Si enim aquæ mollem trabi parem, cum ipsâ trabe in trutinâ appendas, aqua sine dubio præponderabit. Idem eveniet, si humores inæquals ponderis, ut v. g. vinum & aquam, in unum confundas: gravior enim semper subsidet. Si alibi ubique natura servat hanc legem, nubes & aër ab eâ exlex non erit.

Sed nubes densiores aëre sunt, ut docent Plinius, Thimon, Scaliger, & plerique feré quos video. Igitur & graviores eodem aëre erunt; cùm gravitas respondeat, & sequatur densitatis modum. Probat Plinius esse densiores, quia Solem nobis obnubunt, conspicuum tamen urinantibus

Plin. lib. 2: per quamlibet aquarum altitudinem.

8. 42.

Verùm eodem argumento conficeret, nubes esse ponderosiores totâ etiam profunditate maris. Quod palam à vero longè dissidet. Igitur in re qualibet opacitas à densitate valde distinguenda est, ut Io. Bapt. Benedictus Epist. ad Venerium scité docet. Vitra enim, crystalli, margaritæ, adamantæ densissimi sunt, nec tamen opaci. Contrâ, pumices, suber, & plurima genera lignorum rariora & minus gravia sunt crystallo, & tamen opaca. Gravitas enim non opacitatem sequitur, sed densitatem. Nubes ergo plus opacitatis & caliginis, quâm aër insimæ regionis habent, minus tamen densitatis & gravitatis. Ratio est, quia aër inferior

S. Aug. lib. 3. c. 10. de Genes. vaporibus densioribus & gravioribus, quamvis pellucidis, è sublimi relabentibus totus pinguescit. Sed tenere me non possum, quin elegantissimis S. Augustini verbis id exprimam.

mam. Hec spatia, inquit, turbida & procellosa, propter aëris naturam usque ad undas terrasque porrecta, possunt aërea corpora sustinere, possunt & avium que producta sunt ex aquatis, propter aquarum tenues halitus, qui scilicet eidem aéri in exta undas & terras circumfuso, atque ob hoc infima atque terrena parti deputato, vaporaliter inseruntur, & auras intexunt; quæ nocturnis rigoribus aggravatae, sereno etiam rore distillant. Si autem vehementius frigus est, etiam gelu candidius inalbescunt. Quidquid enim in nubibus rotulento, frigore mediæ regionis facilè condeusatur, & continuum, aut guttatum divisum, in aërem subiectum, victo æquilibrio, leniter defluit. Alia verò vaporum rarior & tenuiori filo contexta pars caliginosis terræ & corporum mixtorum fumis permixta, stat in sublimi propria levitate pendula. Vnde opacitas nubium præcipua non in puro aquæ vapore, sed in exhalationibus corporum gravium opacorum vaporí permixtis consistit. Quod ex nebulâ intelligi potest, quæ est sterilis & fumosa nubis portio. Hæc enim ad nos usque delapsa, etjam è vicino insignem opacitatem & caliginem ostendit. Nubes autem quod longius ab oculo absit, eò opacior & tenebrosior appetet.

Tota hæc doctrina per refractiones siderum confirmari potest. Nam ideo orientium & occidentium astrorum refractiones ampliores & insigniores sunt; quia radij, cùm sidus juxta horizontem est, per longiorem infimæ regionis aëris tractum, qui aëre mediæ regionis densior est, transit. Vnde Tycho, aërem superficiem terræ ambientem, sextuplo densorem esse colligit illo, qui 30. gradibus à terrâ elevatur; ubi siderum omnium refractiones evanescere solent. Sicut ergo rectè colligimus aquam densorem aëre, quia res ex fundo aquæ conspecta, speciem sui dilatat, & ut Optici loquuntur, refringit; ita idem argumentum ad aërem infimæ & mediæ regionis transferre possumus. Cùm enim summus solaris corporis limbus horizontem stringit, in aëre etiam quām potest defacatissimo, refractionem esse 34. scrupulorum Tycho animadvertisit. Diversis etiam anni temporibus refractiones ampliantur, aut restringuntur.

Hieme enim majores sunt, & quandocumque aër inferior rorulentus magis est; æstate, & sereno ac sicco, minores.

Iudem etiam vapores infimæ regioni intertexti, & eam degravantes, faciunt ut nullum; præter Solem & Lunam, sidus ferè umquam à perspicacissimis etiam cernatur ad ipsum horizontis limbum, sed demum post aliquantam elevationem, & ubi infimum illud aëris crassamentum sedimentumque ascensu superaverit.

Finio igitur ac iterum inculco, nubes opaciores, sed rariores tamen & leviores esse nostrate in quo respiramus aëre: ideoque eas in sublimi natare & suspendi, ceu lignum in aquâ se graviori. Hinc quò tenuior & ratiō est nubium vapor, ed altius in cælum scandit, & quoisque aërem paris secum ponderis invenerit. Et inde etiam est, ut plures sœpè nubium ordines & suggestus cernamus. Leviores enim stationem sublimiorem, quam aliæ ponderosiores obtinent. Vnde etiam manè citius ab aurorâ afflantur, & vesperi seriū retinent crepusculum:

Plin. lib.  
31. c. 1.

Hæc audiens, minuet fortasse admirationem suam P linius: *Quid esse, inquit, mirabilius potest aquis in cælostantibus?* At illa, ceu parum sit in tantum pervenire altitudinem, rapiunt eō secum piscium examina. Sœpè etiam lapides subvehunt, portantes aliena pondera. Posterioribus verbis alludit, nisi fallor, ad lapides & pisces pluvios, quos nimis simpliciter, ē mari aut fluminibus cum vapore in altum scandere existimat.

## A R T I C U L V S II.

*Frustrâ Fortunius Licetus doctrinam precedentem vellicat.*

**V**idi postea quæ adversus hujus Articuli doctrinam meditatus nuper est Doctiss. Philosophus Patavinus Fortunius Licetus. Non placet ipsi nubes esse rariores aëre in quo pendent; ideoque negat eas in aëre natare, sicut super in aqua. A me quoque dissentit Doctissimus P. Francis-cus Resta Cler. Minor. Fromondus ait, inquit, *nubes esse rariores*:

rariores infimo aere, idcirco pendulas in media regione consistere, contra Plinium, Thimonem, Scaligerum, & alios afferentes nubes esse crassiores & minus leves acre. Et cum his nos etiam sentimus. Lib. 2.  
Tract. 1. c.  
5. Meteor.

Sed male uterque. Et si Philosophiae Staticae pauculam operam navassent, scopulos in quos imprudentes impingunt, credo, vidissent. Animadvertisserent etiam Aristotelem in nulla Philosophiae naturalis parte, minus scientem & callidum, quam in ea, quæ gravitatis levitatisque naturam ac motuum inde fluentium leges considerat. Nondum quippe tempore ejus natum erat magni Archimedis ingenium, cui Deus hanc Philosophiae partem reservaverat. Inepti enim nimis sunt, qui Aristotelem omnia novisse, & nihil post eum quærendum esse existimant. Quo stomacho tales illud multo cij & sapientissimi Genebrardi devorare & digerere poterunt? Ante Aristotelem insignis Geographia inscita, Genebr. ad  
an. Mundi  
3791.

qua postea, expeditionum Alexandri in ultimam Asiam beneficio, emendata est. Vnde & ipse in Metereologicis & alibi, de terrarum regionibus, locis, flavijs &c. loquitur ut cæsus de coloribus.

Bonum factum igitur erit, si D. Licetus, P. Franciscus Resta, ceterique similes Archimedis Libellum *De insidentibus humido*, cum Comandini, aut Rivalti Flurantij commentarijs, deinde Stevinum, Cusanum, Bapt. Benedictum de Staticis legant. Audio & Galilæum quippiam nuper ejusmodi Philosophiae edidisse, quod nondum contigit videre. Sed non ambigo, quin ceteris consententia scriperit, cum Mathematicus & Philosophus inter magnos fuerit.

Qui verò Mathematicas rationes & ratiocinationes non satis capiunt, experimenta saltē consulant, & errorem suum brevi intelligent. Philosophia enim Liceti nullam in elemento terræ levitatem admittit, & tamen si solidissimam terræ glebam plumbo liquefacto injiciat, non in fundum desidet, sed natabit. Ferrum quoque, quia terrestre metallum est, secundum ejusdem Philosophiae leges, plumbo & ceteris aqueis metallis subcidere oporteat, & ramen minimè facit. Globus enim ferreus in auro, argento, plumbo liquato, perinde ac ligneus in aqua, supernatat.

Geor. Agric.  
 col lib 3.  
 c. 17. de  
 subteir.

Verissimum quippe, quod experientissimus Agricola nar-  
 rat, Gravissima queque pondera metallis liquefactis innatate;  
 modò sit maior eorum moles, quam rerum quarum gravitatem susti-  
 nere debent. Nec enim etiam trabs lignea in tenui rivo porta-  
 tur, quæ in flumine tam facile natat. Similiter rates, & na-  
 ves tot æneis tormentis & alijs gravissimis oneribus onu-  
 stæ, imò Insulæ totæ natantes, homines ligatis manibus  
 pedibusque ab Imp. Vespasiano & Traiano in locum As-  
 phaltitem sive Mare Mortuum dejecti, cadavera post ter-  
 tium, quintum, aut septimum à submersione diem, ad lu-  
 cem & aquæ superficiem resurgentia, & plurima alia natu-  
 ræ miraculis celebrata, nou subsidunt in profundum. Qua-  
 nam, putas, de caussâ D. Licete? Frustrè ad aërem tuum  
 poris corporum tam gravium inclusum recurrès. Non enim  
 tam valido impetu tantulus aër sursum avolat, ut tanti pon-  
 deris molem secum auferat. Solida & unica omnium ratio  
 est, quam Philosophia Statica ministrat; quia corpus soli-  
 dum naturaliter libratur se cum liquido in quo versatur. Si  
 in pari extensione corpus liquidum minus sit grave quam  
 solidum, hoc in fundum pessum ibit. Si verò solidum sit mi-  
 nus grave, natabit, & extra aquæ aut fluidi cuiuscumque  
 superficiem eminebit, secundum proportionem excessus  
 gravitatis corporis fluidi quod ipsum vehit. Hoc te non so-  
 lüm Mathesis, sed Seneca etiam decebit. Erat in Sicilia, est  
 adhuc in Syria stagnum, in quo natant lateres, & mergi proiecta  
 non possunt; licet gravia sint. Huius rei palam caussa est. Quamcum-  
 que vis rem expende, & contra aquam statue, dummodò utriusque  
 pars sit modus (quantitas, sive extensio) si aqua gravior est, le-  
 viorem rem quam ipsa est, feret, & tanto supra se extolleat, quanto  
 erit levior; graviora descendunt. At si aquæ & eius rei quam contraria  
 pensabis, par pondus erit, ne pessum ibit, nec extabit, sed equabitur  
 aqua: & natabit quidem, sed pâne mersa, ac nullâ eminens parte.  
 Hoc est, cur quedam tigna supra aquam penè tota efferantur, que-  
 dam ad medium submersa sint, quedam ad equilibrium aquæ des-  
 cendant. Namque cum utriusque pondus par est, neutra res alteri  
 cedit, graviora descendant, leviora gestantur. Grave autem & leve  
 est, non

Senec. lib.  
 3. c. 25.  
 Nat

est, non estimatione nostra ( ô vera & præclara sententia ! ) sed comparatione eius quo vehi debet. Itaque ubi aqua gravior est hominis corpore aut saxy, non sinit idque non vincitur, mergi. Sic cvenit, ut in quibusdam stagnis ne lapides quidem pessum eant.

Ex eadem prorsus disciplinia Cardanus, de oneribus quæ vehere sine periculo submersionis naves valent, disputans:

*Quilibet navis, inquit, tantum ferre potest ponderis, quantum est pondus aquæ quam continere potest. Velut si triremis capiat in flumine mille amphoras aquæ, quarum pondus sit decem millia talentorum, triremis illa in flumine decem millia talenta feret. Quod si eadem in mari capiat easdem mille amphoras, quarum pondus sit duodecim millium talentorum ( nam aqua maris gravior est aqua fluminis ) eadem in mari duodecim millia talenta ponderis feret.*

Atque ea ratione manifestum est, cur navigia appellare solemus à mensura; ut navem mille, vel quingentarum amphorarum. Idem enim est, ac si dicas, quæ ferre potest mille, aut quingenta ponderis talenta. Nam qualis est capacitas, ut dixi, navis ratione aquæ, tantum est pondus quod ferre potest. Scilicet, quantum est pondus aquæ quam capit. Manifestum est igitur ex hoc, quod diversa pondera eadem navis in diversis aquis feret; quoniam & aquarum ipsarum diversa sunt pondera.

Nec tantum in aqua, sed etiam in metallis liquidis ( ut antea ostendi ) & quolibet corpore fluido, sive aer, sive ignis, sive vapor aut exhalatio sit, locum hæc doctrina habet, & eandem indolem, trutinationisque modum, ut unumquodque corpus suo loco constituat, natura servat. Dicit hoc eleganter S. Augustinus. *Pondus non ad imatantum est, sed ad locum suum. Ignis sursum tendit, deorsum lapis. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Oleum infra aquam fusum supra aquam attollitur: aqua supra oleum fusa, infra oleum demergitur. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Minus ordinata, inquieta sunt: ordinantur, & quiescent. Isto quippe motu, quo se invicem librant & trutinant, ad quietem tendunt, eamque assequuntur, cum rariora densioribus supersunt.* Talem enim inter corpora Mundi elementaris ordinem natura & providentia Conditoris constituit, quia spatia centro universi propinquiora sunt

S. Aug. lib.  
13. c. 9.  
Confes.

sunt angustiora superioribus, ideoque illa merita debentur corporibus, quae sub æquali materiæ multitudine, minus spatij occupant, id est densioribus; spatia vero superiora debentur illis, quæ licet non amplius materiæ contineant, plus tamen spatij implent, hoc est rarioribus.

Raritatem vero istam proximè sequitur levitas, quæ corpus rarius alteri densiori superponit; pariterque densitatem sequitur gravitas, quæ corpus gravius subsidere leviori facit. Et hoc lege infallibili, quæcumque forma substancialis talis corporis fuerit. Vnde vapor rarefactus, sursum per aërem levitate suâ scandit, etiamsi formam substancialem aquæ non exuerit. Aër vero condensatus, deorsum per alterum aërem leviores fluit, et si priorem etiam aëris formam non amiserit.

Valde enim, meo iudicio, fallitur D. Licetus, dum aërem in nubem, aut aliter condensatum, nullum gravitatis pondus contrahere contendit, & à Magistri sui Aristotelis sententia palam discedit. Quid enim hac ejus mente lucidius,

Arist. lib. 4.  
c. 4. de celo.  
Benedict.  
disp. 26;

nisi Interpretum quorundam anticipata opinio velut nubilo quodam infuscaret. In sua regione omnia gravitatem habent  
prater ignem: etiam aer ipse. Signum autem est, quia trahit lancem  
amplius inflatus uter, quam vacuus? Quod exemplum, ait Io.  
Bap. Benedictus, de utre inflato, debuisse saltem ei oculos ad ve-  
ritatem quæ clarissime fulget, inspiciendam aperire. Illo enim loco,  
inquit Benedictus, manifeste Aristoteles indicat se causam nec  
gravitatis nec levitatis corporum naturalium nosse; quæ est densitas  
aut raritas corporis gravis aut levis, maior densitate aut raritate  
medij permeabilis, in quo reperitur. Sed tamen Doctiss. Bene-  
dictæ, etiam Aristoteles hanc veritatem quandoque vidit &  
tecum agnoscit. Rarum est leve, inquit lib. 4. c. 9. Physic.  
ideoq; ignem rarum esse dicunt. Ac deinde: Densum est grave, ra-  
rum autem leve. Alibi etiam demonstrat, punctum nec gra-  
ve nec leve esse, quia neque densum neque rarum esse po-  
test. Et denique lib. 8. c. 7. Physic. densitatem & raritatem  
esse principia gravitatis & levitatis expressissime affirmat.

Quod vero ait, utrem inflatum utre vacuo graviorem &  
pon-

Arist. lib. 3.  
c. 1. de  
celo.

ponderosiorē esse, sum quoque ego olim, cūm isthāc magis quām hodie curāe essent, diligenter expertus. Assumpto enim folle. lusorio, diametri duorum palmorum ac di-midiati, aluta sive pellis, omni quantum poterat aēre ex-presso, dimidiā libram, demptā exactā quartā parte unciā, in pondere habebat. Deinde aēre sereno æneā syrin-ge inspirato & inculcato, quantum valuit tumefeci, & ad bilancem revocavi. Invenīque dimidiā librāe esse, non de-tractā, ut antē, sed additā quartā unciā parte. Vnde uter sive follis inflatus, dimidiā parte unius unciā exactissimē, seipso vacuo ponderosior inventus est. Unciam verò deci-mam sextam partem librāe nostrāe vulgaris accipio. Aērem autem serenissimum, nec ore, sed syringe inspirare & condensare malui, ut quorundam Peripateticorum calum-niam declinarem, qui aērem quo uter Aristotelicus tur-gidus fuit, vaporibus & sputis inquinatum & degravatum fuisse nugantur. Maneat igitur, aērem, si in nubibus, aut ubicumque condensetur, gravitatem à densitate contrahere, qua infra aliud aērem circumfluum & rariorem necessariō debeat succumbere. Vnde ex ista tam generali & invio-labili naturā lege, iterum affirmo quod D. Licetus tentavit loco movere: Nubes in aēre mediā regionis pendere, quia rariores sunt, ac proinde leviores inferiori aēre. Ac iterum, in corporibus naturalibus raritatem à perspicuitate valde distinguendam esse. Aēr enim inferior, et si ut glacies, vi-trum, crystallus, adamas, perspicuus sit, gravior tamen est opacā nube. Opacitas quippe non semper à densitate, sed maximē à situ interiorum partium corporis provenit, quæ varijs superficiebus radios luminis obliquant, fran-gunt, redundunt, ne pervadere profunditatem valeant. Quod in glacie, vitro, vel crystallo manifestum est. Nam glacies integra & continua pellucet radiumque Solis trans-mittit; quæ tamen opaca redditur & radios repellit, si in partes & scobem confringatur.

Quod autem eriam addit D. Licetus, nubes quasdam nimboſo vapore gravidas, aēre inferiore graviores esse, sed

Arist. lib. 4.  
c. 6. de  
cælo.

in eo fluitare & sustentari, non ob levitatem, sed ob figuram latiorem: ob quam subtilissima plumbi, ferri, auri lamina per aërem volitat, auris mitioribus delata, & supernatat diutius aquis, observatu Magistri, fallsum, & à Magistro suo in disputatione cum Democrito confutatum afferit. Nam in corpore duro & continuo, ait Aristoteles, facile intelligi potest, quomodo concavum & tenuis laminæ plumbeum vas, aquæ impositum, non illicè descendat; quia gravitas illa plumbi totam aquæ quam fundo tangit & premit latitudinem non statim dirumpere simul valet. Quod in nube fragili & tenerrimâ nequaquam locum habet. Sed hoc ab Aristotele additum etiam oportuit. Vas illud plumbum, instar naviculae, intra aquam eosque tandem deprimi; donec loco depellat corpus aqueum tanti ponderis, quantum est laminæ plumbeæ & aëris inclusi pondus quod superficiem aquæ premit. Sic enim etiam navis secundum proportionem ponderis quod ex ligno quo constat, aëre inclusa, & universis sarcinis, componitur, in aquam desidit. Vnde interdum fit (quod mirum videtur) ut corpus grave alteri corpori gravi, quod solitarium mergeretur, additum, nare ipsum faciat. Quod ingeniosè Poëta ille animadverdit.

Stat. lib. 9.  
Theb.

*Spicula jam clypeosq; leves, arcusq; remissos.*

*Vnda vehit, galeasq; veteræ descendere cristaæ.*

Galeæ enim ferreæ, quæ solæ gravitate sua fundum pterent, cristatae & comantes jam natant; quia volumen ex galeæ ferro & cristis contortum, ab aqua paris molis & extensionis, pondere superatur; ideoque volumen illud extra superficiem aquæ tantum eminere debet, quanto levius est aquo corpore.

Plura, quæ olim discipulis in Libris de cælo tradebam, locus iste non capit. Quæ vero jam dixi, Lector non gravatè accipiat, & si placent, D. Liceto qui expressit, gratias agat.

Exemplum vero glaciei, quæ aquæ liquidæ supernatat, D. Licetum in hallucinationem & errorem præcipue adduxit.

duxit. Putat enim glaciem longè densiorem, & tamen leviorē esse aquā fluente, non satis distinguens densitatem à concretione. Concrescit enim glacies ex summa & levissima aquæ fluentis parte, nullā aut minimā condensatione. Aqua enim condensationi adeò contumax est, ut in utrem aut vas aquā plenum, nullo syringis, aut cujusvis inspirationis conatu, quidquam aquæ valeat amplius inculcari, sicut aërem novum in utremaëre plenum per condensationem videmus inferciri. Bodinus tamen existimat glaciem centesimā parte densiore esse aquā fluente, unde concrevit. Quod si demus, necesse omnino est, paullisper & fermē insensibiliter talem glaciem in aquam cui innatā, succumbere. Non descendit autem profundē, quia statim infra summam superficiem, invenit aquam sibi æquilibrem. Aqua enim, sicut vinum, oleum, & omnes ferme liquores, est corpus heterogeneum ( saltem propter aliorum corporum graviorum, aut leviorum mixturam ) adeoque levior pars tenet summum. Quod ante me etiam vidit, & dixit Bodinus. *Probabilitas est,* Bodin. lib. 2. Theat.

*crystallum, inquit, saxeam ac terream naturam contraxisse, vetustate quadam, ac propterea fundum aquarum petere. Nam si vada fluminum gelu concrescerent ( quod per naturam fieri non potest, quia tum maximè calent, cum aquæ in superficie gelu ac frigore obriguerunt ) ea glacies detracta & in flumen coniecta, non fluitaret, sed gravior superficiali aqua, fundum repeteret. Verum quoniam sola superficies, aut superficii proxima pars gelu concrescit, que pars est aquæ levissima, propterea glacies in aquam projecta fluitare consuevit.*

## ARTICVLVS III.

*Figura nubium circularis est: adversus Cardanum.*

**C**ardanus nubes in utrāque superficie planas esse contendit. Inprimis, quia eorum dorsum complanatum cernitur ex altissimis montibus. Secundò, etiam inferior superficies æquali semper à terrâ intervallo abesse videtur

Cardan. lib.  
17. Subtil.

in terræ superficie ambulantibus. Tertiò, quia nubium agmen linea recta agitur ventorum flabris.

Certum tamen videtur, nubes æqualis ponderis in eodem uno circulo componi circa terram, si aér in quo una & altera penderit, sit uniformis densitatis. Ratio est, quia nisi densitate dispare sint, per medium ejusdem raritatis æquè altè scandunt à terræ superficie. Hæc autem terræ superficies circularis & rotunda est; igitur & nubium circa eam catena debet esse talis. Sæpè tamen nubibus interlucet aér, stantque utrimque veluti alti quidam nubium montes, nec in hiatum illum inter eas medium defluunt, ut rimam sarciant, & impleant circulum; quia haud dubie aér qui rimam replet, æqua densitatis & gravitatis est cum adstantibus utrimque æquali à terrâ distantiâ nubibus.

Ad Primum Cardani respondeo, Convexam nubium superficiem è monte videri planam, ob curvaturæ amplitudinem. Sic enim etiam terræ aut maris dorsum planum & sine gibbo appetet, licet reverà gibberum sit, & assurgat in tumorem.

Secundum à nobis pugnat: & nescio quid Cardano venerit in mente. Si enim nobis orbiculari motu, terræ globo inambulantibus, ubique nubes æquali altitudine, capitibus nostris imminent; igitur in orbem etiam dispositæ & talis figuræ sunt, qualis terræ in qua ambulamus, superficies est.

Tertium etiam, falsum sumit. Venti enim non in rectum, sed in orbem nubes agunt. Si enim linea, per quam venti spirant, esset recta & parallela horizontis plane, quod longius à vertice nostro abducerentur nubes, eò altius perpetuò ascenderent. Quando verò ab horizonte ad verticem expelluntur, scandere quidem videntur; sed revera non faciunt. Sic enim etiam sidera attolli dicimus, & deinde deprimi in Occasum, licet pari semper à terrâ distantiâ circumagantur. Ratio est, quod cælum stringere terram, aut mare videtur in circulo terrestri, infra quem nihil, propter globi curvaturam, possumus aspicere.

Et inde est, ut Poëtæ Auroram & Solem fugant ē mari surgere.

*Oceanurus*

*Oceanum interea surgens Aurora reliquit.*

Aeneid. 4.

Et alias:

*Iam premis astra dies, humiliisque ex aequore Titan  
Rorantes evolvit equos.*

Stat.  
Achill. 1.

Pari modo recidere vesperi in pelagus videtur:

*Principitem Oceani rubro lavit aequore currum.*

Georg. 3.

Et ille adhuc magis mendax, de Solis equis:

*Flammiferum condunt fumant gurgite currum.*

Sil. lib. 1.

Hic etiam ex Anaxagoræ disciplina, qui Solem, ferrum candens existimavit, stridorem extincti in aquâ addit:

*Condiderat iam Solis equos Tarteſſia Calpe,  
Stridebatque fretu Titan insignis Ibero.*

Auson.

Nubes autem ultima, quam veluti tangentem terræ circulum, in quo visus noster deficit, cernimus, non impendet illi terræ circulo, sed longè satis ultrâ est.

#### ARTICVLVS IV.

*De nive, & causis eius.*

**A**VATOR Libri de Mundo, & Plinius nivem *aquarum* Plin. lib. 17. c. 2. *calcium spumam* esse credunt. Nubes enim mutuâ collisione spumare aiunt, & subito deinde rigore spumam istam in nivium floccos gelari. Sed falluntur. Sine etenim ullo statu, & nubium confictu, sàpè nives generantur. Non est igitur necesse, spumam fieri ante nivem, sed sola nubis congelatio facit illum candorem.

Brevissimè ergo & scitiissimè ab Aristotele nix definitur, Nubes congelata. Vnde materia nivis transiens, est nubes; forma, gelu quo stat & stringitur; efficiens, acre frigus; finis, stirpium salubritas. Nam qui dixit hiemes serenas optandas, non pro arboribus vota fecit, ait Plinius. Vnde experientes agricolæ hiemes potius gelidas & nivales habent in votis. Exinaniantur etenim plantæ nimio tempore hiemis, languoremque in posterum contrahunt festinatâ germinatione. Inter signa quoque secuturæ pestis, hiemes tepidae

& minimè nivales habentur. Maximè si in flores & rosas etiam valeat tepor.

Licet autem communia arborum frugumque vota sint, nives diutinas sedere; si nimis tamen pertinaces sint, nimio frigore nocent, & ex matribus ubertatis, novercæ fiunt, ut loquuntur nostri Germani.

Dubitatio hæc, cur ex nube, priusquam in nivem rigescat, non generetur semper pluvia, Vicomercatum exagavit. Majus enim frigus ad stringendam nivem, quam ad coëundam molliter pluviam, est necessarium. Cum igitur non congeletur nubes in momento, oportet antè per gradū frigoris transire, qui sufficit ad pluviae generationem, ut ad ulteriorem & intensiorem perveniat, quo nubes obrigescit in nivem.

Respondet Vicomercatus, non eamdem fortasse nubem, nivium & pluviae esse secundam. Nubes enim siccior, ait, est materia nivis, humectior pluviae.

Sed tam perfundorio conatu hanc salebram evadere non potest. Nam omnis nubes humorem pluvium continet; alias enim mera esset exhalatio. Deinde, nix ipsa postquam decidit, in aquam tabescit. Denique expertum est, ex eadem nube, in montibus ningere, pluere in vallibus: quod accidit, quia nix longiori per tepentem infimæ regionis aëra delapsu, liqueficit in pluviam, ante quam ad terram veniat.

Nodus itaque aliter, & sic dissolvo. Exhalationes siccæ, per omnes vaporis nubilosí venas sparsæ, à subito & magno frigore corripiuntur & extinguiuntur, & cum vapore aqueo in eamdem nivis, ut sic loquar, telam & contextum alligantur. Caussa hujus ulterior, ac magis intima est; quod minutissimæ vaporis atomi, interiectis exhalationis particulis ubique interpolatae, in guttas grandiusculas se colligere statim nequeant, ut pluvia ante nivem generetur.

Ad hæc, aër etiam ipse mediæ regionis densus ac veluti rigens, guttularum confluxum distinet & impedit. Oportet autem stillicidia ad certam plenitudinem pervenire, ut in

in formam & modum pluviae refluere valeant. Eadem fere causa est, cur vapor, rigente hieme, ore humano exspiratus, in nivem illam barbae citius, quam in pluviam concrescat: idque si frigus majus & improbus fuerit. Si enim paullo mollius sit, tunc ante vapor in rorem vertitur, & deinde in pruinam duriorem, aut stirias glaciales obrigescit; quales non raro ex barbis rusticorum nostrorum dum hieme ad forum veniunt, cernimus.

Dubitatem etiam habet, cur nix, quam pruina, mollior sit, cum frigore asperiori concrescat. Nix enim in mediâ regione algentissimâ, pruina in infimâ, & quidem ex vapore mollissimo, qui materia roris est, coagulatur.

Vicomercatus censet, materiam pruinæ amplius siccarum exhalationum continere, quam nubem, quæ est materia nivis; ideoque aridiorem & asperiorem nive esse, licet tenuior sit.

Verum licet id non omnino abiiciā; inspice tamen curiosé pruinam, multas particulas vaporis jam ante concretionem, ad naturam aquæ redisse, & postea glaciatas judicabis, indeq; esse præcipuam ejus duritiem. Pruina quippe ex minutissimâ & farinulentâ, ut sic dicam, glacierum congerie componitur, infinitaq; minima specula continent, quibus Solē & lucem reflectit. Cujus rei etiam hoc indicium accedit, quod in pruinâ sœpè viæ perpetuâ glaciei laminâ loricatae & gypsatae visantur, ut calcari, nisi lapsabundo vestigio, non possint. Et hæc etiam videtur causa, cur pruina novelas germinationes, magis quam nix, adurat. Glacies enim pertinaciùs quam nix plantis adhæret; ut nec Sole statim tabescere, nec ventis difflari queat.

Tempus nivale, hiems est. Et licet alijs anni temperatibus nubes vento aliquo gelante concrescere valeant, dissolvitur tamen facilimè in pluviam, antequam terram tangat, minimo infimæ regionis tempore.

Hinc altissimorum montium vertices, flagrantibus etiam <sup>Tac. lib. 7.</sup> & statibus, nives suas retinent, miraturque Cor. Tacitus <sup>Hister.</sup> Libanum Syriæ montem tantos inter andores opacum fidumq; nivibus.

nivibus. Ut verum esse existimem, quod nuper ex Orientali peregrinatione redux narrat D. Stochovius: *In ascensu montis Libani, intra duorum dierum spatium, omnes anni varietates experti sumus. Ad radices montis aestus erat flagrantissimus, in medio clivo temperies verna aut autumnalis, in cacumine nives & pruina, veraq; imago hiemis.*

Decidit autem nix per floccos, sive particulas lanarum floccis similes: quia etsi tota & continua nubes frigore dirigerit, frangit se tamen in lapsu, quia floccatum, sicut pluvia guttatim, facilius aerem dividit. Alludit Psaltes: *Qui dat nivem sicut lanam.* Etsi istic non ad floccos, sed ad calorem quo per antiperistasm radices plantarum hieme nix, ut lanae vestis homines, fovet, Bodinus cum Rabbiniis respici a Psalmista velit.

Hoc autem mirum, singulos feré nivis floccos deprehendi figuræ sexangularis. Quam ab anima, quæ nivem & aerem aquam, terram animat, conformari credit Io. Keplerus.  
Kepler. lib. L. Epit. *Facultas formatrix in aëre est, inquit, unde locusta, musca, adeo & figura nivis sexangula. Sic pediculati in corpore hominis, indicium faciunt alicuius facultatis anime praesentis in illo corpore. Sed res quædam inanimæ suas etiam à natura figuræ habent. Sic grandines & pluviæ guttas rotundas videmus.*

In quibusdam etiam gemmarum & fossilium generibus Geor. Agri- omnia aut pleraque ijsdem figuris effigiata esse Agricola col. lib. I. c. 13. de narrat. Crystallus plerumque sexangula, thyites exacte nat. fossil. rotundus, beryllus teres ut cylindrus. *Aliqua etiam species adamantis est sexangulari figura, ait Bodinus, & utraque extremitate sic affabre & concinna turbinata, ut nulli artificio comparari possit. Arabicum adamantem Plinius vocat.*

Quæ tamen omnia vivere, quidquid affirmet Keplerus, nos negamus. Nego deinde omnes nivium floccos sexangulares esse. Nec dubito, quin in mediâ aëris regione, ubi concrescunt & formantur, plures angulos habeant, qui in tanta floccorum teneritudine & longo lapsu, antequam ad nos perveniant, deterantur.

Venti nivales sunt ijdem qui etiam in gelu & glaciem frigore

frigore & siccitate sua valent; Aquilonares nempe & qui ad Ortum vergunt. Flocculi tamen his flatibus, minores & magis farinulenti sunt, pleniores vero flante Austro, Favonio, & quicunque plus humoris vehunt.

Montes, & omnia loca altiora, nivosa magis sunt; ut in Belgicâ Arduennâ, & toto Limburgensi Ducatu vide-  
mus. Ratio non penes nivalem influentiam aliquam cæle-  
stem ibi dominantem quæri debet; sed quia loca mediæ  
regioni aëris propinquiora magis frigent, & nives, quæ  
longiori per infimam regionem lapsu in aquam diffluunt,  
integras adhuc excipiunt, & retinent diutius. Unde illa ex-  
celorum montium canities hiemalis, ubi plana camporum  
æstivis caloribus ardent, ut paullò ante dicebamus.

## ARTICVLVS IV.

*Effectus nivis.*

**P**rincipalis, est incolumentas frugum. Spiritum enim terræ, plantis vitalem, nix intra terram suppressit & continet, ut circa radices plantarum hæreat. Deinde & ipsa multo halitu salutari turget, quem cum humore blando terræ venis inspirat. Existimo etiam, nives nucum avellanarum favere proventui, & hinc copiam nucum, signum minimè mendax esse fertilitatis arborum, ut hoc anno 1626. & alias sapienti sumus. Virgilius I. Georg.

*Contemplator item, cum se nux plurima silvis.*

*Induet in florem, & ramos curvabit olentes.*

*Si superant fætus, pariter frumenta sequentur,*

*Magniç cum magno veniet tritura calore.*

*At si luxuria foliorum exuberat umbra,*

*Nequidquam pinguis paleæ teret area culmos.*

Temperies igitur anni quæ Cereri, eadem avellanis est amica.

Nix, quia mirificè algida, adhibita olim ad frigeranda

M m m vina

Sene. lib.  
 4. c. 13. Nat.

vina à delicatis. *Invenimus*, quomodo stiparemus nivem, con-  
 queritur Romanus Sapiens, ut ea a statem evinceret, & contra  
 anni fervorem defendetur locifrigore. Servabant autem, uti  
 & glaciem, inter paleas in subterraneis. Chares Mitylenæus,  
 qui res Alexandri Magni scripsit, narrat eum in Indiâ  
 tringinta fossas jussisse excavari, replerique nive, superje-  
 & is quercuum ramis, nivemque ita diutissimè integrum si-  
 ne tabe perdurasse. Romæ etiam olim, rerum potiente lu-  
 xuriâ, nivis & glaciei erant officinæ. Pergit in querelas ille  
 Sapiens: *Ardentes boletos*, & raptim condimento suo mersatos,  
 demittunt pœnè fumantes, quos deinde restinguant nivatis po-  
 titionibus. Videbis, inquam, quosdam graciles, & palliolo focalig-  
 circumdatos, pallentes & egros, non sorbere solum nivem, sed  
 etiam esse, & frusta eius in scyphos suos deicere, ne inter ipsam  
 bibendi moram tepescant. Sitim istam esse putas? Febris est. Et  
 contemporaneus ejus C. Plinius Hi nives, illi glaciem potant,  
 pœnasq; montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor esti-  
 bus, excogitaturq; ut alienis mensibus nix algent. Decoquunt aliq;  
 aquas, mox & illas hiemant. Quibus ultimis verbis ad Ne-  
 ronis inventum respicit, cuius ipse postea Lib. 31. c. 3.  
 meminit. Neronis Principis inventum est, inquit, decoquere  
 aquam, vitroq; demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigo-  
 ris contingit, sine vitijs nivis. Et rationem jungit, cur ante  
 refrigerationem illam, aquas coquere jusserit Nero, ut  
 nempe laxatae & rarefactæ, penetrabilius nivis frigus ac-  
 ciperent. Omnem utique, ait, decoctam utiliorem esse convenit;  
 item calefactam magis refrigerari, subtilissimo invento.

Esu etiam nivis, candidos Alpium lepores credidit Pli-  
 nius. Non solum autem lepores, sed & perdices albas se in  
 Alpibus comedisse, Scaliger scripsit. Imò & hirundinem,  
 quæ tamen hîc aut in Italia non hibernat, vidisse candi-  
 diffimam. Denique in Scythia, Norwegia, & nivosis  
 Septemtrionis locis aquilæ, falcones, accipitres, milvi, vul-  
 pes, ursi, corui, candidi inveniuntur, ut Aristoteles &  
 Scaliger testantur. Sed ex esitatione nivis esse illum colo-  
 rem non existimo, sed phantasiam & imaginatione matrum.

Nam

Nam sic etiam pavones generari albos , multi tradunt. Si, inquam , locus ubi ovis incubat mater, albo colore totus inducatur. Iugis enim illa albi imaginatio simili colore aspergit foetum.

Conimbricenses alijque credunt , crystallum montanam nive liquatā , & deinde glaciatā constare. Quia nullibi, ait Plinius , nisi ubi maximē hibernæ nives rigent, crystallus reperitur. Negat tamen Agricola , & noster Boëtius. Quibus magis accedo. Quae enim solo frigore concrescunt, igne liquefcere solent. Crystallus verò cremata, calcem solūm ac salem ostendit, humore nullo effluente, ut etiam advertit Fallopius. Vnde nec credere satis possum Bodino, qui crystallum & adamantem ex aqua pura & limpidissima concrescere , adversus Aristotelem more suo contendit. Aliquid enim subtilissimæ exhalationis continere , & ab ea in illam duritatem , adversus etiam malleos contumacem & <sup>Bodin. lib</sup><sub>2. Theat.</sub> indomitam, fermentari & alligari , facilē quivis conjectet.

Nam, ut ipse Bodinus ait , Ab indomita duritate Graci ad aquas vocant , quia nec ullis ignibus liquatur , & incudes ac malleos ferreos prius rumpit, quam rumpatur.

Imminente nive, rigor aëris remollescit , quia spiritus aliquis adhuc tepens , constrictu nubis deorsum exprimitur. Hinc , ut puto , senes, studiosi , catarrhos, & quibuscumque debile caput , cælo meditante nivem, gravedinem & dolorem conqueruntur; quia, inquam , spiritus nivium prodromi in nos cadunt ante nivem. Post ipsam etiam deciduam, frigus aëris hebetari , manifesto experimento discimus. Causa etiam est in spiritu illo , qui infusat, & præcipue inalbat nivem. Hic enim spiritus nivali tempore difflit & spargitur per totum aërem. Lux etiam fortasse illa nivis affundere aëri valet aliquid languidi saltem & fracti temporis. Et ab hoc etiam est , ut jacente nibe vestigia ferarum odoratiora sint, ut Theophrastus & venatores nostri adfatentur.

Istud etiam effectis nivis accenseri potest. Defluxu ejus sonos ita obsurdescere , ut vix è proximo colloquentes se

intelligant. Ratio est, quia species soni non longe per flocorum decidentium intervalla potest meare; cum alij statim flocci occurrant, qui interpellant, & quocumque species deflexerit, illa semper offendat, & in alios floccos impingat. Sic nuper in bellis nostris, quidam palorum contextus dicuntur inventi contra Moscheturum iactus. Ita enim compositi & catenati sunt, ut si glans per primorum palorum intervalla transeat in alios offendat; & si declinet, etiam alij se illi obijcant. Sicque impetus plumbeæ glandis roties hebetatus, tandem frangitur, & ante vulnus exspirat.

Denique mirum est, & tamen etiam in me aliquando expertum: bulimiā non raro coripi, qui diutile ambulant in nive. Ita olim M. Bruto evēnit, cum à Durā Apolloniā iter faceret nivali die. Ita enim subito defecit, ut missō milite, panem ab ijs coactus sit petere ( nam panis unicum bulimiā laborantibus remedium est ) qui contra eum in portis excubabant. Et humanitatem istam, captā postea Apolloniā, egregiè rependit clementiā in cives insigni.

**Agell. lib.  
§ 6. c. 3.** Agellius bulimiā istam seu bulimum, cum fame caninā confundit. Secutusque Theod. Gaza, versione septimi Problematis Aristotelis Sectionis octavæ.

Verū apud Hippocratem, Galenum, Avicennam, aliud esse οὐλιμον à fame caninā, quæ ὅρεξ καυαδης appellatur, egregiè demonstrat Iul. Guastavinius in illo Aristotelis Problemate. Est enim bulimia, potius deliquium quoddam virium, quam canina voracitas, quæ ex atrā bile, vel acidā pituitā os ventriculi occupante nascitur, ut docet Ant.

**Plutar. lib.  
6. q. 8.  
Sympos.** Musa. Plutarchus credit halitus nivium per poros agitatione itineris & calore hiantes, in corpus se penetrare, meatusque largius aperire, ut sic calor naturalis multus & confertim exspiret, viresque corporis destituat. Vnde sudor tenuis & rorans toto corpore oboriri solet. Et confirmatur, quod equi ac asini ficus & poma diu cum fatigione portantes, huic malo sint obnoxij. Spiritu scilicet etiam istorum fructuum, quem plurimum exhalant, in poros iumentorum se sufficerent.

Hæc

Hæc non prorsus contemno. Præcipua tamen deliquij caussa videtur esse in ventriculo, & reliqua membra per sympathiam cum eo male affici. Hic enim, meo proprio experimento, convellitur, contorquetur, & irritatur ad vomitum. Vnde præsentissima medela est in acri & profundâ tussi, quæ ventriculus & pulmo spiritus nivales, respiratione attractos, vel aliter se insinuantes excutiat. Itaque halitus ventriculum inflantes & morsicantes, mihi videntur princeps caussa bulimiæ. Panis verò spiritu contrario, benefico & salutari, laborantem ventriculum solatur & recreat. Nec aliter capiendum existimo, quod aiunt quidam, Democritum triduo, solo panis recentis odore pastum, & vitam tolerasse. Non enim ex illo halitu alimentum, quod roti corpori sufficeret, rapere potuit, sed solatio tantum inani ventriculum fallebat.

De albedine, aut candore nivis, multa h̄ic altercari possemus. Magna enim reverè dubitatio est, an alba sit, albore scilicet illo, quem vulgo à candore lucis distinguimus. Aut etiam, an albedo universim sit aliud, quam lux quædam languida & tenuis, quæ superficiebus corporum alborum efflorescit. Sed tam procul extra oleas abire nolumus. Hoc tamen certum est: in spiritu quo nix abundat, caussam primariam esse illius candoris. Nam ideo vetustate, & spiritu evanescente rufescit. Simili de caussa omnis spuma, etiam vini rubri, albescit. Vnde candor ille spumeus nihil videtur esse aliud quam lumen quoddam intricatum, & à spiritibus humore tenue mixtum reflexum; quale etiam fereno cælo videmus in nubibus. Hinc spiritu vini rubri evaporato, spuma in naturam & colorem vini residit.

De locis nivosis, Bodinus negat sub Äquatore ningere, Fracastorius in Äthiopiâ, dum Sol est in Cancro, ideoque à tabe nivium contendit non infesti in principio æstatis Nilum. Sed uterque manifestâ experientiâ refellitur. Nam juga montium, ex viciniâ mediæ regionis aëris algentia, per omnem Torridam toto anno nivem & canitatem retinent. Plinius tamen nives in alto mari numquam decidere

affirmat. An quia halitus marinus tepens, & nivibus occur-  
rens, ante delapsum eas liquat?

## G A P V T VI.

*De pluvia.*

## ARTICVLVS I.

*Quid pluvia, & quotplex.*

E F I N I T V R à Philosopho, nubes in aquam conversa, & guttatum decidens. Ma-  
teria igitur ejus transiens, nubes est: forma,  
lapsus per guttas & stillicidia. Conversio au-  
tem illa nubis, non est substancialis: vapor  
enim nubis formam aquæ habet, & eam plu-  
viæ tradit. Mutatio igitur accidentaria est, à calore vapo-  
ris ad frigus. Ex quo alia consequitur mutatio à raritate ad  
densitatem; ac deinde resultat gravitas, quâ aëri in quo va-  
por pendet, præponderat; & denique lapsus. Instilli-  
cidia idè dispersgitur, quia sic proniùs & faciliùs aëra di-  
vidit. Celerius autem per æstatem, quàm hiemem de-  
fluunt guttae; quia aër tunc rarer & dissolutior est, nec  
hibernâ illâ densitate cadentibus resistit. Rectâ etiam, nisi  
ventus aut alia caussâ à linea depellat, singulæ guttae cen-  
trum terræ petant. Vnde linea pluviales parallelæ non  
sunt, sed quo magis terræ propinquant, eò propriùs invi-  
cim admoventur, & stillicidia densius cadunt.

Sed quomodo verum, quod Wesenbeccius lib. 8. Digest.  
de Servit. urban. præd. ait, Si jus avertendi stillicidij in  
aream vicini habes, licere stillicidium altius tollere, quia  
quod ex alto cadit, leviùs cadit; & interdum nec directè pervenit  
ad locum servientem? Quo pacto leviùs cadit, quod vires  
acquirit cadendo? Verè tamē dixit. Nam aqua canali de-  
fluens, in exitu densior & continua est, & argiturque deinde  
& com-

METEOROLOCICORVMLIB LIB. V. 463  
& comminuitur longiori lapsu, ideoque dissipato & minori impetu terram plaudit. Si tamen per maximam altitudinem cadendum esset, redirent ad se & propius coniungerentur guttæ.

Guttæ autem rotundantur, inquit Albertus, ut tutius contra ambientem aëra se protegant. Vel certe, quia angulos, si qui sint extantes, detergit ac defricat aér. Oblongiores tamen paullo, sursumque fastigiatas esse credo; quia pars vaporis gravior in guttæ basim defluit, spiritu in superiora se recipiente. Nimis ergo ridiculus est apud Aristoph. Strepsiades Socratis discipulus, qui credit guttis rotundis pluere, quia Iupiter διὰ κοσκίνης οὐρῆι, per cibrum meit.

Aristoph.  
in Nubibus

Necessè verò est, ut superficies nubis latior sit, quam defluens guttarum agmen. Contrahitur enim vapor nubis in pluviam; quæ ubi cadere incipit, latissima est, & paullatim restringitur, quod propriùs accedit ad terram. Hinc intelliges, ceteris paribus, pluviam illam densiorem esse, quæ venit ex nube excelsiori. Quod etiam verum est de grandine.

Pluviæ tres species accidentariæ sunt, stillicidium, imber, & nimbus. Stillicidium non sumo pro loco in quem guttæ è tecto destillant; sed ( quod multi faciunt ) pro pluviâ minutissimâ, quam alij vocant puluerulentam, diciturque Græcis ψεκάς Sic Poëta vetustus:

*Stillicidi casus lapidem cavat.* —

Quidam etiam hanc pluviam simpliciter appellant guttam. Imber, est pluvia plenioribus guttis decidens; Græcis ὥμερος. Nimbus verò grandibus & decumanis guttis decidit.

Stillicidia sæpè hieme, imbres autumno & vere, nimbi æstate maxime degrassantur. Frigus quippe mediæ regionis, quia hieme majus est, aërem magis condensat, impedique ne plures guttulæ vaporis, per medium densius tam facile in unam grandiorem guttam confluant. Vere autem & autumno minus densus est aér. Æstate verò, quia regio statim infra nubes multo calore rarefit & distuit, ac deinde exhalat.

exhalationes tunc ardentiores, spatia aëra vaporī nubium intertexta magis rarefaciunt, ideo isto anni tempore multæ guttæ in unam plenioram, per aëra rarefactum facillimè confluent & conglobantur. Et hinc æstivo tempore, & præsertim in Italia ac Regionibus feruidis, guttæ longè ampliores cadunt. Quando enim in Belgio æstiui nimbi guttatum, Romæ ferē situlatim, ut fatentur experti, & decumanis ac plenissimi misguttis proruunt.

Hanc verò, per guttularum confluxum, pluviae generatio-  
nē, præter ceteros, nos docet S. Basilius Homil. 3. Hexaëm.  
Cū humores, inquit, vaporationis instar & minutatim nubi in-  
persi, iam inter se mutuò cohaerint, generantur gutta, ex concreto-  
rum humorum pondere ad ima incidentes. Atque id esse pluviae ge-  
nerationem constat. Nimbi, ex nigerrimis & propinquissimis  
nubibus depluunt. Nam humore largo & denso nubes gra-  
vatae, profundè in aërem etiam infimæ regionis desidunt,  
ibiique subitā antiperistasi in aquam & pluviam corripiuntur.

Dies quidam apud Belgas, pluviarum infames & atri-  
funt. Et præcipue quartus Iulij S. Martini Translationi  
festus, quem S. Martinum Pluvium, aut turpiculo nomine,  
Mictorem Belgæ appellant. Si enim eo die pluat, sex sep-  
timanas, aut quadraginta dies sequentes, inquirunt, imbræ  
durant. Quod sæpe verum est. Caussa verò penes ventos  
Occidentales Belgis imbricatores. Qui si circa initium Iulij  
spirare incipient, per omnes dies Caniculares pertinaces  
esse solent. Sic Anno 1634. post longam siccitatē subsolanis  
in Africum die 4. Iulij subito mutatis, secuta est per totum  
mensem Iulium, non perpetua, sed singulis tamen diebus,  
interpolatis horis pluvia, paucis exceptis, qui tamen non  
sine nubilo & imbrium minis transierant. Sed ecce tamen  
Anno 1635. mox tequente, post diuturnam iterum & ar-  
dentem siccitatatem, die 4. Iulij, illo ipso, quo duo validissimi  
Francorum & Hollandorum exercitus obsidionem  
nostrī Lovanij magno miraculo solvere coacti sunt, effusa  
subito pluvia, non ultra diem illum, vento Occidentali in  
sicciorum

ficciorem cardinem verlo, duravit.

Dies quoque S. Laurentij in Belgio pluvius esse solet, quod vulgi fabula sic interpretatur, quasi aquam de cælo ad restinguendum Craticulæ suæ ardorem, mittat.

Dies autem S. Marci & S. Vitalis vitibus calamitosi habentur; quia circa finem Aprilis, intempestivæ quædam pruinæ, velut ultimæ hiemis reliquiæ, quandoque tenera vitium germina adurunt. Nec denique caret omnino ratione vulgaris iste de Virginis Purificatione versus:

*Si Sol splenduerit Mariâ Purificante,*

*Maius erit frigus post Festum, quam fuit ante.*

Si enim circa principium Februarij Sol splendeat, serenantur apud nos dies; Boreâ aut Cæciâ flante, qui si longiusculé Februarium incurvant, acerrimo gelu omnia incrustant. Cum gelidi & fisci sint, & insuper teporem omnem hiberno & longo frigore extirpum inveniant. Hinc extrema nobis hiems hiemantissima & rigidissima sèpè est; solemusque vulgari adagio jactare: Februarium instar scorpij, extremâ caudâ acerrimè pungere. Sed quia pluviae & siccitates, calores & frigora, ventorum flabris, certissimo experimento gubernantur; tantâ inconstantiâ hæc administrantur, quantâ venti spirant. Hinc incertitudo & risus Astrologorum, ac ludibria Ephemeridum.

## ARTICVLVS II.

*Quam altè aqua pluvia penetret in terram.*

**R**Esolvit statim & intrepidè Seneca: *Ego tibi vinearum diligens fessor affirmo, nullam pluviam esse tam magnam,* Senec. lib. 3. c. 7. Nat. *quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat.* Et video Auctores passim magno assensu in experientiam ejus ire. Id verò capiendum de terrâ, quæ nec venas nimiâ raritate hiantes, nec nimis arctè connientes & clausas habet. Per rimas enim & commissuras montium, longè altius, & in ipsam terræ abyssum decidere pluviae possunt. De terrâ igitur

Nnn

Cardan.

lib. 2. c. 11.

Variet.

igitur continuâ, & præsertim arvâ aut pascuâ intelligendum. Nec amplius, aut fallor, voluit Cardanus, ubi pro decem Senecæ pedibus, reponit totidem passus. Nam Typographi, aut memoriae ejus est error. Respexit enim haud dubiè ad Senecam. Decem autem pedes, duo tantum Geometrici passus sunt.

Hoc etiam bellum est, & sciri meretur. Arborum procerarum radices, vim calorificam Solis & aquæ pluviae descensum in terram, ferè congruere, & omnes extendi deorsum ad denûm pedum sive duorum passuum profunditatem. Vnde autem fiat, ut hæc tria sic inter se congruant, difficile est explicatu. Accipe tamen quod mihi venit in mentem.

Prima mensuræ hujus origo & caussa videtur esse ab aquâ pluviali. Hæc enim pondere suo primûm terræ poros ac venas aperit ad decem pedum altitudinē, ut ex proprio experimento dixit antè Seneca, & alij consentiunt. Exhalationes autem & spiritus quos pluvia in nubibus concepit, tenuitate suâ descensum ejus juvant, suntque humori pro vehiculo ad penetrandum, & diducendos terræ meatus. Hinc enim aqua nivalis, quia spiritu multo turgida, lubrico & penetrabili illapsu eò se insinuat, quò aqua vulgaris non facilè potest.

Pluviam deinde secutæ sunt arborum altissimarum passim radices. Nam ut trunci sui & tot ramorum pondus aptè librarent firmarentque, satis altè oportuit terræ infigi. Nec tamen infra profunditatem descensus pluvialis: quia aliàs (nisi casu aliquo humor aliis profundior subsit) extremitati radicum mucrones non reperirent succum quem traherent. Vnde radices se undique in orbem spargere solent, nec longè à terræ superficie recedunt, querentes aquæ cælestis alimentum. Arbores namque mittere radices ad humorem dicuntur. Fabulosa igitur, aut hyperbolica Virgiliana illa quercus est, quæ

Item 17.

— quantum vertice ad auras  
Aetherias, tantum radice in tartara tendit.

Aeneid. 4.

Ego certè ante villam paternam, ingentem & ramosissimam quercum, ab abavo meo plantatam, ventis illis anni 1606. qui omnia pñè in Belgio straverunt, radicibus eversam aspexi: & demiratus sum, exilibus & paucâ terrâ obrutis radicibus, tam immanem molem potuisse tot annos sustineri. Terni enim viri expansis brachijs vix truncum fuissent amplexi.

Verùm quid platano istâ facimus, quæ Theophrasto teste, Athenis olim in Lyceo reperta ad 33. cubitos radices demisit? Nam Fallopius de descensu radicis per lineam retam intelligit. Quia, inquit, pro miraculo non fuisset (quod tamen affirmat Theophrastus) radicem effusam in obliquum ad 33. pedes. Sed Theophrastus non 33. pedes, sed cubitos, id est pedes 49*½*. scripsit. Quæ longitudo etiam obliqua admirationem habet, in novellâ præsertim platanico, qualem fuisse dicit. Et sic facit Theophrastum mihi interpretari videtur Marcus Varro. *Aliæ*, inquit, *radices angustius diffundunt, ut cupressi, aliæ latius, ut platani.* Et affert platanum illam Lycei, quam dicit *radices trium & tringinta cubitorum egisse*. Egit ergo, sed in latum, non in profundum. Scio tamen etiam, quid de loto illâ, quæ Romæ in Vulcanali, dicat Plinius: *Radices eius in forum usque Cæsarî, per stationes municipiorum penetrasse*. Sed miraculum id fuit. Et cogita Vrbi Romæ arborem illam fuisse coævam, ut idem testatur, id est 820. annorum. Tot enim circiter ab Vrbe conditâ ad Vespasianum effluxerunt, sub quo scripsit Plinius.

Calor etiam Solis non altius decem pedibus in terræ tergum, & quousque aqua pluvialis, & arborum radices, penetrat: quia couisque terræ pori laxius dehiscent; ut profinde lumen Solis, aut saltem calor ejus facile eousque penetret. Laxantur autem pori ad illam altitudinem ab aquâ cœlesti, quæ tam profundè se transcolat.

Sed refellit nos, ut jam video, Plinius: *Quidam, ait, non altius*

N n n 2

Plin.lib.16.

c. 31.

Varro lib.

i.c. 37. de

Re rustic.

Plin.lib.16.

cap. 34.

altius descendere radices, quam Solis calor tepesciat, idq; natura loci tenuioris crassioris ve dixerit. Quod falsum arbitror. Apud Autatores certe invenitur abietis ( pinum Theophrastus lib. 2. cap. 7. de Plantis, ex quo sine dubio Plinius hæc sumpsit, pro abiecte habet ) planta, cum transferretur, octo cubitorum in altitudine; nec totam refossam, sed abruptam. Verum ad fatemur etiam, altius quandoque aliquarum arborum radices agi; præsertim, quæ aprico & humenti solo gaudent, qualis abies. Excipi etiam specialiter abies debet, quæ unicæ ad ima descendente radice firmatur: quam ideo profundiorem esse oportuit. Nec Plinij ratiocinium hilum amplius evincit.

## ARTICVLVS III.

*De pluviis prodigiis.*

**P**RÆTER species pluviæ illas ordinarias, aliaæ quædam prodigiæ vocantur; quia saepe aliquid divinitus portendere & significare solent.

Ex his aliaæ sunt sanguineæ, aliæ lacteæ, aliæ carneæ, aliæ laneæ, ferreæ, lateritiæ, lapideæ, &c. Sanguineæ vocabuntur, si aqua rubricata decidat. Quæ tinctura à minio, vel rubrica, quæ cum vapore elevatur, evenire potest. Sic etiam in Armeniâ ab halitu minij vapore permixto, rubras nives aliquando decidere, narrat Iliad. λ. Eustathius.

Sanguinei imbres, omnium prodigiosorum frequentissimi sunt, ut apud Livium & Iul. Obsequentem videre potes. Sic pluit Romæ, Dionis etiam fide, ante necem Neronis. In Westphaliâ Anno 1543. Lovanij Anno 1568. ipso Pentecostes die, si Gemmæ nostro credimus. Sed ad Annum 1571. eum audiamus. In ditione Embdensi, quæ den Dam vocatur in Friesiis Orientalibus, nocte sanguinem pluit, copiæ tantâ, ut ad 5. vel 6. milliarum spatum herba & vestes expositæ in apricum, ex albo colore penitus in purpureum sint mutatae. Multi ad rei memoriam plenos cyathos asservarunt: frustræ quibusdam ad sadem boum, aliasq; causas physicas referre volentibus.

Lib. 2.  
cap. 2.  
Cosmogr.

In

In Sueviâ Anno 1534. pluvia vestes rubris crucibus insiciebat. Quod factum est, quia fila vestium decussantur in crucis formam, inquit Cardanus. Sed hoc nimisquam friger. Non enim sola aliqua particula vestis, sed tota est sic decussatis filis contexta: & tamen in certâ tantum & determinatâ parte pictæ apparebant crucis. Deinde, si sanguinem in vestimentum effundamus, non illicè diffundetur in figuram crucis. Aliquid ergo divinius, & majoris monstri fuit. Quod ex crucibus illis Germanicis & Belgicis pater, quæ Anno 1501. passim depluerunt in vestes, etiam cistis inclusas. Imò corpora etiam ipsa, & cutem hominum sanguabant: duravitque totò triennio hoc prodigium. Secuta verò anno statim 1502. dirissima lues. Pepla verd feminorum maximè obnoxia erant huic sanguineæ picturæ.

Rem diligenter & cum curâ examinavit Serenissimus Leodiensium tunc Princeps Ioannes Horneus. Qui de quâdam Leodiensi puellâ, annorum 22. cuius pepla perpetuò mutata, statim tamen iterum sanguinabant, ita scripsit ad Maximilianum I. Cæsarem: *Ad Divum Servatium (iverat enim Moſæ - Trajectum ad Iubilæum) confessus est magna Suffridus Theologo. Iussa post hec ivit in chorum, & propter reliquias deduceta est in edituarium, allato ei ibidem peplo nitido. Rogata est illud capiti implicare, ne cum tanto horrore per plateas incederet. Quod ut capiti admovit, erupit mox ex ipsis pepli parte anteriori sanguinis tanta copia, ut confestim in extremum usque fimbriam, ad unius digiti longitudinem, & propè duorum latitudinem, deflueret. Vnde conspicientes adeò sunt attoniti, ut è Canonis unus protinus caderet. At illâ inde discedente, visa est publicè in peplo recenti ad scapulam dextram, magna vis sanguinis; in figuram quasi crucis se porrigena atque amplificans. Hæc Antistes Horneus apud Suffridum Petri.*

Quæ circa Passionis Dominicæ & Paschæ tempus peracta sunt, ut quantum opinor, Christus ad Crucis suæ & Sanguinis pro nobis effusi respectum & cogitationem homines moveret, quem tam contemptum habemus, & toties per scelera nostra quodammodo iterum effundimus.

Ante magnas etiam cædes, olim quoque non inusitatum, præmitti ē cælo pluviam sanguinis. Indicat Homer. Iliad. ubi de Iove:

— ab alto demisit rores  
Sanguine madentes ex æthere; quia erat  
Multæ generosa capita Orco demissurus.

Plutarchus vero in Mario affirmat, à magnis prælijs & effuso largiter sanguine, aliquanto post tempore solitos præcipitari cælo profusos imbræ; factumque esse post pugnam illam Cimbricam, in quâ Marius tot Cimbororum millium in campis Massiliensium stragem fecit. De sanguineis tamen stillicidijs nihil narrat. Vapores enim sanguine & ceterâ corporum humanorum tabe resoluti, & humore nubium diluti, ruborem suum, vanescente temperamento amittere possunt, & instar aquæ limpidæ decidere.

Lacteus pluviae color, à cretacea exhalatione est.

Carnes quoque cum pluvia deciduae, cur minus quam ranæ esse possunt? De ranis autem statim. Carnibus pluisse L. Volumnio & Servio Sulpitio Coss. narrat Plinius: nec carnes eas diu posteà perputruisse. Siccitate fortasse nimia, & aspersione falsæ aut nitrosæ exhalationis.

Lana si pluit, vento forte excussa montibus, ubi inter vepres solitæ oves pasci. Triticum quoque aliquando pluisse apud Athenæum refert Phylarchus; & nos olim ejus miraculi etiam famam in Belgio audivimus. Ferrum in Persia cecidisse, auctor mihi Avicenna, & propè Lurgeam massam etiam 50 libraram. Sed hoc ridiculum: Arabes nostri, inquit, ferunt enses Allemannicos, qui optimi sunt, ex isto ferro cælesti fieri solitos. Quasi verò totos hic dies ferro, ad lib. 1. c. 8. tot armandos exercitus, pluat. A Plutone, non à Iove, bone de Magni vir, ferrum Belgæ & Germani petimus. Affirmant etiam ferream massam, ait Gilbertus, recremento similem, ex aëre dedicisse in silvis Nethorianis prope Grinam. Eamque massam multorum pondi fuisse narrant; adeò ut in locum alium nec deportari propter gravitatem, nec curru abduci, propter invia loca potuerit. Contigit ante bellum civile Saxonicum inter Dales gestum. Pluebat, addit deinde

Athenæ  
lib: 8.

Gilbert.  
lib. 1. c. 8.  
de Magni

deinde, in Taurrinis ferrum varijs in locis ( cuius frustum Iul. Scaliger apud se habere scribit ) tribus & circiter annis antequam à Rege Provincia illa recepta fuerit. Negat tamen Gilbertus reliqua metalla, ut aurum, argentum, stannum, aut plumbum in nubibus unquam concrescere; præter æs tamen quod ferro est cognatum ac affine. Attamen pluviam argenteam tempore suo, in forum Augusti Romæ, sub Imp. Severo, defluxisse narrat Dion. Rore verò illo argenteo, inquit, nummos aliquot æreos oblivi. Mansit color tres dies, quarto quidquid oblitum fuerat, evanuit. Sic Gilbertus ferrum & æs pluviale imperfecta metalla esse dicit, quæ nec fundi quovis modo, aut eudi facilè possunt. Similia igitur sunt plerisque Chymicorum metallis, quæ difficillimè aut nunquam ars ad naturæ perfectionem perducit. Coagulantur enim in nubibus ex vapore & exhalatione à subitis & validis caussis; ac festinatà fermentatione, conceptu, partu, abortus potius metallorum sunt, quam legittimi partus.

De imbre saxatili, nihil in Historijs Rom. vulgatus. Lapidatum de cælo Romæ, aut alibi in Italiâ, singulis pænè annis Livius ad fastidium repetit. Anno 1510. in Lombardia lapides durissimos, colore ferrugineos, odore sulphureos cælo præcipitasse, unumque 120. librarum Regi Gallici ostensum, narrat Cardanus. Et Anno 1496. inter Cesaram & Bertonorium, tertia diei hora, ad quintum Cal. Februarias, ait Sabellicus, tres lapides adusti coloris, horrendo sonitu 10. è cælo conciderunt. Præcessit horum casum ingens sonitus. & velut fragor ruentis materiae. Fuerunt, qui unum fuisse crederent, ceterum suo casu in partes dissipasse. Significarunt id non solum litteræ ad multos de eiusmodi ostento privatim Venetias missæ, sed pars una lapidis colore adusto, multis spectare volentibus est in medium prolatæ.

Ergo credamus, posse in nubium fornacibus tam citò lapides & ferrum, ex vapore, & exhalatione vaporem fermentante, concoqui, quam coquuntur asparagi, ut dicebat olim Augustus. Inter autem fulminandum præsertim, subtili & penetrante flammâ, lateres illi & sulphurei lapides solent tam raptim concoqui. Statim tamen ac materia

den-

Cardan.  
lib. 14. c. 72  
Variet.Sabell. lib.  
9. Ennead.

densari incipit, necesse est delabi, & celerrimo naturæ opere absolvī in ipso casū. Nam quod Cardanus laxa sua Lombardica, duas totas horas in nubibus pendula, donec percoquerentur, hæsisse miratur & clamat, surdis canit. Consistere enim ne momento quidem in aëre aut nubibus potuerunt, contra naturæ leges, quæ vetant corpus gravius in leviori quiescere. Hæc autem lapideæ, ferreæ, æneæ & id genus prodigiose pluviae, etsi à caussis naturalibus proveniant, Dei providentia tamen ita caussas disponit, ut ei pro nuntijs aut minis futurarum calamitatum serviant, ut de Cometis diximus.

Avicenna vitulum etiam quedam pluviale in Scholis celebravit. Et credit Philosophorum quorundam credula nimis natio. Vituli enim animalia nimis perfecta sunt; nec possunt tam subito, quam à terrâ fungi, in nubibus figurari. Vitulus ergo ille Avicennæ tam cœlestis & diffamatus, turbine fortassis aliquo ē monte pascuo abreptus, in vallem dejectus fuit: sicut de pileo suo, cum Apenninum transiret, refert Cardanus. Is, inquit, valido flatu, tanquam sagitta Scorpione mihi excussus, si in villas quæ ad montis radices erant, cum pluvia cecidisset, rustici jurascent pluuisse pileis.

## ARTICVLVS IV.

*De ranarum pluviis.*

**O** Pinio de ranarum pluvijs apud omnes irroboravit. Sed non raro quæ cœlo decidisse putantur, ē latebris ad dulcedinem cœlestis humoris prosiliunt. Nam aliæ omnes exanimes aut semivivas aspiceremus, tectis aut terre illis ex tam alto lapsu. Durus tamen & contumax adversus tot Auctores sim, si pernegem in nubibus quandoque generari. *Noane ranis pluere vidimus?* ait Scaliger. Scal. Exerc. 191. *Quas qui à nubibus ē lacunis haustas arbitrantur, non videre quod vidimus.* Et alibi, cum Cardanus ē ranarum ovis in aërem Exerc. 313. *sublatas*

Sublati ranunculos excludi scripsisset, quibus pluat, vanum hoc esse dicit. Quippe deductis, inquit, ex hiato novo rupium limpidissimis aquis, postridie non gyrinos, sed perfectas ibi ranas vidi-  
mus in lapidea fossa, qua ante villam erat, nullis pridie ovis appa-  
rentibus. Sic in aere licet eidem Natura, non ex ovis generare.  
Nam si mus non semper è parentum semine, sed è quisquilijs in  
navi; in aëre rana, haud ex ovo, sed ex sed ex aqua genitali,  
caelesti calore condensata conformataq;. Narrat quoque, Mirabel-  
lum Aquitaniae oppidum, suo tempore ranis istis pluvia-  
libus (bufones tamen alijs, inquit, fuisse dicunt) tam refertum,  
ut omnes viæ & angportus pleni essent. Et M. Varro  
universos civitatis cuiusdam itidem in Gallia, incolas à ta- Bodin. lib.  
libus ranis expulsos fuisse. Et de imbre lapideo Bodinus dis- 2. Theat.  
serens: Si ranunculos, inquit, infinita multitudinis, membris  
omnibus perfectos, exiguo tempore Natura fabricat, quid mirum  
si ex atomis ac pulveribus in aere coactis lapides fingit?

Sæpius tamen non in nubib; aut aëre, sed in terra  
ipsa, & aqua pluviali & pulvere tepido fermentantur, &  
admirabili Naturæ opificis celeritate & arte conformantur. S. Aug. lib.  
Vnde S. Augustinus contra Fauustum, ranas repente ex una plu- 6. c. 8. con-  
tra Faust. via terram generare, dicit; ideoque, cæli & terra filias, ele-  
ganter appellat. Io. Maria Ginochius, Doctor olim Pata-  
vinus, se mense Iulio aquæ cælestis guttam pulveri illap-  
sam vidisse, quæ illico in ranæ formam se induerit. Imò Fallop. lib.  
Gabriel Fallopius, vir, ut mihi videtur, minimè malus, de Fossil.  
Vidi, inquit, cecidisse guttas aquæ magnas in pulverem, & statim cap. 9.  
obortas esse ranulas. Quid contra tam perfictos testes faci-  
mus? Malo credulus, quam rixosus esse. Imò dum con-  
scientiam meam excutio, propè sum, ut idem Anno 1625.  
ad portam Tornacensem, qua ad montem S. Trinitatisitur,  
expertum me affirmem. Rem autem tunc amicis, qui ade-  
rant, ostendi, ut mirarentur mecum. Deciduo enim in ari-  
dissimum pulverem repente imbre, tantus subito ranun-  
culturum, per siccum saltantium, exercitus exstitit, ut un-  
dique nihil pænè aliud cerneretur. Omnes etiam uniusmo-  
di, magnitudinis, & coloris erant. Nec profectò apparebat

Ooo quia

quibus latibulis tot myriades tam repente in arenem, quam  
le miderunt, terram exiliissent. Dicamus igitur, ut ex luto  
Nili mures ita effigiantur, ut absoluta primore corporis par-  
te, novissima pars etiam cum terrena visatur; sic ex spiritu &  
humore aquæ cælestis pulveri, non omni sine delectu, sed  
certo temperatis, gyrinulos, immo ranunculos perfecti  
operis, posse exemplò conformari. Tardiùs tamen interdù  
Natura opus illud suum, & post horam solum, aut semihorâ  
absolvit. Vnde Scaliger, Nos, ait, complutam terram solâ aquâ,  
sine ranis, gyrinulis tamen ( ranunculi imperfecti sunt, capite  
tantum & caudâ insigne, quos Belgæ Gualones Macquet-  
tes, aut Macquellotes vocant ) post semihoram, scatere totam vi-  
dimus. Ex pluvia verò tonitruum & fulminali, loco ranarum,  
bufones gigni aliquando conjectavimus. Nam post talem  
pluviam, horti cujusdam vias omnes exiguis bufunculis  
unius magnitudinis & formæ ( ut ranæ pluviales solent )  
oppletas aliquando vidimus. Sic etiam murium greges in  
Belgio quandoque subito procreari docet Thomas Canti-  
pratanus noster lib. 16. de Naturâ rerum, qui necdum pu-  
blicam lucem videt.

Nos quoque Anno 1617. cum maxima admiratione &  
agrorum calamitate, ejusmodi repentina murium examina,  
camposque ubique eorum cuniculis & foraminibus per-  
tusos hiantesque vidimus. Sicut autem ranæ pluviales uni-  
versæ omnes uniusmodi magnitudinis & figuræ esse solent;  
ita mures illi erant.

Videntur etiam ex caussis similibus, / humore, inquam,  
cælesti, vel alio, & terræ ad eam rem secundo pulvere )  
generari. Beneficæ etiam in torturâ narraverunt, se pul-  
verem, dæmonum jussu, saccis per agros sparsisse.

Plin. lib. 10  
c. 65. Illud autem, ait Plinius, adhuc latet: quonam modo illa multi-  
tudo repente occidat. Nam nec exanimes reperiuntur, neque extat  
qui murem hieme in agro effoderit.

Bodin. lib.  
3. Theat. Bodinus celerrime rem istam totam expedit. Ait enim,  
murium illa examina à Deo produci, extra Nature ordinaria-  
rios effectus & eadem potentia sic evanescere, ut nullus usquam  
vivus

vivus aut mortuus, populatis frugibus, reperiatur. Alioqui, inquit, terras omnes vel factore, vel sui propagatione infestarent; nec Dei iussu, sed ordine Naturæ frugum copiam & inopiam prodire putaremus. Optimè de Dei & Creatoris nostri providentia sentis Bodine. Sed tamen ad ejusmodi effectus, caussis naturalibus uti consuevit. Quod potentiam & sapientiam ejus non minus, sed magis & dupliciter ostendit. Nam minus est, rem tam admirabilem solâ omnipotentiâ efficere, quam insuper caussis naturalibus secundis talem genium indere, ut caussæ primæ in opere tam mirifico valeant ministrare. Sicut majoris ingenij est, horologium ad numerandas horas fabricare, quam manu propriâ campanam pulsare. Quomodo autem Anno illo 1617. examina illa murium Deus perdidit, vidimus cum ingenti divinæ sapientiæ admiratione. Hieme enim autumnum illum excipiente, acre & profundum gelu mures altius in terræ viscera compulit. Deinde altissima nix superfusa foramina implevit. Ac denique pluvia quodam diluvio superveniens, cum subitâ nivium tabe ita universos suffocavit, ut ne unus amplius usquam apparuerit. Corpora enim illa ex pluvia & terrestri pulvere, alijsque similibus caussis raptim & perfunctoriè conformata, citissimè dissolvuntur & in sua redeunt elementa.

## ARTICVLVS V.

*De Diluvij.*

**T**ria ab origine Mundi diluvia famosissima sunt. Ge- Gen. 7.  
nerale Noë circa Annum Mundi 1656. Duo Provin-  
cialia. Primum Ogygis, quo Achaia inundata est sub illo Re-  
ge, cum apud Argivos imperitaret Inachus, aut Phoroneus  
filius ejus, ut alijs placet. Accidit autem circa annum no-  
nagesimum vitæ Iacobi si cum Pererio calculum ponimus.

Alterum Deucalionis in Thessaliâ, tempore Moysis  
Hoc lib. 1. Metamorph. describit Naso: sic tamen, ut  
pleraque competant in generale Noëticum, videaturque è  
Libris Sacris sumptissime historiam.

Duas caussas diluvij universalis affert Moyses; pluvias cælestes, & eruptionem aquarum subterranearum in terræ superficiem. *Rupti sunt*, inquit, *omnes fontes abyssi magnæ*. Et Less. lib. 13. c. 6. de per-  
fect. divin. *Cataractæ cæli aperte sunt*. P. Lessius tamen has duas caussas in unam confundit, & per *abyssum magnam*, aquas etiam nubium, quas cataractæ cæli in sublimi suspendunt, non aquam subterraneam intelligit. Ratio ejus est, quia impleto jam diluvio, & omnibus terræ montibus submersis, dicuntur *clausi fontes abyssi*. Quod de abysslo subterraneâ ait, capi nequit; quia solum initio diluvij, aquæ è subterraneis erumpere valuerunt; non posteâ, quando nullus aër in eorum locum, per totam superjacentem diluvij molem succedere poterat.

Verùm, abyssum ab aquis pluvijs manifestè distinguere videtur Iacob. Genes. 49. in benedictione Ioseph. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum*. Id est, fecunditate aquarum rigantium supernè cælo, & infernè ex subterraneâ abyssô, quæ in fontes, rivos, & flumina se infundit.

Ad argumentum igitur respondeo, Partem aquæ subterraneæ vi Angelicâ, aut Divinâ rarefactam esse, & genitum inde fuisse vaporem aut etiam aërem, ut averteretur vacui periculum. Quin imò laxatio illa & rarefactio aquæ residuæ in terræ cavernis, ex violentâ ceterarum in superficiem terræ expulsione, connaturaliter sequebatur, si nullus esset aër qui in spatia derelicta posset affluere. Denique aër, qui per omnes terræ meatus & venas se insinuat, rarefcere fortassis in tantum valuit, ut universas abyssi repleret cavitates. Quod non difficulter intelliget Aristoteles, qui infinitas in quolibet continuo partes intexit.

Sed aliud etiam est, quod nos turbat. *Quomodo aquæ cælestes & subterraneæ in unum diluvium confusæ, tantam aëris circumferentiam potuerint implere, ut omnes montes excelsos sub universo calo abscondent, altiores quindecim cubiti*. Nam licet concederemus, tantum aquæ abysslo subterraneâ & terræ venis contineri, quantum maris, & omnium lacuum

Iacuum, ac fluminum simul alvei capiunt; tamen nondum satis haberemus, ut terræ globum, altitudine dimidij Italicis milliaris obrueremus. Nam marina, profunditas in raris solùm quibusdam gurgitibus altitudinem illam dimidij milliaris excedit.

Vnde igitur tanta aquarum abundantia accumulari potuit, quæ supra altissimorum montium vertices ( qui ultra 4. mill. Ital. in cælum surriguntur, ut Lib. 1. ostendimus ) scandere & operire 15. cubitorum profunditate valuerit.

Secundò , unde pluvia illa 40. dierum cecidit ? Certe enim , non ex statione nubium , cùm nubes excedat Olympus , & tot alij montes ; in quorum proinde vertices pluvia nubium , quæ infra ipsos sunt , decidere non potuit.

Tertio, unde educti & hausti fuerant tam copiosi vapores, qui in tot nubes, & profusissimos imbres sufficerent? Nam toto illo 40. dierum tempore Sol nubilo conditus, paucos educere potuit. Deinde, id quod nubium incremento accedebat, aquis diluvij inferioribus, quas Sol populabatur, decedebat.

Eugubinus, Oleaster, Bodinus, Lydiatus horum argumentorum ponderi succumbunt; negantque tantum aquarum potuisse reperiri, nisi apertis Firmamenti siderei cataractis, vis ingens supercaelestium aquarum in Mundum elementarem exciderit.

Sed quod deinde finito diluvio vis illa supercaelestium aquarum evanuit? Item, Scriptura sacra indicat, simulaque catara&æ cœli apertæ fuerunt, pluuisse. Multos tamen annos consumi oportuisset, antequam aqua Firmamenti siderei cataractis effusa, ad terram usque pervenisset.

Alio igitur ungue nodus iste extricandus est.

Ad Primum igitur aro, maximam aquarum abundantiam in abditis terræ venis & a vylso subterranea jacere. Nam aqua quæ initio condit Orbis, terram undique obruiebat, nullo modo maris & lacuum alveis potuit capi, sed magna ejus pars abyssis subterraneis debuit absorberi. Vnde post 40. dierum pluvias, clausi dicuntur fuisse fontes

abyssi fluxisse & undique erupisse , nec tamen adhuc ad fundum siccatas esse. Angeli quoque Aquarij , qui terræ venas exhaustiebant, aquarum molem , ne in gurgites subterraneos refluenter , sustentabant.

Peter. lib. 12. disp. 9.  
in Genes. Ad Secundum , negat Pererius ullius montis verticem ad medium regionem pertingere ; quia potuisset super omnium montium cacumina, in fine 40. dierum, pluvia ē media regione aëris decidere. Nec constant sibi Mathematici , inquit, dum affirmant, montes (qui habent, ut summum, 4. millaria perpendiculi) ultra medium regionem aëris caput extollere , & tamen summos nubium vapores , qui intra medium regionem harent , ad 52. millaria ascendere.

Sed Mathematicos non intellexit eruditissimus vir. Non enim de nubium & pluviosis vaporibus mediæ regionis, sed de altissimis exhalationum fumis , qui in circumferentiâ supremæ regionis versantur quique aurorâ manè primi colorantur, & à crepusculo vespertino ultimi deseruntur, intelligendi sunt, ut videbis lib. 10. th. 77. apud Vitellonem.

2. Pet. 3.  
S. Aug. lib.  
20. c. 18.  
Civit. Stet igitur , quod Lib. I. ex sententia Mathematicorum diximus , excelsissimorum montium juga supra stationes nubium attolli. Pluere tamen in ipsos totis illis 40. diebus ex aëre sublimiori potuit ; quia ab aquis diluvij ascendentibus , aér infimæ & mediæ regionis pelli sursum , longè supra omnium montium cacumina debuit. Deinde universus ille superior aér virtute divina in aquas pluviales condensatus, in montes rursum depluit. Et hos cælos aëreos esse , quos S. Petrus diluvio perisse scribit , interpretatur subtiliter S. Augustinus.

Vnde jam patet , quid Tertio argumento reponendum. Nempe , non solùm vapores ex aquis vi Solis & siderum attractos, sed etiam duas regiones aëris in pluviam conversas, in aquas diluvij cecidisse. Cùm enim totum hoc extraordinarium Dei opus fuerit , tot miracula , quot necessaria ad implendam historiæ fidem & veritatem, admittere oportet.

Diluvia autem ista omnia , divinæ ultionis instrumenta fuere

fuere. Nam frigido aquæ elemento, libidinum & carnalium vitiorum latè diffusos æstus restinguere Deus solet. Sic sub Noë, Ogyge, Deucalione, alibi sæpe; & hoc Anno 1626. in Hispania mense Februario fortè factum. Vbi Bætis sex aut septem dierum perpetuâ nive in immensum fermè auctus & mediterraneis superfusus, incredibilem, ut jam jam audivimus, in Hispalenses & vicina circùm stragem edidit.

## C A P V T V I I .

*De nebulâ.*

## A R T I C V L V S I .

*Quid nebulâ.*

RISTOTELES nebulam nubis  $\pi\tau\mu\alpha$  seu excrementum vocat. Nubes enim vapore rorido & humecto, ac partim exhalatione aridâ constat. Vapor in pluviam, exhalatio in nebulam sæpè cedit. Lapsus nebulæ & à gravitate materiae est, & ab agmine gutterum pluvialium, quæ unâ implicitam exhalationem ad terram deducunt. Hinc loca excelsiora & propinquiora nubibus, in omni pænè imbre, nebulâ infuscantur: quia aliquousque semper cum stillicidijs nebulæ descendunt. Hujus caussæ ignari aurigæ qui Leodio, Mosæ - Trajecto, Viseto merces in Rheni Palatinatum, per montana illa ericeta Ducatus Limburgensis & ditionis Leodiensis (vulgò *Fagne*) vectant, existimant veneficio quodam & arte magicâ caliginem in omni pluvia montibus illis affundi. Tantas enim oboriri tenebras, ipso etiam meridie, mihi affirmarunt, ut ultra distantiam 15. passuum nihil, aliquando vix equos suos videant. Quo argumento, præter alia quæ alibi sparsim dixi, proba-

probare soleo, Ducatum Limburgensem & vicinum Ardennæ tractum, locum esse totius Belgij eminentissimum.

Definiri ergo nebula, sive caligo /hoc enim etiam nomen habet / sic potest: Superflua, atidior, & caliginosa pars nubis, in aëre terræ proximo hærens. Materia igitur ejus, est exhalatio opaca & tenebrosa; forma, situs in infimo aëre. Si enim ascendat altius, in nomen & rationem nubis redit. Complet verò aërem infimum, instar pulveris pedum magni agminis per pulverulentum gradientis. Vnde exer-

Mahum.

1. citum Dei formidabilem describens Propheta, *Nebula*, inquit, *pulvis pedum eius*.

Densitas autem & pondus nebulæ indubie majus est, quam aëris infimæ regionis, in quem desidit. Tenebræ Ægyptiacæ, quæ inter Pharaonis plagas, tam densas & palpabiles nebulas fuisse à nonnullis creduntur, ut instar aquæ elementi motum localem ambulantium tardarent.

Sed aliud præterea genus nebulæ, & ex aliâ materiâ est. Vaporulentâ scilicet, quæ propter nimium crassamentum, in imo aëre hæsitat, & obnubit terram. Talem sœpè, vesperi aut mané præsertim videmus: apparentque instar aquæ perpetuæ, vicina Lovanio prata, unde vapor surgit, inundasse. Si ex oriente Sole ascendat, exspectanda pluvia; quia materiam ejus nubibus infert. Si cadat, serenitas erit, nisi cœlum grave nubibus fuerit, aut venti eas aliunde advehant. Sienim Sol non valet humorem nebulæ tam tenuem sursum vaporare, multo minus poterit aquas maris aut fluminum, quæ naturali sua densitate vaporationi & rarefactioni magis resistunt.

## ARTICVLVS II.

### *Proprietates quedam nebulæ.*

**P**RIMÒ, fugere ante ambulantem, & à tergo sequi nebula videtur. Ratio est, quia ex distantia v. g. 20. aut 30. passuum, opacitas nebulæ demum incipit conspicua esse

esse. Circa nos verò serenitas nobis apparet ( licet alij aliquantulum disiti, in mediâ caligine nos aspiciant) quia lumen exhalationi nebulae incorporatum speciem visibilem è vicino fortiorē mittit, quæ pupillam oculi, & parietem retinum ita perfundit, ut nulla ab eodem objecto sensibilis umbra cum specie lucis in fundum oculi veniat : ex distan-  
tia verò majori species transitu per nebulam hebetata, & tenebris involuta, oculo illabitur, & instar umbrosæ nigredinis, in tunicâ oculi retinâ depingitur.

Sed unde fieri potest, ut res per nebulam visa, longius distare appareat? Nebula enim, ut antè à me dictum, crassior & gravior est aëre inferiori; cur igitur speciem non refringit, ut vapor & aqua solent, facitque ut res propinquior appareat? Refractio enim objectum oculo magis admoveat, non ab eo removere appetat.

Verùm aridæ & caliginosæ nebularum exhalationes, in minimas atomos & velut cineres dissolutæ, ad refringendum nihil valent. Hinc enim aridi illi nubium fumi, qui materia nebularum sunt, in mediâ regione, siderum refractiones non adjuvant, nec Solis & Lunæ discum insigniter ampliant; sicut faciunt molles illi, humentes ac pellucidi vaporum rores, qui infimum aërem & horizontem obsident. Imò verò, quia opacitate suâ speciem retundunt & debilitant, & rem atriorem videri faciunt, caussa sunt, quare phantasia nostra rem per nebulas visam longius absesse dijudicet. Ita enim etiam in nocturnis tenebris omnia magis ab oculo distare putantur. Sed ego tamen à mea experientia adiudicare hoc possum. Cum aliquando nebula imam tantum partem excelsæ turris cingeret, extante in sereno, cacumine, vidi manifestè partem nebulâ involutam protuberare, & evidenter propinquiorem apparuisse quam cacumen & partes ceteras inferiores, circa quas serenitas erat.

Itaque distinguenda videtur nebulae materia. Si arida & fumosa, qualis illa, de qua Aristoteles, & nos primo loco diximus; non sic refringit, ut admoveare videatur objectum visibile. Si humore multo & rorulento gravata sit ( qualis

ista posterior circa turrim fuit ) refringit & diffundit speciem, & rem videri propinquorem facit. Talem oportuit fuisse nebulam apud Livium, quæ Histrorum aciem multò majorē quam erat, Romanis ostendit.

Liu. Decad. 2. Lib. 1.

Sic etiam extricare posse videor, quod de exercitu Caroli VIII. Gallorum Regis, per medium Vrbem Romam sub Alexandro Sexto Pontifice inter noctem, & Romano-rum stuporem, Neapolim tendente, Iovius lib. 2. scribit. Id, inquit, quo p̄ se metum stupentibus addebat, quod viri, equi, vexilla, armi, tot p̄ sim funeralibus in equali splendore incertam prebentibus lucem, ampliora ac maiora vero videbantur. Faces enim & funeralia non solum aridas & atratas fuligines, sed etiam pingues & cereos vapores exhalarunt, qui militum & agminis speciem diffundere & ampliare valuebant.

## CAPVT VII.

*De Grandine.*

## ARTICVLVS VNIVRS.

*Quid grando. & eius causa.*

Senec. lib.  
et. 3. Nat.



RANDO, inquit Seneca, est glacies suspensa. Sed definitio rudis est, & nimis laxa. Scitius Aristoteles: Est pluvia conglaciata. Materia ergo proxima transiens, est pluvia. Forma, rigor ille glacialis, qui discriminat à pluvia. Finis, rigatio plantarum, ubi se resolverit. Etsi non raro à divinâ vindictâ assumatur ad lapidandas fruges. Fallitur ergo ille ingeniosus, dum credit

*nivibus quoque mole rotatis*

*Adstringi, & spissâ glomerari gradine corpus.*

Non enim è nivium flocculis, sed pluviæ guttis, glomerantur grandinis globuli.

Ovid. 9.  
Metam.

De

Decausâ effidente Anaxagoras & Aristoteles litigant. Ille à frigore mediæ regionis, ut nivem; hic ab antiperistasi caloris infimæ regionis, concrescere mauult. Primo, quia in montium, qui infimam regionem excedunt, juga vix ulla umquam grando cadit. Vnde nec satis fortasse pro Philosopho iterum ille cecinit,

*Quam multa fiet gradine canus Athos.*

Ovid. in  
Ibid.

Secundo, Grando angulosa & inæqualis prope terram, inter casum coagulatur. Si namque ex media aëris regione caderet, motu & longâ gyratione angulos detersisset.

Tertio, Sæpè nullo præente sonitu maxima grando ad terram venit. Sonuissent verò antè collisi inter se globuli, si induruissent circa mediam regionem aëris.

Quarto, Antiperistasis infimi aëris sola caussa est, cur æstas frequentius grandine, quam hiems lapidetur.

Dico Primo: Quandoque grando frigore mediæ regionis congelascit. Talis plerumque est minuta illa, fungosa, & hiberna grando. Probatur, quia nullus tantus in aëre tunc calor est, cuius antiperistasi possit grando concrescere. Quia verò guttulæ hibernæ grandinis vixdum ante glaciationem ad densitatem aquæ redierant, multoq[ue] exhalationis spiritu turgidulæ erant, ideo orbiculi leves & fungosi, minimumq[ue] à materia nivis aut pruinæ distant.

Dico Secundo: Quando grando lapidoſe & consummatæ duritiei est, antiperistasi caloris infimi aëris, ut plurimum, coagulatur. Id egregiè adserunt Aristotelis rationes. Sic autem explicari potest & debet ni fallor isthęc antiperistasis, Guttæ spiritu nubium tumentes, ubi aërem tepidum infimę regionis inciderint, diducantur paullisper, & se laxando effluxum spiritibus calentibus aperiunt. Quibus magnā parte liberatus humor, subito, quantum valet, ad frigus se revocat. Sed quare conglaciat? Nam forma substantialis aquę materiam suam fluere, ut aquam, quam obrigescere in glaciem, mauult.

Credo id fieri propter siccitatem reliquorum spirituum, qui non exspirantur illà antiperistasi, sed remanent à frigore

extincti & deprehensi in grandine. Nam certum est, multam exhalationem unā cum humore in grandinem stringi. Ideo enim ita albet, & fungosior rariorque est, ac opacior, quam glacies concreta ex aquâ vulgari.

Porro inter sidera Arcturus maximè grandinosus creditur. Plinius : *Arcturi sidus non ferme sine procellosâ gradine emergit. Oritur autem, ut ait, undecim diebus ante aequinoctium autumni.* An verò per influentiam Arcturi procella grandinis tunc concitetur; an magis, quia sideris ille exortus in illam anni tempestatem incidit, quæ ob temperiem, quam à Sole præcipue accipit, grandinum artifex sit, alibi, non hīc discuti debet. Deinde Plinius de Italia sua loquitur. Certè enim nos Belgas non sic Arcturus grandine lapidat.

Gradinis magnitudo incerta & varia est, pro modo guttarum, quibus coaluit. Anno 1565. die 24. Iulij, Lovanijs cecidisse crassitudine ovali, narrat noster Gemma. Rotunda ferè est, quia labendo, in orbem se terit, vel quia gutta etiam est orbicularis. Triangularem tamen etiam, & pyramidalem ( quæ fortè figura fuit cadentis guttæ, cum spiritus guttæ inclusus sursum in conum se recipit ) non raro vidi. Fortenosæ etiam quandoque grandinum formæ visuntur. Ut quando capita humana, porcina, calamistra etiam, & instrumenta varij luxus feminarum, aut effeminatorum repræsentant. Hac admonitione aurem nobis vellitat Deus & benignus Pater, qui ceteras creaturas vertere solet in nostrum bonum, & salutem. Paleæ & quisquiliæ grandinibus aliquando deprehensæ & intextæ videntur, quas fortè ventus levavit, & in pluviales guttas impegit, differendo & spargendo per aërem. Quidam quoque litteras quasdam in gradinibus legunt. Sed frequenter, puto, uti pueri figuræ quasdam inanæ in parietibus, aut castella in nubibus sibi fingunt. Ego quandoque grandines omnes glacialibus velut loculamentis inclusas aspexi. Globuli centrales albentes & fungosi erant; ut plane conjectarem frigore mediae regionis eos diriguisse: loculamentum autem sive cortex eos ambiens, diaphanus & durior erat; ut materiam

Plin. lib. 2.  
c. 39. Idem  
c. 47.

teriam perfecte aqueam & pluviale in casu grandini primae circumglomeratam, & insimae regionis antiperistasi ei adstrictam fuisse, facile divinasses. Sic ferè tenues quidam calculi primò concrescunt in renibus, & per ureteres delapsi in vesicam, novo ibi visco se loricant, tunicisque pluribus se induunt. Et hinc plerique omnes, ut notavit Fernelius, vesicæ calculi, si confringantur, nucleus aliquem in centro ostendent.

Mirum etiam est, quomodo grando, tantò durior nive, longè tamen celerius, & statim ac in terram decidit, liquefcat. Sed una operâ etiam mirare, unam plumbi libram igni admotam ocyus quam butyri libram tabefieri & liquefcere. Ratio in plumbo fortassis est, quod ubi pars una fervorem ignis concepit, alteram attiguam statim accerrimè adurit; quia calor in eâ, ut in materiâ densâ solet, est maximè actuosus. Vnde experimur, ubi una pars plumbi coepit liquefcere, ceteras ordine partes statim etiam solvi & disfluere. Glacies autem grandinis etiam densior est nive. Deinde plures particulae siccæ & terrenæ exhalationis, vaporî nivis ubique interjectæ, redditum ejus ad aquæ liquorem magis impediunt.

Grando plerumque die, raro nocte, nisi ea tepida sit, cadit. Si enim per antiperistastin caloris generari debet, ut auctor est Aristoteles, gelidis certè noctibus concrescere nequit.

Ceterum calamitatis agrorum præcipuus timor est à grandine, ubi in calamos jam seges stetit. Hoc tamen unum in malo isto solatiolum est, quod vix umquam grando late degrassetur, sed quosdam solum feriat agrorum tractus; longiorque semper, quam latior sit strages. Caussam existimo esse, quod æstate præsertim è nimbis illis atris qui uni sapè tantum campo impendent, quoique in longum agit & educit ventus, grandines illæ concrescant.

Veteres agricolæ, ut Cato & Plinius referunt, carminibus grandinem & calamitatem agris depellebant. Alijetiam modi sunt apud Palladium. Ut crocodili, aut hyenæ, aut

vituli marini pelle per agros circumlatâ , vel cruentâ secu-  
ri minaciter contra cælum levatâ , vel noctuâ patentibus  
pennis suffixâ , & id genus. Quæ magica , & ex pacto cum  
malis Genijs initio esse , nemo non videt. Meritò etiam  
 Senec. lib  
 & cap. 6.  
 Natur.

Cleonæos Seneca ridet. *Illud incredibile, inquit, Cleonis fuisse*  
*publicè pr̄ apostos χαλαζοφύλακες speculatores futura grandinis.*  
*Hi cùm signum dedissent, adesse iam grandinem, quid exspectas?*  
*Vt homines ad penulas discurrerent, aut ad scortea? Imò pro se quis-*  
*que alius agnum immolabat, alius pullum. Protinus autem ille nu-*  
*bes aliò declinabant, cùm aliquid gustassent sanguinis. Alij etiam*  
*digitum suum graphio benè acuto pungebant, & hoc san-*  
*guine, ut seges vapularet, litabant. Sed unde exiguo sanguini*  
*tantæ vires? ait Seneca. Quantò expeditius erat dicere, inquit,*  
*Mendacium & fabula est? Potuit tamen esse verum. Nihil*  
*enim facilius aëreis illis spiritibus, quibus supplicabant,*  
*quàm nubes grandine onustas propellere, & in alios agros*  
*exonerare.*



LIBER.

487

# LIBERTI FROMONDI METEOROLOGICORVM

LIBER SEXTVS:

## De Meteoris apparentibus.



ETEORA apparentia verè meteora non sunt, nec in partem objecti horum Librorum propriè veniunt. Non enim corpora imperfectè mixta, sed accidentia tantùm sunt: adiectaque legitimis meteoris ab Aristotele, quia in exhalatione aut vapore sublimi more meteororum figurantur.

Scientia eorum jucunda, sed difficilis & ardua est, ut quemquam haec tenus ad culmen ejus pervenisse omnes negent. Præcipuas tamen difficultates Iris amplectitur. Et eā re Euclidem in Opticis & Catoptricis, Ptolemæum in Speculis, manum ab Iride abstinuisse censet Maurolycus. Ac ipse, vir aliàs in omni genere Matheseos eminentissimus, *Aliquid, ait, experimento consonum vestigando, divinabo.* Maurolyc. Et alibi : *De Iride sicut multi scribunt, ita nemo satis demonstrat.* Merito igitur Sirachides : *Vide Arcum, & benedic eum qui Eccli. 43. fecit illum : valde speciosus est in splendore suo. Gyavit calum in circuitu gloria sue, manus Excelsi aperuerunt illum.* Opus enim singulare & extinum est divinæ sapientiæ & manus, ut mirum non sit, humanum intellectum non posse fundum invenire. Deus tamen Sole aut Lunâ tanquam penicillis, in hujus arcus picturâ utitur. Nunquam enim nisi in siderum istorum luce, apparet Iris. Ceterorum enim radij satis roboris non habent, ut oppositam nubem terebrent, & evidenti luce perfundant. Iris itaque duplex solum est, Solaris, ac Lunaris. Illa tamen maximè insignis, vocaturque per antonomasiam & simpliciter, Iris. Ab eā igitur

igitur exordium sumemus: cùm præsertim omnia ferē, præter caussam efficientem, in Lunarem etiam Iridem competent, quæ de Solari enarraturi sumus.

## C A P V T . I.

## De Iride Solari.

## ARTICVLVS I.

## Varia Iridum historia.



ISTORIOLAS aliquot in ceteræ doctrinæ fundamentum mittere, pro bono duxi; nam magno experimentorum discrimine rem hanc tractare solent Auctores.

Omnes in primis passim Irides cornibus in terram dejectis conspicimus, negantque universi pænè aliter umquam evenire. Sed ecce tamen Cardanus ait se Venetijs anno 1532. die 11. Aprilis vidisse binas Irides, non cum capitibus descendantibus, sed Soli oppositis. Quarum prima citè desijt, altera in medio cœli parva, constitit horarum duarum & plus spatio. Altera velut corona, altera ut semicirculus plano terra æquidistantes, præter aliarum morem. Unde apparet, non universè verum esse, quod omnes jactant: Iridem numquam toto circulo claudi, nec semicirculari posse cerni ampliorem.

Card. lib.  
14. c. 70.  
Varies.

Cox. Gem-  
ma lib. 2. c.  
1. Cosmo-  
crit.

Audi etiam nostrum Gemmam. Septembriæ anni 1560. die 25. manè arcus cœlestis insignem speciem vidi, coloris, fulgoris, ac positionis insuetæ. Stabat enim convexâ parte Solem versus, concavâ verò versus cuiusdam parelij subobscurum typum, qui quasi ad Circum annuebat. Color puniceus eâ parte quâ Solem intuebatur, sed viridis quâ spectabat Occasum. Cornua igitur non in terram spectabant, sed aversa ab exoriente Sole directe in Occidentem intendebantur.

Scio etiam hic virum quemdam eruditum, Lovem lapidem

dem paratum mihi jurare , aspexisse se Iridem sapinam , & cornibus versis in cælum . Hæc tamen , inquit , non è re- gione , inter oculum & Solem erat ( ecce alterum & no- rum planè miraculum ) sed in eādem cum Sole Mundi parte , summota aliquantulum ad ejus latus .

Imò Scaliger Duas , inquit , separatas vidimus Irides in nu- libus diversis , alteram ex adverso , alteram ex obliquo ad latus .

Licetus etiam Bis iam , inquit , vidimus Irides in Meridiano ad Austrum , vel propè , cùm Sol esset in Occasus . Et linea recta , qua à centro Solis per oculum nostrum extendebatur , non ad centrum Iridis ad Austrum , sed longè ab Australi plagâ terminabatur ad cali partem Orientalem .

Vitello affirmat , se Paduæ quatuor simul Irides circum- acto perfectè gyro circulares , non è regione , sed ad latus Solis , distantia decem ab eo graduum , olim conspexisse .

Hollandi quoque , ex illâ ad Zemblam novam naviga- tione , inter cetera admiranda retulerunt , tres Soles viros ad Austrum , sex Iridum discerniculo à se invicem abjun- ctos .

Hæc & id genus exempla probabilitatem fortè reddent Scaligero , hactenus ab Opticis tantoperè improbato , quòd Cardano affirmasset , se in Vasconia quondam admodum ex obliquo Iridem adspexisse . Ita , inquit , dico , ut radius oculi mei ad alteram coronidem propriorem esset decuplo , exempli gratiæ , breviori , quævis qui ad remotorem tendebatur . Cui Act. I. in Calumniat . reponit Cardanus : Quæ obijcit ipse ( Iul . Sca- liger ) absurdasunt , & non intelligentis . Quod enim dicat , vidisse Iridem incumbentem arbori , existimo non sanum fuisse . Sed quia verax est , apparuit hoc illi non propè , sed procul , & ob aspectus errorem . Ceterum approximare Iridi ratione dictâ , omnino est im- possibile . Neque ex transverso sic inspicere , ut quasi unum latus per aliud , seu è regione videatur . Sic enim Sol & oculus & Iridis centrum & Irides latera essent in una linea recta .

Sed nec Scaligero credit Maurolycus : Benè dixit , inquit , Hieronymus Cardanus , centra Solis , visus , & Iridis esse in eādem rectâ linea : & iniuste reprehenditur à Iulio quodam Scaligero .

*Adeo facilè labuntur in hac Philosophia parte omnes, qui diversa profitentur.*

Olim etiam fuit, cùm Maurolyco magis accederem; sed longè elapso anno me repulit rara quædam & insignissima Iris, in oculos, non meos unius, sed Clarissimorum testium, cælo velut demissa, ut plurima me de naturâ admirabilis istius *μορφής*, doceret. Rem factam, non fabulam, accipe: & quam oculis nostris numquam Maurolycus extorquebit; excæct Scaligerum quantum lubet.

Anno 1625. die Aprilis 9. horâ circiter sextâ vespertinâ, Lovanij in amœnis illis inter Thenensem & Diestensem portas moenibus, cum Clarissimis fama, scriptis, & eruditio-ne Viris, Medicinæ Professoribus, Thomâ Fieno & Petro Castellano molliter & pro more inambulabamus, cùm subi-tus imber, Sole interim in Occasu acriter radiante, nos ibi oppressit. Secutaque statim ingenris curvaturæ & coloratissima omnium quas umquam memineramus Iris. In quâ dum defixi admiramur, ecce dextrum ejus cornu, quod medio fermè Belgico milliari à nobis aberat, silvosisque illis extra portam Diestensem colibus infixum erat, in subjeclam camporum planitiem descendit, & nube densioribus jam paullò ac plenioribus guttis per interlucentes Solis radios pluente, brevi tempore, per medium ibi for-te quemdam aratorem & equos ejus ( Iride enim involu-cum & fulgentem cernebamus ) ad ipsas oppidi fossas, ci-tra 30. passuum distantiam, in nos lineâ pænè rectâ venit. Cornu interim altero longissimè à nobis, post celebre & illustre Canonicorum Præmonstraten-sium Monasterium Parcense, perrinaciter hærente. Res ista sic mansit, quam-di pluvia idem tenor duravit. Rarescentibus verò deinde paulisper pluvia stillicidijs, vicinum nobis cornu per eamdem qua descenderat lineam, trajectâ iterum camporum latitudine, pedetentim in suum fe collem recepit.

Dum omnia etiam avidissimo & hianti oculo circumspicerem, hoc quoque cum admiratione vidi. Secunda Iris ( nam gemina erat ) inversis ut solet coloribus, primariam

comita-

comitabatur, magisque & magis perpetuū se adstringebat, seque ei admovebat, quod primaria propior nobis fiebat. Similiter in recessu, spatiū inter utramque sensim laxabatur, donec in collem suum se restituit. Cūm proxima oculo nostro esset, vix decem inter utramque intererant passus; cūm remotissima à nobis, distantia facile quadrantis Belgici milliaris intercedebat. Ex hac igitur historiā confici videtur, Solis, oculi, & Iridis centra, non in eamdem rectam lineam incidisse.

Binas postea ejusmodi Irides, minore jam admiratione, quam prima illa defloraverat, vidi in eodem Parcensi juxta Lovanium agro, An 1634. die 22. Febr. hora 3. pomerid. & An. eodem, die Maij 5. Nisi quod hæ posteriores utroque simul cornu ad me accedere visæ sint, quia inter utrumque cornu simul & oculum meum pluvia densius & densius cadebat, interlucente Sole. Postea ab amico erudito etiam accepi, visam à se quondam è fenestra Iridem, quæ oppositæ domus murum stringebat; adeò ut inter oculum & ipsam non intercederet amplius quam angustæ plateæ latitudo. Narravit quoque mihi Clar. I. V. D. & Prof. Io. Bapt. Sestich amicus noster, ut rem miram, cùm forte Lovanio Mechliniam equo veheretur, se inter media cornua Iridis, quasi per arcum triumphalem, transvectum fuisse. Quod ideo, credo, ei visum fuit; quia proximam & aliquot solum passibus ante equum suum ambularem Iridem videbat, & ubi ad locum in quem cornua procumbebant, venit, defecit ante se vapor, qui est subiectum Iridis, ideoque eam se præteriisse, & post se reliquise putavit.

## ARTICULVS II.

*An Iris reflexione radiorum Solis, an refractione fiat.*

**R**adius luminosus nil est aliud, quam lineare lumen à corpore luminante in longum porrectus. Triplex verò ab Aristotele, & Opticis vulgo statuitur: directus, reflexus, & refractus. Directus est, qui linea recta per me-

dium uniusmodi densitatis effunditur. Reflexus, qui occurrit, opaci in partem oppositam reverberatur. Refractus, qui per media diversæ densitatis traiicitur.

Radius quem Sol per liberum & uniformem aëra jaculatur, rectus est: qui speculo exceptus, versus Solem resiliet, reflexus: qui per aërem & aquam transit, refractus. Rectus, simplex est: reflexus, ex parte quæ usque ad opacum tenditur, & ex altera quæ reflectitur compositus est: refractus etiam duas quoque partes habet. Penetrat enim è medio uno in aliud, sed linea paullisper deflexa à recto tramite. Non etiam indifferens est, ex utro medio in alterum perveniat. Si è medio rariori in densius penetrat (ut si ex aere aquam intret) refractio versus radium perpendicularem fiet: id est, radij undique se inclinabunt versus illum qui omnium radiorum medius est. Hic autem, veluti ceterorum Princeps, rigidus & sine inclinatione manet, quia nullum alium radium magis medium & centrale habet, versus quem se inclinet. Vnde irrefractus penetrat.

Si vero radius è medio densiori in rarius (ut ex aqua in aërem) emicet, franguntur omnes circumstantes à perpendiculari, & ab eo se avertunt: id est, radij in medio densiori aggregati, & veluti in fascem collecti, per medium rarius extenuati disperguntur. His utcumque intellectis,

Dico Primo: Radius solaris in vapore rorido (in quo solo apparet Iris) necessario versus perpendicularē frangitur, ut Princeps Opticorum Vitello docet, & sequitur evidenter ex jam præmissis.

*Vitell. lib.  
10. Theor.  
§5.* Radius enim iste ex aere rariori in densiores vaporis rores penetrat. Vnde omnes / præter perpendicularē qui centro guttarum directè perterebrat / ad perpendicularē se incurvant. Et hinc, quia non unicus tantum, qui in primâ nubis superficie occurrit, guttarum est ordo, sed alij innumeri sunt per totam nubis profunditatem dispositi; ideo non una solum in primo statim nubis ingressu, fit refractio, sed sine numero aliæ & aliæ sequuntur.

Dico

Dico Secundò: Radius etiam in vaporem illap sus, inoculum videntis reflectitur. Ratio est, quia sine specie visibili lucis, splendor ille Iridis cerni non potest: species autem lucis est ipse radius luminosus, ut alibi demonstramus. Deinde non ex quolibet situ, sed determinato, ut res in speculis solent, videtur Iris. Ergo radij quibus conspicitur, à nube roridâ tanquam à speculo in oculos spectantis redunt. Sed quid igitur in Iride videmus? Luméenne Solis incorporatum nubi, ut in aurorâ & vespertinis crepusculis fortasse usū venit, an ipsum Solem tamquam in speculo?

Aristoteles hoc affirmare videtur, quia semper  $\chi\tau\alpha\delta\alpha\chi\lambda\alpha$   
 $\tau\tau\tau\tau$  per reflexionem, non  $\chi\tau\alpha\delta\alpha\chi\lambda\alpha\tau\tau\tau\tau$  per refractionem, explicat Iridis generationem. Atque ita eum exponit, & acriter propugnat Vicomercatus. Seneca etiam, Non dubium, 1. c. 4. Nat  
ait, cuiquam relinquitur, quin arcus imago Solis sit male expressi, ob vitium figuram speculi. Et cap. præcedenti egregiè sententiam Aristotelis enarrat. Vbi singula pluviae cadentis stillicidia, sive singulas guttas totidē specula esse ait, reddiq; à singulis imaginem Solis. Nec aliud Iridē esse, quam innumeralibum ejusmodi imagium confusionem. Et denique affirmatissimè, In eadem, inquit, sententiâ sum, qua Posidonius, ut Ibid. c. 55  
arcum judicem fieri nube formatâ in modum concavi speculi & rotundi, cui forma sit partis è pilâ secta. Sed si Solis imago est in nube expressa, cur tam abnormis & dissimilis est vultu Solis, quem in tranquillo lacu cernimus?

Respondet: Non omnia specula ad verum respondent. Sunt, que videre extimescas: tantâ deformitate corruptam faciem visentium reddunt, servatâ similitudine in peius. Sunt, que cum videris, placere tibi vix est tua possint: in tantum laceri crescent, & totius corporis supra humanam magnitudinem habitus augetur. Consenserter his etiam Cardanus loquitur. Imò Maurolycus in Problem. Perspect. disertissimè: Sicut imago rei non colorat Cardan. lib.  
speculum, ita colores Iridis non imprimuntur stillicidys. Et sicut 4. Subtil.  
imago absque iacturâ speculi, ita & colores absq; infectione stillantis aquæ reflectantur ad oculum. Veluti ergo in speculo non perficiam aliquam humanæ faciei, sed ipsam faciem videmus;

ita in nube , non imago solaris vaporis impressa & inhæ-  
rens , sed Sol ipse ille

*Qui celsa liquidi spatha decurrat poli,  
repercussio obliqua nubis in oculos radio aspicitur.*

Demonstrari etiam ex Aristotele, Posidonio, Senecā, &  
alijs sic potest. Primo, quia Iris situm cum Sole mutat,  
sublimis aut humilis , prout ille se submisit aut sustulit,  
inquit Seneca, contrario motu. Si enim Sol sit in horizon-  
te humillimus, excelsissima erit Iris; si in Meridiano excel-  
fissimus , humillimum ex opposito Iridis arcum videbimus.

Secundo, oculus etiam suo motu transferre videtur Iri-  
dis sedem. Inambula enim versus alterum cornu , fugiet  
ante te cornu illud, consequeturque alterum à tergo , in-  
veniesque te semper medium inter utrumque.

Addit Posidonius : Si color aut lumen in vapore fixum  
cerneretur, evidenter ē propinquum, ut alias res solemus,  
eam videremus. Secūs tamen est. Nam si in vallem descen-  
das , in quam brachium Iridis dependēre videbas, nil  
nisi roscidum , sine picturā aut luce ullā insigni , aërem  
circa te circumspicies. Hæc autem omnia signa sunt spe-  
cularis inspectionis , nec tinturam vaporis esse quæ antea  
videbatur , sed Solem cuius imago à vapore ut speculo  
ad oculos tuos reflectebatur.

Sed vix adduci possum , ut hoc credam. Primo , quia  
 S. Tho. lib. 3. Metcor.  
 S. Thomas perspicue docet , veros esse , qui in Iride cer-  
nuntur , colores. Nam principium veri coloris in actu , ait , est  
 perspicuum aliquo modo terminatum, in ratione materie , & lumen  
 ibi existens actu , in ratione forme . Sed ista ambo sunt actu in Iri-  
 de , sive in eo in quo appetit Iris. Ergo sequitur , quod cum in Iri-  
 de sint actu omnia principia veri coloris , sint ibi veri colores. Li-  
 cit color habeat ibi esse debile , quia principia eius non sunt ita per-  
 manentia , sicut in corporibus mixtis terminatis; in quibus principia  
 coloris consequuntur principia intrinseca corporis mixti.

Quam S. Thomæ sententiam ingeniosè & fortiter de-  
 fendit R. P. Thomas Hurtadus , ex Ordine Cler. Regul.  
 Membr. 5. Minor. Additque se non dubitare , quin Sapientissimi Patres

Carmeli

Thomas  
Hurtad.  
Praecur.  
Philof.  
Contr. i.  
Membr. 5.

Carmeli ad eam defendendam , intellectum applicassent , si illa S. Thoma verba vidissent . Re enim verâ facile defendi potest , fuitque opinio antiqui Platonis , qui colorem , flammulam è corporibus emanantem , definire solebat ; eandemque Aristotelis fuisse Hurtadus nihil addubitat .

Si igitur in Iride veri sunt colores , vocenturque solum apparentes , propter principia eorum minus fixa & immobilia quam in corporibus mixtis , ut statim monebat . S. Thomas ; profecto non Sol videtur in nube ut speculo , sed veri colores , sive lumen Solis permixtum opaco , quod ipse in nube temperat & imprimit .

Secundò , quod in speculo adspicimus , tantum intra profunditatem speculi recessisse appetet , quantum à superficie ejus res illa distat . Vnde si à speculo recedas , imago videatur intra speculum refugere ; si contrà speculo faciem admoveas , imago tibi obviā videtur procedere . Quod ingeniōsè Poëta in puero Narcissō , amore sui in fonte conspecci pereunte , expressit .

*Exigūa prohibemur aqua. Cupit ipse teneri.*

Ovid. lib. 3.  
Met.

*Nam quoies liquidis porrexiimus oscula lymphis,*

*Hic toties ad me resupino nititur ore.*

*Possē putas tangi. Minimum est quod amantibus obstat.*

*Quisquis es , buc exi. Quid me puer unice fallis?*

Contrà tamen omnino in Iride evenit . Nam ipsa instar umbræ , sequentem fugit , sequiturque fugientem . Tertiò illa colorum varietas satis arguit , lumen Solis esse , quod guttularum umbris permixtam , in colores medios contemperatur . Sic enim etiam in aurorâ , in prismatibus , sive triangularibus vitris , in urinalibus aquâ plenis , in columbarum cervicibus , variis , umbrarum & lucis miscelâ , formari colores videmus .

Scio quid reponat Vicomercatus . *Falsum est , ait , Solis color in arcu non apparere. Apparet enim , et si non purus : quippe qui in speculo colore infecto , hoc est , in nube nigriori exprimatur. Sed nimis leve & perfunctorium hoc est , ut statim acquiescamus.* Nam si vultum meum aut lucem candelæ vel Solis in

in atramento, aut nigro marmore inspiciam, tenebrescit quidem & infuscatur imago; numquam tamen in purpuram, aut colorem alium medium facebit.

Videor tamen jam Aristotelem, aliosque antè laudatos, in partes nostras pñè posse traducere. Nam propè aut planè verum est, & lumen nubi incorporatum, & unà Solem in Iride cerni. De lumine rubis, mihi fixum jam & certum est. De Sole sic ostendi potest. Radius reflexus Solis, qui Iridem nobis format, primarius non secundarius est, ut posteā dicam, ubi caussas inquiram figuræ circulis. Radius autem primarius, sive qui à speculo per angulum incidentiæ æqualem resilit, objectum repræsentare, & ad visionem ejus excitare potentiam visivam solet. Velut igitur in mari aut lacu fluctibus agitato lumen Solis fluctibus implicitum, & unà Solem ipsum, non rotunda & vera sua figura, qualem in lacu tranquillo, sed distorto & confuso schemate conspicimus; ita in Iride, Solis lumen, & simul per speciem reflexam, Solem ipsum videre nihil vetat.

### ARTICVLVS III.

*Cur Iris circularis. Adversus Posidonium, Senecam, Plinium,  
Scaligerum, Bodinum, & alios.*

Cardan,  
lib. 4.  
Subtil. **H** I omnes, aliquique plures, quorum Philosophia Opticos non consuluit, in cavitatem nubis figuram istam circularem coniiciunt. Imò etiam Cardanus, quod impensè mirum, idem facit, & Author libri de Mundo: quem ne Aristotelem esse existimes; nihil enim genij & ingenij ejus habet.

Verùm non magno opere refelli possunt. Primo, quia non semper extremus nubis limbis in rotundum compositus est, quoties apparat Iris. Ventorum enim flatibus, item vaporis & aëris perpetuo fluctu, in omnem se formam nubes transfigurat. Deinde, cùm à cornu uno Iidis versus alterum

alterum incedimus, & nobiscum ambulare videtur Iris, ex-cideret statim è limbo isto circularis nubis. Secundò, nulla caussa erit, cur non etiam triangulares, quadrangulares, & millesimo alio schemate depingantur Irides, si se accommodat fortuitæ figuræ vaporis. Nam vapor instar Protei in omnes formas detorqueri potest. Tertiò, Iris artificialis (cui Aristoteles illam naturalem, similitudine indolis, comparare solet) nata ex aspersione aquæ in radios Solis, semper in circulum se figurat, cujuscumque schematis sit humor quem ore expurgimus.

Hinc etiam liquet, Alexandrum, Vicomercatum, Scaligerum à vero aberrasse, cùm inter cornua Iridis inanem concavitatem fingunt; ideoque totum illud spatium vacare, nec impleri imagine Solis, quia nullum ibi sit, ut purant, ejus speculum. Reverà enim tantum luminis per totam illam semicirculi aream sparsum est, quantum in ipsa Iridis circumferentiâ cernimus. Vnde id rescire potes? inquies. Resp. Ex motu quo alterum Iridis cornu, per spatium illud quod inter brachia apparet vacuum, me sequitur, si versus oppositum cornu inambulem. Nam cornu illud propter mutationem situs oculi, mox apparebit esse depictum in media vacuitate, ubi antea nihil apparebat.

Ammonius verò & alij quidam, Iridem circulo circum-scribi credunt; quia figura Solis est circularis. Sed perpetram. Quia Sole eclipsi mediâ ex parte mutilato, item Lunâ semiplena, aliquando apparuit arcus; nec tamen minus circularis, quam pleno utriusque sideris orbe. Nihil ergo refert, cujuscumque sit figuræ Sol illuminans.

Itaque gyrus ille circularis Iridis nascitur ex æqualitate & similitudine angulorum, quibus radij sideris à nube roante ad oculum respicientis, undique reflectuntur. Hoc enim mecum perpende. Ut radius qui in nubem penetravit, coloratus & evidenter conspicuus in oculum resiliat, debet certo angulo reflecti: id est, inter radium Solis qui directe in nubem jacitur, & illum qui versus terram in oculum spectantis retorquetur, certam quamdam distan-

Maurot.

tiam & divaricationem esse oportet: hoc est, anguli semi-recti, ut existimat Maurolycus. Ut autem reflexio tali præcisè angulo ad oculum fiat, non à quavis parte roscidæ nubis venire potest. Non enim à parte justo superiori, non ab inferiori, sed ab aliquâ quæ determinatam ab oculo distantiam habeat. Vnde, ut multæ partes nubis pari angulo lumen versus oculum reverberent, debent æquè ab oculo distare, id est, in circulum disponi, cuius centrum sit in oculo, à quo omnes lineæ ad circumferentiam eductæ sint æquales.

Sed aliquot hîc satis perplexæ & difficiles tricæ nobis extricandæ sunt.

Primò, guttæ vaporis corpora gravia sunt: cur ergo ex illo Iridis arcu non statim excidunt, cùm nihil solidi sit, quod ipsas infernè sustineat? Dico excidere, dissolvendumque mox esse Iridis contextum, nisi supernè alij rores in spatiū decidentium destuerent, & in eodem situ, quo præcedentes guttæ, exciperent Solis radium. Hinc sequitur, perpetuò mutari Iridem, etiamsi Solem daremus in eodem gradu immotum permanere. Nam ubi diversa specula, & aliud aliudque luminis subjectum est, necesse etiam est formam illam toties variari. Visus tamen id non advertit: quia gutta guttæ tam promptè & continuò supervenit, ut non agmen succedentium, sed eadem & constans acies appareat stantium guttarum.

Sequitur quoque, Irides illas diuturniores esse, quæ humilem curvaturam habent, quales depingi solent sublimi & meridiano Sole. Tales enim majorem nubis roridæ partem suprà habent, diutiusque in circumferentiam illam terræ propinquiorem depluere ex alto vapore possunt.

Vbi etiam intelligis, cur summa Iridis apsis facilius rumpatur & evanescat, quam ima cornua. Superior enim nubes rorem sæpe & humorem suum totum effudit, cùm tamen per aërem terræ vicinum, qui brachia arcū sustinet, adhuc defluant stillicidia. Vides deinde caussam, cur Sole eodem modo lucente, frangatur tamen hîc aut ibi circulus

circulus Iridis. Quia scilicet una pars nubis citius quā altera se guttis suis exonerat, colorique sustentaculum subtrahit.

Secundò, Difficile est enarratu, cur Sole horizontem tangente, radij nubem incidentes non reflectantur potius versus cælum.

Facile difficultatem intelliges, si loco summæ nubis in quā supremum Iridis gibbum vides, speculum ingens imagineris, quod orientis aut occidentis Solis imaginem excipiat. Cūm enim speculum oculo aspicientis altius futurum sit, haud dubiè radium Solis sursum, non deorsum ad oculum reflecteret.

Respondeo, Manifestè hinc evinci, Iridem non generari merā reflexione imaginis Solis à continuo & perpetuo aliquo speculo; sed ante reflexionem, in infinitis parvis *trigonis speculis*, ut docet Aristoteles, lumen refringi, & sic refractum, ex singulis guttis in oculos spectantis reflecti.

Sed cur ergo tota inter cornua, Iridis area non fulget, cūm non minus guttis Solis radios refringentibus plena sit, quā ambitus nubis in quo spectantur colores Iridis?

Franciscus Vicomercatus, non malus Aristotelis interpres, respondebat, & conatur persuadere, radios à totā mediā circuli areā non reflecti, quia fortiores ceteris suūt, tamquam viciniores perpendiculari, quem imaginamur per centrum oculi & centrum Iridis traiecti. Cardanus vero & Scaliger nullam inter brachia Iridis nubem, vel nimis ab oculo spectantis dissitam esse communiscuntur.

Sed omnes istos refellit ambulationis motus, quo spectans ab uno Iridis cornu versus alterum transversim progressitur. Cornu enim quod post tergum est, per medium aream, in qua nihil antea nisi obscurum vaporem videbat, ambulante sequi videbitur, & jam colores Iridis in eo spatio aspiciet, quod antequam se loco moveret, erat inter brachia Iridis medium. Signum igitur est, totum illud spatiū esse guttis lumen Solis refringentibus plenum; sed ab illis radios, per quos Iridis colores videntur, ad oculos

spectantis non reflecti, nisi mutet situm.

Maurot.lib.  
de lumine  
& umbra. Itaque aliter, & ingeniose Maurolycus difficultatem expedit.

In qualibet guttâ ait refractiones radij solaris multiplicari, & se invicem adjuvare; ac deinde lumen conglomeratum undique dispergi. Veruntamen radium qui angulo semirecto reflectitur, solum idoneum esse qui representet aliquem Iridis colorem. Qui enim acutissimo angulo repercutitur, quia fere contra radium directum reddit, ab eo diluitur, & permixtam umbram exuit, ne appareat in eo ullus color. Qui verò obtusissimo angulo à gutta reflectitur, propter talis radij debilitatem, non satis luminis secum trahit, ut coloretur. Igitur qui inter utrumque temperatus, & ad angulum semirectum versus terram reflectitur, aptissimus est, ut coloribus Iridistinguatur. Maximè cùm, ut notat Maurolycus, ab octo punctis in superficie concavâ cuiusvis guttae æquali intervalllo dispositis, radius directus octies in radium qui angulo illo semirecto reflectitur, repercutiatur; ut proinde necesse sit tot radijs in unum confluentibus & eadem viæ extra superficiem guttae emicantibus, insigniter radium illum anguli semirecti roborari.

Sed hæc, nisi oculis proposito è Mathefi schemate, non facile intelliges. Rem igitur paullò familiarius è Vitellone tractemus.

Vitello  
L. 10, th. 66. Ex unaquaque vaporis guttulâ cogita tres radios versus terram reflecti. Vnus per superiorem aërem trans caput tuum cadit, nec demittit se usque ad oculum spectantis Iridem. Secundus, ante pedes tuos in terram decidit. Tertius, inter utrumque medius, in oculum incidit. Hic verò, ut sit satis robustus & lumine satur debet non quovis, sine discrimine, angulo, sed certo & determinatae magnitudinis reflecti. Nec tamen adeò validum esse oportet, ut guttularum & vaporis opacitatem vincat: sic enim nullo se colore tingeret. Tam validus ergo esse debet, ut per obstantem nubis opacitatem, denso satis ad oculum excitandum

dum lumine, regredi possit; ita tamen ut guttarum implexas sibi & intricatas quasdam umbras secum trahat. Umbra-rum enim ista mixtura necessaria est, ut lucis candor in ruborem, viorem, aut purpuram declinet. Alij vero radij, qui à guttis medium circuli aream impletibus ad oculum repeluntur, non habent istam temperiem; ut paullò post enarratiū explicabitur.

Sed estne angulus reflexionis istius perpetuo semirectus, ut putat Maurolycus? Non existimo. Nam in illâ Iride Lovaniensi, quam anno 1625. cum Clarissimis & Eruditissimis Viris, Thomâ Fieno & Petro Castellano, & in dupli-ci altera, quam Anno 1634. die 22. Febr. & die 5. Maij so-lus aspexi, ut Artic. I. narravimus, radius qui à cornu Iridis, vix 30. passibus ab oculo nostro distante, reflecebat, longè acutiori angulo quam semirecto, & planè vicinissi-mus radio directo, ad oculos nostros revertebatur. Quod etiam ex Iridibus artificialibus, quæ effusâ in radios Solis aquâ colorantur, intelligi potest. Cum enim in humore tam propinquo oculis nostris appareant, radius Solis qui ab eo humore in oculos spectantis repercutitur, longè acu-tiori angulo quam semirecto revertitur. Tali enim fermé angulo ejusmodi Irides spectantur, quali homo faciem suam cernit in speculo ante oculos posito. Radij autem tam fortes & vicini perpendiculari, à multitudine & densitate guttarum per quas transcurrent fatis multis umbris se involue-re possunt, ut colorati ad oculos spectantis redeant. Vnde nonnisi densissimâ pluvia cadente, & radijs solaribus inter-lucentibus fulgente, solent Irides tam propè ad oculos no-stros accedere.

Igitur rem totam in clausulam istam colligo. Iridem in-vapore isto cernimus, unde reperiuti ad oculum radius Solis primarius potest. Ille vero vapor certo aspectu opponi Soli debet. A guttis quæ extra gyrum arcus & vertici no-stro propinquiores sunt, radij primarij post tergrû reiec-tuntur, à guttis vero intra areæ ambitum conclusis, ante pedes nostros in terræ superficiem recidunt. Ab universis tamen,

intra etiam & extra arcum guttis, radium aliquem secundarium excipimus; sed iste debilis est, & à primâ solūm vaporis superficie, non ex valdē profundo, ac proinde si ne coloratione venit. Cetera quæ tibi hīc occurrere & impeditre possunt, sequentes Articuli fortasse, Deo dante, expedient.

## ARTICULUS IV.

*An centrum Solis, oculi, Iridis oporteat semper in eamdem lineam rectam incidere.*

M. Ant. **V**itello, Maurolycus, Cardanus, Vicomercatus, Thimon, & plerique omnes factio agmine in sententiam affirmantem currunt. Infelix etiam ille Spalatensis, M. Antonius de Dominis, etsi non summus, melior tamen non paullo Opticus quam Theologus, in libello de Radijs visus & lucis, ante apostasiam edito, *Immerito*, ait, *Cardanum reprehendit Scaliger, quod lineam unam esse dixerit, in qua sit Sol, oculus, & centrum Iridis. Hoc enim & Aristoteles, & gravissimi ali Philosophi admissunt, & ratio suadet, & experientia manifestissime convincit. Nam quod ipse affert se vidisse propiorem sibi alteram coronidem Iridis, deceptum puto. Non enim spatium illud mensuravit. aut illa non fuit Iris, sed alia quacumque impressio.*

Verum ex verissimis Articuli primi historijs protegi forte potest Scaliger. Sed ante omnia video, opusesse aliquā Iridum distinctione, quas Auctores passim in unam confundunt, cum nō rā & modo generationis, toto cālo dissident. Eliciā vero hanc Iridum differentiam ex dupli genere Iridū in artificialium.

Aristot. Primae oriuntur per ἀνάκλασιν reflexionem, praeunte tamen, ut Articulo secundo diximus, aliquā διακλάσει refractione, quam radius intra humorem, ante reflexionem frangatur. Tales apparent, inquit Aristoteles, in aquā quam remiges spargunt. Item si quis occipite obverso Soli aquam in radios ante se expuat. *Idem videbis accidere, inquit lib. 2. cap. 3.*

cap. 3. Nat. Seneca, si quando volueris observare fullonem, cum Senec.  
os aquâ implevit, & vestimenta ridiculis ( palis fissilibus ) di-  
ducta leviter aspergit, apparet varios edi colores in illo aëre a-  
asperso, quales in arcu fulgere solent. Vitello etiam in præcipitio  
quodam aquarium juxta Viterbum in Hetruriâ, perpetuam  
Iridem certo ad Solem aspectu, in aspergine aquæ salientis  
videri, seque in in eâ multa quæ ad Iridem meditatum  
fuisse dicit. Et Iovianus de quâdam alia simili:

*Ac memini, dum castra sequor, Mauortiag, arma,  
Quâ preceps fœle Tyburnâ rupe volutus  
Fert Anio, multaç, cadens aspergine sudat;  
Fumosa fulgere super conspergine claram  
Irin, & aurato iacentem spicula cornu.*

Iovian.

Hujusmodi autem Irides, ex reflexione radiorum solarium  
in similibus aquarium aspersoribus progenitæ, sorores ger-  
manæ sunt Iridis, quam Sol in nubibus depingit.

Sed alterum Iridis artificialis genus est, meræ *diaxælæctæas*  
*refractionis* filia. Talem prismata, & vitra triangularia ef-  
ficiunt. Item urinale, aut vitrum etiam vulgare vinarium,  
similem Iridem in subjecto pavimento suis coloribus affa-  
bre depingent, si obscurato nonnihil cubiculo radium  
Solis per foramen, aut subapertam fenestræ rimam admis-  
sum, vitro humore ita excipias, ut non per totam humoris  
crassitatem, sed per summam & tenuem ejus partem radius  
se traiectat. Sic enim non nimiâ opacitate humoris victus  
obtenebrescat, sed aureo, viridi, purpureo colore ridebit.

Hæ autem Irides meræ radij intra humorem vitrorum,  
refractione fiunt, pingunturque ad modum veri coloris, in  
superficie corporis opaci, in quam post vitrum cadunt. Un-  
de etiam ex quolibet situ & distantia eodem modo viden-  
tur.

Hanc posteriorem Iridem ad vitandam confusionem, nos  
refractam, priorem reflexam appellabimus.

Dico igitur Primo: In Iride reflexâ, qualis solet esse  
quæ in nubibus à Sole adverto depingitur, centra Solis, vi-  
sus, & Iridis in eamdem ferè semper lineam reæam ca-  
dunt;

Aristot.

dunt; quæ Iridis axis appellatur. infinitæ experientiæ, & Aristoteles id satis probant. Estque eadem hujus ratio, quæ est figuræ illius circularis, quæ ex æqualibus angulis reflectionum in Iride resultat. Si enim oculus directè medius non esset inter Solis & Iridis centrum, sed proprietor alteri brachio ( ut accidit in illa Iride Lovaniensi , quam Anno 1625. cum DD. Fieno & Castellano spectavi ) imparibus angulis reflecterentur ad eum radij. Acutiori enim angulo reflectuntur à brachio Iridis vicinore, quam ab altero brachio longius distito. Vnde necesse esset circulum Iridis depravari, & ita aliam figuram detorqueri. Quod aliquando evenire docet Iris illa Valconica Scaligeri & nostra Lovaniensis. Nec umquam à me Vitello, Maurolycus , M. Antonius impetrabunt, ut non viderim, quod sub tam magnis testibus, tam compertè ac palam vidi.

Ex his colligi potest, Iridem reflexam, figurâ elliptica & ovali posse quandoque depingi. Probatur, quia nostra illa Lovaniensis Anni 1625. fuisset talis, si interlucentibus Solis radijs , imber similis inter sinistrum Iridis cornu & oculum nostrum decidisset, qualis inter dextrum cadebat. Pari enim ratione ab eâ parte guttæ pluviales colorassent radios Solis, & sinistrum Iridis cornu etiam adduxissent ad spectantes. Quod sane postea in duabus Iridibus Anni 1634. factum esse Art. I. narravi. Nam utrumque Iridis cornu ad me proximè accessit, superiore arcū gyro in nube sua pertinaciter manente. Vnde necesse fuit figuram ejus non longè à semiovali abluisse. Qualis erit, si quis utrumque semicirculi cornu manibus apprehensum comprimat, & propius adducat.

Raræ tamen sunt ejusmodi Irides , & citò se recipiunt ad figuram circularem pluviam decidente, nec altera pars densitatis in locum ejus superveniente. Deinde ( quod caput est ) cælo tam densè pluente, inusitatum est, Solem tam uberes radiorum fasces per longam guttarum aciem transverberare, qui sufficient ad colorandam tam propinquam oculo spectatoris Iridem. Rem autem ita habere,

mentior,

mentior, nisi Iris artificialis manifestè adfirmet. Non enim dicitur artificialis, quasi non à caussâ naturali & à Sole generetur; sed quia vomitu & roratione oris, aut alio artificio humor Iride depingendus Soli exponitur. Hæc autem Iris, quia in ardentes Solis radios opacus humor ex ore spectantis guttatum instar pluviae spargitur, ante oculos nostros, unius aut alterius pedis vix intervallo, depingitur. Id autem etiam fieri posset, etiam si è nubibus in radios Solis destillarent, non ore guttae vomerentur. Quid enim ad illum effectum refert, unde humor & guttae veniant?

Dico Secundò: In Iride refractâ nulla omnino necessitas est statuendi centrum Solis, oculi, Iridis in eadem linea rectâ. Hoc in Iridibus refractis artificialibus compertissimum est. Ex omni enim situ, supero, infero, opposito, transversali, & ab oculo extra utrumque Iridis cornu constituto cernuntur. Nec mirum, quia talis visio catoptrica & specularis non est, sed directa, quali spectantur imagines in tabulâ depictæ. Omnes igitur illæ Irides Artic. primo memoratae, quæ ad latus Solis, aut alibi ab oculo longè extra lineam à centro Solis ad centrum arcus protractam constituto, aut cornibus sursum eversis visæ sunt, refractæ Irides, non ordinariæ, reflexæ & Aristotelicæ fuerunt.

Ad harum autem generationem duæ nubes necessariæ sunt. Una prior & Soli vicinior, in cuius vapore continuo, aut guttatum sparso (utrolibet enim modo contexta sit nubes, est indifferens) radij incidentes refringantur. Altera posterior, & nigrior, quæ sit veluti paries, in quo radij priori nube clapsi colorentur & depingantur. Utulis etiam fuerit tertia nubes, quæ parietem illum inumbret, quod monuit Keplerus. Nam nimius circumcircù Solis splendor picturam, consumptâ omni umbratim nigredine, facile digereret in sincerum candorem. Prima deinde nubes post tergum spectantis, aut ad latus esse debet, sive non interponi inter picturam & adspectum nostrum. Sic enim impediret aspectum. Veluti quispiam Iridem refractam artificialiem, à lumine candelæ in vitro aquâ aut vino pleno

Kepler.  
Paralip. c. 4.

in mensa depictam videre non potest, si candela à tergo & vitrum inter oculum & picturam Iridis collocetur. Vitri quippe humor obstat, quo minus oculus intueri valeat picturam ab altera parte vitri in mensæ mappâ fulgentem.

Rotundam denique, aut propé, oportet esse nubem, cuius transitu radius Solis in Iridem circularem frangitur. Alias enim radius per eam trajectus, in pariete sequentis nubis non circularetur, sed in aliam figuram, figuræ nubis refringentis congruentem, depravaretur.

Sæpe etiam quod hic, aut ibi in Iride refracta, à figura circulari exerrat, è longinquò tamen apparet perfectè circulare, spatio intervalli errore regente.

## ARTICVLVS V.

*An Iris videri possit maior semicirculari.*

**D**E Iride reflexâ & vulgari, quæ per antonomasiā Iris appellatur, est haec dubitatio.

Aristoteles & Optici omnium consensu demonstrant, Iridem talem maximam formari Sole oriente, aut occidente. Et tunc etiam esse semicircularem; quia axis Iridis, sive linea recta à centro Solis per centrum Iridis ducta, in plano horizontis jacet, & tam Iridis quam Solis centra supra horizontem conspicua sunt. Apparente verò circuli centro & horizonti incumbente, necesse est totum semicirculum eminere. Tunc igitur semicirculus Iridis videtur, inquit, Vitello, nisi forte tanto minus, quantum est differentia propter hoc, <sup>Vitell. l. 10. th. 74.</sup> quod centrum visus non est verum centrum universi. In hoc autem non est sensibilis differentia. Et si sit, non est in generatione Iridis, sed in visione ipsis. Quæ mihi non videntur satis circumspicitæ asserta. Nam & oculus altitudinem Iridis determinat (à vapore enim, qui altior est quam suprema curvatura arcus quem videmus, fit etiam, et si radij in oculos nostros non cadant, reflexio) & si Iridis, quam semicircularem videamus, circulus infernè clauderetur, longè abest, ut interciperet

ciperet in mediâ suâ areâ, terræ & universi centrum. Semidiameter enim Iridis quam infra terræ superficiem depresso esse imaginamur, nequit esse major alterâ semidiametro nobis conspicuâ. Hæc autem sæpe non extendit se ultra nubes illas atras ( quæ vix aliquando 500. passus à terra distant ) in quibus summa curvatura Iridis depingitur. Totidem ergo solùm passibus occulta altera semidiameter infra terræ superficiem deprimeretur; cùm hinc tamen ad universi centrum non sit brevius, quam 860. milliarium German. intervallum.

Vnde jam facile intelliguntur extra oleas nimis longe Philosophari qui docent, Iridem cuius semicirculum videmus, perfectum suum circulum habituram, si apud Antipodas nubes rorida contra eam nubem, quam Iride semicirculari depictam videmus, disponeretur. Supponunt enim in imaginationis suæ fundamento, centrum Iridis in terræ centrum coincidere, ac totum terrestrem globum Iride circumligari. Quod omnino falsum est. Nam sic diameter Iridis, sive intervallum ab uno cornu ad alterum, diametrum terræ longitudine æquare deberet; cùm tamen illud intervallum, quando Iris cornua sua laxissimè divaricata, vix 1500. passus, sive dimidiā horariam leucam excedat.

Verum tamen est, centro Solis ad horizontis limbum posito, Iridem semicircularem apparere ( nisi montes, aut alia in superficie telluris protuberantia imis cornibus aliquid demordeant ) sed nunquam medium est circuli majoris, qui terræ globum fecet in duo hemisphaeria æqualia. Ratio autem cur semicirculum totum adspiciamus, optima ab Aristotele assertur: quia axis qui per centra Solis & Iridis transit, utrimque incumbit horizonti. Ergo etiam censum Aristoteles, censum Iridis est in ipso horizonte: ac consequenter horizon semicirculum abscondit à circulo per ejus centrum.

Sed potestne Iris quandoque semicirculo major apparet? Affirmat Cardanus. Scaliger os ei batuit, suo more; Scalig. sed injuriâ, ut sæpe. Averroës enim narrat audivisse à fido teste, Iridem pænè circularem aliquando à se visam; nisi Aver. lib. 3 Meteor.

tamen refracta illa, non vulgaris & reflexa fuit. Ex monte  
 tamen altissimo talem apparitaram, Thimon ( quo nullus  
 inter veteres illos & siccos Nominales in re naturæ con-  
 sultior ) Maurolycus , alijque cum Cardano asseverant.  
 Possibile est, ait Maurolycus, *Iridem integrum apparere, si quis su-*  
*pra horizonem tantum exaltaretur, ut alter semicirculus supra ho-*  
*rizontem existeret. Si quis ergo in cacumine montis, aut turris*  
*excelsæ, aut arboris existeret, ex Iride plusquam semicirculum vi-*  
*deret.* Et Thimon: *Si oculi hominum possent elevari, sicuti oculi*  
Thimon.  
lib. 3. Me-  
teor. q. 19. *avium ( ut gruum, ardearum, aut alaudarum ) viderent se-*  
*cundum circumferentiam Iridem completam & rotundam.* Id ergo  
 fiet, si avis volatu superet vulgaris Iridis semidiametrum,  
 & aliquis sit superior ordo nubium, in quo aliter Iridis se-  
 micirculus depingatur. Oculus enim inter duas nubes, su-  
 periorem & inferiorem sic constitutus integrum videre  
 poterit circulum. Non quasi semicirculus unus sit futurus  
 supra, & alter infra horizontem, ut pueriliter quidam  
 imaginantur, sed uterque supra horizontem erit, quia tam  
 vapor inferior, cui inferior arcus imprimetur, quam vapor  
 superior, qui superiorem arcum sustinebit, conspicui erunt,  
 nec longius ab oculo remoti, quam Irides vulgares & semi-  
 circulares esse solent.

Tota autem difficultas h̄c est, An à vapore inferiori  
 perinde, ac à superiori, radij Solis circulariter ad oculum,  
 è regione centri Iridis collocatum, reflecti possunt. Posse  
 vero, ex Iride artificiali probatur. Nam h̄c perfectè cir-  
 cularis effici potest, si aqua sursum & deorsum ante ocu-  
 los, in radios Solis spargatur. Quod autem Iris vulgaris  
 circulum suum non absolvat, distantia ejus ab oculo, &  
 magnitudo arcus obstant.

Cum igitur Aristoteles negat Iridem adspici ampliorem  
 semicirculari, ad istos casus extraordinarios non aspergit,  
 sed ad Iridem dumtaxat, quæ è plano, & ordinariâ distan-  
 tiâ conspicitur. Hanc etiam excusationem Vitello recipi-  
 re potest. Quamquam, ut de Aristotele suspicionem meam  
 dicam, nescio an ejus sint, quæ tam fusæ & mathematicæ  
 nobis

tnobis de Iride philosophatur. Prolixitas enim illa, præser-  
cim in figuris illis mathematicis, non est ei solemnis. Et in-  
blino, ( nec solus ) ut è Mathematico aliquo veteri , ver-  
satim etiam fortè , huc transcripta existimem. Et auget  
suspicionem , quòd difficillimam & impeditissimam viam  
et ingressus , omnia per radios ab oculis in nubem emi-  
santes , ac sæpè frustrà , conando expedire : cùm tamen  
ententia ejus de radijs lucis & speciebus colorum , quibus  
visionem perfici in Libris de Anima docet , viam multo mi-  
nus impeditam ostenderet.

## ARTICVLVS VI.

*De Iridis altitudine.*

**C** Ardanus docet, Irides, virgas, parelios, intra 772. pas- Cardan.lib.  
suum millia à terrà posse generari; hac ratione, quòd 4. Subtil.  
summi vapores tam altè in cælum subeant. Imbres tamen  
affirmat è propinquiori decidere. Sed neq; hypothesis vera  
est ( nam supremi terræ fumi vix, nisi fortasse raro aliquo  
eventu, ultra 52. passuum millia scandunt : imò solum ad  
43. pass. millia, si Nonio credimus ) & ex ea mendosè  
Iridis altitudinem colligit. Nam excelsissimi illi vapores,  
qui primi mané auroram rapiunt, & ultimi vesperi crepus-  
culum retinent, aquei non sunt, nec guttati, in quibus tin-  
ctura Iridum possit hærere, sed terrestres quædam & re-  
torridæ exhalationes. Itaque summa apsis & curvatura ar-  
cūs non ultra proximas & imbrum secundas nubes,

*Quā parte debacchantur ignes,*

*Quā nebulae, pluvijg, rores,*

Horat.

attollitur. In rorido enim, non arido, vult depingi Iris. Ita-  
quem aximæ Iridis , quales oriente aut occidente Sole for-  
mantur, semidiameter, veteri Opticorum sententiâ, est 42.  
graduum , id est , totidem cæli gradibus videtur subtendi. Keplerus'  
Keplerus & Maurolycus ad 45. gradus paullominus  
extendunt. Ut scilicet reflexio sit anguli semirecti , & ex

medio inter horizontem & Meridianum intervallo. Quarta enim pars cæli, quæ à culmine cæli ad horizontem extenditur, complectitur 90. gradus. Igitur dimidia pars, quæ est altitudo semidiametri Iridis, capiet 45. gradus, aut aliquantò minus, ut instrumentis repertum asserit Maurolycus: quem defectum longitudini gutterarum imputat. Alias si circumcisè orbiculares forent, non dubitat, quin angulus reflexionis semirectus omnino esset, & Iridis semidiameter ad quintum & quadragesimum altitudinis gradum perveniret. Hæc verò de primariâ Iride, quæ proximè ex radijs Solis è fundo nubis in oculos nostros redeuntibus efflorescit, non de secundariâ, quæ ex reflexione primæ, inversis coloribus, in vapore superiori resultat, accipienda sunt. Hæc enim, cùm inferiorem Iridem concentricam, nec parvo sæpe intervallo, ambiat, semidiameterum longiorem necessariò habet, quam Iris primaria.

Aristot.

Virell.

Sed quid est, quod Aristoteles inculcat, Iridem semicircularem, partem & segmentum esse circuli minoris, Iridem verò minorem semicirculari, esse segmentum circuli majoris? Nempe quod Vitello lib. 10. th. 78. affirmat: Si Iridis arcus ille magnus & semicircularis, quem Sol oriens aut occidens depingit, in circulum integrum circumscriberetur, is circulus esset minor circulo qui describeretur ex humili Iride, quem Sol altè supra horizontem elevatus, juxta horizontem Orientis aut Occidentis effingit.

Ratio est, quia manè & vesperi cùm Sol oritur aut occidit, aëris & nubium guttae ac rores densiores sunt, quam alto suprahorizontem Sole. Igitur tunc pyramis illuminationis est brevior, sive radij à Sole in aërem & vapores ultra visum nostrum nostrum conjecti, citius propter densitatem medij hebetati deficiunt, & è loco viciniori ad oculum nostrum reflectuntur. Elevato autem supra horizontem Sole, rarefactis calore vaporibus, & extenuato aëre, pyramis illuminationis est longior, & à magis diffitis vaporum guttis recurrent ad oculum spectantis.

Quæ doctrina Vitellonis impressè confirmat quæ Articulo

culo proximo de Iridis magnitudine differebamus Frustra- Thimon.  
que Thimon contra suum Vitulonem ( ita enim passim  
barbari illius ævi Scriptores Vitellonem appellant ) bra- l. 3. q. 24.  
chia jaætat, contendens in medio densiori diduci & latius  
diffundi Iridis circulum. Sed fallitur. Nam quanto in pro-  
pinquieri hærent Iridis colores, tanto ambitus arcus cerni-  
tur angustior. Ideo enim Irides artificiales tam breves dia-  
metros habent, quia tam propinquæ oculis sunt.

Hinc etiam facile colliges, Sole etiam ex eadem altitu-  
dine aut humilitate vaporem irradiante, non omnes nece-  
ssariè Irides esse portiones æqualis circuli. Nam plurimæ  
caußæ sunt, quæ vapores densare aut relaxare valent, Iri-  
disque ab oculo distantiam variare, ut ex triplici à nobis  
conspectâ, & Art. I. narratâ Iride facile potest intelligi.  
Isto deinde argumento : quod aliquando duæ simul, non  
permutato colorum ordine, Irides primariæ visantur, ut  
infrâ referemus ex Vitellone.

Hoc quoque non negligendum: Irides semicirculo mi-  
nores & ad horizontem depresso, aliquantulà refractione  
per vapores densiores & superficii terræ circumfusos di-  
latari ideoque segmentum circuli majoris apparere. Sic enim  
dum si lera, v. g. Geminos, cum primùm supra horizon-  
tem emergerent, sextuplo longius à se dissipata, quām ubi  
Meridianum attigissent, sæpè adspexi. Verumtamen par-  
vum inter Iridem & oculum nostrum aëris rorulenti inter-  
vallum, non insignem sæpe efficit refractionem.

Aliam etiam caußam muginatus nobis est Cardanus. Cardan.  
Cur, inquit, dum Iris modica est, & parum à Finitore elevatur,  
et majoris circuli pars esse videtur? Causa est, quod oculus magis lib. 4. Sub-  
distare Iridem, quod humilior est, iudicat, quoniam distantiam in- til.  
telligit. Vnde latiorem etiam existimat; velut etiam dixi de Sole  
& Lunâ orientibus. Sed non hæc princeps causa, cur Sol  
& Luna orbes suos ita diffundant in ortu; sed quia revera  
sub angulo majori refracte adspiciuntur. Fieri tamen po-  
test, ut intellectus imaginatus supremum Iridis gibbum lon-  
gius abesse, quando humilius est & pænè terram tangit, ar-  
guat

guat per mentis discursum, eam majorem esse & latius crura divaricare, etiamsi forte oculus non cernat angulo ampliori. Quod enim æquale alteri apparet, si tamen distare magis existimetur, intellectus statim illo altero majus esse, falsò conjectare solet. Curvaturam autem arcus longinquiorum esse juxta horizontem oculus dijudicat; quia plura in superficie terræ, inter se & curvaturam ad terram ferè depresso, interjecta videt, quam ubi valde elevata est supra horizontem. Cum enim totus aer inter ipsam & oculum medius sit pellucidus, nihil per integrum illud spatium visus cernit, unde intellectus metiri distantiam possit.

## ARTICULUS VII.

*Causa maculosæ colorationis Iridis. Adversus Albertum, Scaligerum, Cardanum, Maurolycum, Vicomercatum, & alios.*

**T**Res, aut summum quatuor, principales colores videri solemne est in Iride: & hyperbole usus est Poëta, cum cecinit,

*Mille trahit variis adverso Sole colores.*

Virgil.

Aristoteli est *φοινικεός*, secundus in mediâ *πράσινος porraceus* seu *viridis*, tertius *ἄλσης purpureus*. Inter puniceum tamen & viridem *χαυδείς flavus*, quasi utriusque commissura, interpingitur.

Laurent.  
lib. 3. Me-  
teor. Scalg.  
Exerc. 80.

Albertus, & antiqui Laurentiani Colonienses Albertistæ, & Scaliger varietatem colorum referunt in varietatem vaporum, in pinguntur quibus diversi arcus Iridis. Non ab oculo, inquit, Scaliger sed à luce ac materia sunt in Iride colores. Primus ex luce & terrestri; idcirco *cœruleus* (aut potius *purpureus*) *nigrita* proprior. Secundus leviore materia, quippe aquæ; atque idcirco *viridis*. Tertius *flavus*, aeris lucidi refert similitudinem. Ignem quartus, *rutilantior*. Hoc igitur vult. Vaporem, quo humilior & propius ad terram dependet, hoc magis terrestrem & fæculentiores esse, ideoque radium Solis malignius in eo, ut crasso & turbido, lucere. Numquam alias vidi clarius,

quam

quām facilis sit lapsus in Physica, nisi quis rudi saltē Opticē & Mathematicarum intelligentiā sustentetur. Hæc enim omnia apertē falsa sunt. Primō, quia sic crura Iridis terræ contigua, nullā colorum varietate, sed omnino cerulea, seu purpurea apparerent, quandoquidem vapor qui terræ superficiem tangit, debeat, secundum Philosophiam Scaligeri, esse maxime terrestris. Secundō, incredibile est, crassamentum & opacitatem vaporis tam notabili discrimine, in spatijs trium colorum Iridis sibi tam propinquis, variari, & quidem semper in ac omni Iride.

Tertiō, in Iride etiam artificiali, quæ aquā in radios Solis sparsā efficitur, similis varietas colorum perinde visitur; & tamen aqua sursum deorsum, ac quaqua verbum ejusdem opacitatis est & crassamenti.

Cardanus & Thimon putant, puniceum à radio solari fortissimo, quia pars illa nubis altissima & vicinissima cælo est, colorari. Deinde paullatim descendendo per viridem, in purpureum languescere.

Sed non difficilis iterū refutatio est. Nam cùm Sol ad limitem horizontis est, non est propinquior uni parti arcū quām alteri. Deinde, solus Iridis gibbus, qui cælo vicinior est, puniceo tingetur, cruribus quæ terram tangunt, purpurascentibus, aut nigrore tantum infectis.

Tertio loco exeat doctissimus Mathematicus, Franciscus Maurolycus, in Libello de Lumine & umbrâ, theor. 29. qui ingeniosē fingit radios à parte inferiori Solis emicantes in nubem supericrem, à parte vero superiori, in inferiorem impingere. Ita videlicet, ut ante nubis superficiem & ingressum, radij illi se decussent, & uni in arcu superiori, alij in inferiori depingantur. Sic hominis forisstantis imago, si per angustum foramen, in cubiculum obscuratum admittatur, imagines capitis & pedum in foramine decussatae, inverso situ in chartâ foraminii oppositâ, caput deorsum, pedes sursum depinguntur. Radij autem qui à centro Solis, inquit, Maurolycus, exeunt, in medianam nubis superficiem vibrantur.

Cardan.lib.  
4. Subtil.  
Thimon.  
lib. 3. q. 15.  
Met.

Ex quo dedit, plures in superiorem & inferiorem Iridis arcum à Sole radios jaci, quām in medium. Nam à mediā & centrali parte faciei Solis, radij quidam in colores arcus etiam extremos puniceum & purpureum tendunt, cūm omnia faciei Solis puncta undiq; lineis rectis in orbem radient.

Deinde quia facies Solis sphærica est & parte anteriori protuberat, radij aliqui à summo & ab imo margine globi, sive à fronte & mento faciei Solis, ut sic loquar, tam in inferiorem & purpureum Iridis arcum, quām in superiorem & puniceum profilire possunt; qui tamen ad medium & viridem arcum pervenire nequeunt, ait Maurolycus, quia medio tumore, sive naso, ut sic dicam, faciei Solis ab ea parte nubis avertuntur.

Hinc igitur, inquit, supremus arcus puniceo fulget, quia plures radij faciei Solis partem illam vaporis irradiant, indequē ad oculum reflectuntur. Medius verò arcus pauciores radios, ideoque declinat in viorem. Infimus autem arcus, et si tot radios, quot supremus absorbeat; tamen quia angustior est, arctius illos densat, & adstringit in purpuram. Verùm, licet Philosophia ista in duobus primis coloribus, puniceo & viridi utcumque fortasse tolerari posset, in infimo tamen & purpureo, non potest,

Si enim tam densus radiorum fascis in infimum purpureum arcum, quām in supremum qui puniceus est, jacitur, nulla est caussa, cur non pari etiam lucis ardore rutilat. Nec refert quod inferior arcus angustiorem gyrum habeat. Quin imò hoc potius efficiet, ut punicei magis & flagrantior appareat. In angusto enim spatio magis flagrant & se invicem incendunt radij.

Quartus in proscenium veniat Franciscus Vicomercatus. Is radios solares quadruplici ordine disponit. Aliqui perpendicularē (qui centro Solis in centrum nubis directè exit) proximē circumstant. Hi validissimi sunt, & numerum sine reflexione penetrant.

Alter ordo & corona radiorum, longius paullò recedit à perpendiculari, ideoque viribus inferior est perpendiculari.

lari. Vnde non omnino nubem penetrat, sed revertitur ad oculum; purpureus tamen & onustus multitudine umbrarum, quia fortitudine suppar est perpendiculari, nec nisi post longam vaporis penetrationem reflectitur. Hic igitur radiorum ordo, proximus perpendiculari, purpureum arcum efficit in Iride.

Tertius ordo, quia debilior est secundo, non tam altè nubem penetrat, citiusque reflectitur; ideoque non tam opacus & umbrosus redit, quam color purpureus, facitque viridem arcum. Viror enim plus lucis, minus opacitatis habet, quam purpura.

Quartus radiorum ordo in supremam & puniceam apudem cadit, omnium invalidissimus, quia longissime à perpendiculari & axe illuminationis recedit. Hinc in summâ quodammodo vaporis cute deficit, ibique hæret, & eam allambit, faciemque tantum, non penetralia illustrat. Sed hæc etiam Philosophia semper mihi visa est difficilis.

Primo: quia in tantula distâtiâ purpurei coloris à puniceo, non video, quid ita statim ordines illos radiorum debilitet.

Secundo: Singulæ guttæ in totâ areâ nubis (quia totidem specula à se divisa sunt) radium suum perpendicularrem, non solum integra nubes, habent.

Tertio: totum spatum inter brachia Iridis, ubi nullum cernimus colorem, omnibus tamen arcum coloribus est plenum. Si enim ad alterum brachium accedas, alterum per mediam illam aream te sequetur à tergo. Id est, novum perpetuò brachium adspicies in aliâ & aliâ spatij illius parte, quod anteà videbatur tibi coloribus vacuum. Designa igitur quocumque voles in nube mihi guttam aut punctum, quâ penetrat radius ille quem vocas perpendicularrem, negasque repercuti ad oculum, ostendam tibi ab illo punto radium coloratum redire ad oculum, si tu Iridem spectes è regione vaporis, in quo cornu unum Iridis video. Nam Iris quam tu spectabis, Iridem meam interfecabit, & cornu alterum tuæ Iridis dependebit in media centrali area meæ Iridis, in qua nihil video, & per quam dicebas

penetrare radium perpendicularē , qui propter robur suum irrepercussus penetraret. Itaque ab illo vapore centrali Iridis radius profectō retroagitur; & licet non ad meum , ad tuum tamen oculum redit. Idem quoque mihi eveniet, si à meditullio Iridis, semidiametrum Iridis ambulando emetiar, & ē regione vaporis , ubi cornu prioris Iridis videbam , jam aspiciam. Nam ē secunda hac statione, video cornu Iridis , quod à tergo me quasi sequebatur, ad medium aream & centrum prioris Iridis pervenisse.

Aut nihil hīc intelligo , aut hæc experientia sententiam istam Vicomercati funditus evertit.

Itaque proprius verum est, colores omnes ab eodem radiorum ordine , sed ex diversâ nubis profunditate redeuntium , generari. Vbi ergo radij nubem primūm ingrediuntur , & inde ad oculos reflectuntur , color ardentissimus & puniceus apparet. Vbi verò radij ijdem paullò altius penetraverunt , debilitantur , & per inferiorem ( sic enim angulus reflexionis flagitat ) nubis partem , multā opacitate & umbris guttarum impliciti versus oculum redeunt. Tertiò , longius iterūm adacti in vaporis profundum , tenuiori adhuc & fuscâ quasi luce , purpurei sive violacei , per interiorem & infimam arcū curvaturam reflectuntur. Denique à longinquiori adhuc vaporis parte fit etiam reflexio , sed ante pedes nostros in terræ superficiem radij reflexi cadunt. Si tamen directe versus Iridem progrediare , radios illos jam oculo excipies , & inde in alia parte vaporis spectabis novam Iridem. Et hæc tandem videtur etiam fuisse sententia Vitellonis lib. 10. th. 67. (etsi sàpè evariet , & hanc aut illam viam pro usu demonstrationum ineat) quam per longas meditationes se formasse ait.

Hinc etiam concludes , non solùm in prima nubis & vaporis superficie à summo usque ad terram , sed in tota etiam profunditate universos omnium arcuum Iridis colores contineri. Nam aut procedendo , aut recedendo , aut ad latus versus cornua abscedendo , omnes colores in qualibet vaporis parte ac guttâ cernere ex certâ distantiâ valebis.

ARTI-

## ARTICVLVS VIII.

*Quis numerus colorum in Iride.*

**M**AUROL Aurolycus quatuor principales appingit. Croceum sive puniceum, viridem, cæruleum, & purpureum. Tres deinde alios secundarios, qui veluti ferruminant & conjungunt inter se principales. Omnes enim quâ se proxime contingunt, limbo quodam magis florido, saltem ab oculatissimis, cernuntur.

*Transitus ipse etenim spectantia lumina fallit.*

Vsque adeo quod tangit idem est, tamen ultima distant, ait Poëta vetus. Sic Olympiodorus refert à Ptolemæo septemcoloram Iridem aliquando visam. Verùm juncturæ illæ extremorum & principalium colorum, præter flavam, quia nec valde insigues nec ab omnibus notantur, ab Aristotele quoque neglectæ fuerunt. Facit igitur, & cum ipso alij passim, Iridem quadricoloram tantum ; præter puniceum, viridem, & purpureum, immisso inter puniceum & viridem flavo. Putant verò colorem puniceum comparatione vicini viridis, tamquam nigrioris, quâ parte eum contingit, in flavum expallescere. Id est, flavum colorem ibi reverà nullum esse, sed tantum apparere : eâ ratione, quâ vulgare axioma habet, Opposita juxta se posita magis elucescere. Flavus autem uberiorem aliquanto lucis mixturam, quam puniceus videtur habere. Ex istâ etiam nigri juxta positione docet Aristoteles, in aterrimâ nube Iridem coloratissimam apparere. Item Iridis Lunaris colores comparatione tenebrarum noctis candescere ; sicut Phrygiones qui gemmas intexunt, solent splendidas, ut acriùs radient, obscurioribus copulare. Hæc non refuto : possunt tamen in rixam trahi. Nam si oculum ita componas, ut occultato viridi, solum colorem puniceum in Iride adspicias, videbis tamen inferiorem ejus limbum in flavum florescere ; nec tamen ex comparatione viridis, nigrioris quem non vides. Igitur de aliâ causâ paullisper muginatus, hoc tantum reperi.

Radios puniceos virentibus in confinio commisceri ; sive à puniceis illis , & multa luce saturatis guttis , aliquid splendoris in proximam & radijs viridibus tinctam viam aspergi . Flavus enim color ex albo & viridi est mixtus , ut apud Agell. differunt Fronto & Phauorinus . Et difficulter , ut credo , probabilius caussa afferetur , cur in Iridibus artificialibus , in vitro aquâ pleno refractis , viridem etiam & puniceum intercurrat flavus . Nam punicea illa veluti flamma proximum viorem diluit . Nec tantum , quod sic appareat , sed quia revera hoc facit .

Hoc etiam notavit Aristoteles : Totum aliquando colorem puniceum , in summâ apside Iridis , laxante se nubis opacitate , & deciduâ pluvia , in pallorem quemdam flavescere . Opacitas enim nubis soluta , aut diducta , nigrum evanescere facit , quod luci permixtum erat in puniceo .

Quæri etiam potest , an color viridis & purpureus , revera sint in aliquo gyro nubis inferiori , & viciniori centro terræ , quam puniceus .

Non existimo : sicuti nec vaporem à quo virentes & purpurei radij refle&tuntur ( dixi Articulo præcedenti ) esse infra apsidem puniceam , sed è profundiori solum vapore emergere . Apparet tamen color viridis & purpureus summissior , ut nubes circa horizontem ; quæ tamen æquali à terrâ spatio distat , cum illa quæ vertici nostro impendet . Sic etiam longi tabulati extremum , propinquius pavimento nobis videtur , etiamsi totum tabulatum sit pavimento parallelum . Credo tamen , radios virides & purpureos non solum in remotissimo illo reflexionis loco adspici ; sed etiam in toto spatio medie , quæ per obstantes gutterum umbras directe in oculū redeunt . Nam in via præcipue colorantur : & ideo plus nigri contrahit purpureus , quam viridis , quia per longiores gutterum tenebra transit & ad nos revertitur .

Sed quare tres soli colores principales sunt ? Quia etiam alibi res maximæ , numero ferè ternario clauduntur , inquit Aristoteles . Thimon vero ait , omnem aliam caussam frustra quæri , præter rei naturam . Cur enim , inquit , equus equum

equum generat, & non elephantem? Aio verò puniceum pauca nigredine intemperatâ statim transire in viorem, & hunc illicò in purpuram.

## ARTICVLVS IX.

*Modus generationis secundæ Iridis Alberti, Scaligeri,  
Vicomercati recycitur.*

**I**RIS sèpè duplex, raro triplex. Snellius tamen in Co-  
metâ Anni 1618. *quinq[ue], imò sex continuo ordine parallelas,*  
ait aliquando se vidisse. Bodinus septemplicem apparere, Bodin.  
nec vltra posse, affirmat; quia reflecti idem radius, nisi à  
septem speculis, non valet: idque arcano quodam numeri  
illius septenarij mysterio.

Sed fundamentum hoc imbecille est. Et valde mirabor,  
nisi radius solaris benè satur & robustus, à decem etiam  
speculis, antequam evanescat, resiliere possit. Fateor tamen,  
tam inusitatam esse tertiae Iridis reflexionem, ut Aristote-  
les negasse videatur umquam evenire. Nubes enim instar  
speculi chalybei non est, ut à superficie statim radium in-  
tegrum repercutiat: sed radius profundum ejus intrat, ac  
deinde parte lucis veluti extinctâ, reliquum in oculos no-  
stros regerit.

Notandum præterea, duas (etsi rarenter) Irides con-  
centricas, sive quarum una alteram undique ambit pari in-  
tervallo & spatiösiori gyro, visas fuisse, nullo variato colo-  
rum ordine. Id enim Vitello & Thimon narrant. *Quòd Vitell.*  
*quandoque plures Irides eiusdem sitūs, ait Vitello lib. 10. th. 71.* *Thimon.*  
*in coloribus videntur, una sub aliâ (ut primò rubeum, deinde viri-  
de, & deinde alurgum; & iterum rubeum, & iterum viride, & de-  
num alurgum) hoc accidit propter diversitatem materie in diversis  
superficiebus, quarum una est ante aliam, & omnes accidit sub uno  
angulo videri. Vnde videntur quasi contigua. Addit tamen inter-  
vallum quandoque manifestum inter utramque interici,  
si contingat eas sub diverso angulo spectari. Res tota brevi-  
ter ex principijs antè datis sic potest intelligi.*

Non

Non omnis Iris formatur in vapore æquè alto ; sed aliqua oculo propinquior & circuli angustioris est , alia remotior , quæ ideo brachia latius expandit . Quidn ergo aliquando talis vaporis dispositio esse possit , ut & in humili , ob majorem densitatem vel opacitatem vaporis , & in excelsum loco simul , repræsentetur arcus ? Certè enim eo tempore , quo Iris naturalis apparet à regione Solis , expuendo aquam in radios ejus , Iridem artificialem minorem efficerem possumus , quæ colores eodem ordine , quo Iris naturalis , puniceum summo loco , viridem medio , purpureum infimo gerat .

Sed de secundâ Iride , quæ inferioris primariæ colores invertit , grande inter Opticos & Philosophos dissidium est .

Albert.

Albertus pingui satis Minervâ , rem hac imagine figurat . Sume , ait , tria vitra semicircularia , & ita inter se coniunge ut supremum puniceo , medium viridi , infimum purpureo tinctum sit . Expone jam Soli : triplices radij simili tincturâ infecti , tres arcus , sed dilutioribus coloribus , in opposito pariete depingent . Sic ergo existimat , radios qui per primariam Iridem transeunt figurare secundariam in superficie postpositæ atræ nubis , tanquam parietis . Creditque se hoc , ut ait , infallibili arguento confidere : quia secundus arcus subito quandoque evanescit , nullâ manifestâ , in nube illa postica , factâ mutatione ; sed ideo solùm , quia crassescente primæ Iridis vapore , comprimuntur radij , ne ad alteram nubem posteriorem valeant effluere .

Sed non difficile est errorem ejus detegere . Nam si hoc esset , secundariæ Iridis colores non forent inversi . Quod exemplo etiam vitrorum illorum ostendi potest . Radij enim multicoloria vitra penetrantes , eadē serie parietem obvium depingunt qua in vitris ipsis colores dispositi sunt . Deinde , secundaria Iris , quia in viciniori ad horizontem nubis parte descripta erit , infra primariam apparebit . Contrà tamen est , nam secunda Iris suo ambitu primam claudit . Loquere jam Iuli Scaligeri . Iridem secundā in eadē nube minimè fieri

Scalig.

Exerc. 80.

fieri arbitror, sed in loco superiore separata: quamquam id oculo dignosci nequit, tum ob longinquitatem, tum ob corporum similitudinem. Duas item vidimus Irides in nubibus diversis, alteram alteram maiorem. Quo ex judicio solvitur difficilima quæstio, quæ tam diu torsit Alexandrum: cur media nubes, quæ inter utramque Iridem interiacet, non est punicea, sed nullius coloris inter puniceos circulos duos. Ratio est, propterea quod aëri ibi, non nubes est.

Sic ergo iste cum ceteris, quos sequenti Articulo examinabimus, Iridem secundam perinde ac primam, immediato radiorum solarium resultu effici putat; & ne Iris Iridi continuetur, hiatum aliquem æris inter utriusque Iridis nubes interponit.

Non fero jam qui tam altè supra Cardanum efferre solent Scaligerum. Plus eloquentiae, & variæ doctæque suppellectilis, fateor, fortasse habuit; sed in Mathematicis & alijs quibusdam, quanto eum intervallo reliquit Cardanus.

Sed ad diverticulum. Respondeo itaque Scaligero, frustra eum imaginari hiatum vacui aëris inter superiorem & inferiorem nubem; nam superioris nubis guttae aut rores in inferiorem nubem perpetuò destillantes, utramque nubem jungent, & hiatum illum satis implebunt, ut colore aliquo tingi possit. Clamat enim non uno loco Aristoteles, <sup>Aristot.</sup> ne quidem momento stillicidia suspendi sine lapsu posse in aere aquâ leviori. Non æqualis etiam undique secundariæ Iridis à primariâ semper intercapedo esset; sed laxior hic, ibi compressior, pro latitudine & modo hiatus qui inter utramque nubem inseritur. Deinde dum Scaliger in summam curvaturam Iridis oculos defixos tenet, cornua ejus iuxta terram non adspicit. Hic enim infimus vapor cornibus utriusque Iridis pictus, æquè terræ propinquus est, & superficiem ejus tangit. Et alia denique Scaligerum tangent, quæ statim ceteris obijcimus.

Sed quomodo secundæ Iridis colores transponat, videamus. Radix, inquit, Solis duas inter nubes evadunt validiores. Exercit. Quare propinquiores partes attenuantur. Eà de causa proportionib. ibi <sup>eadem.</sup> est ignis; supra eam, aëris; inde aquæ: omnia secundum rationem densitatem.

*densitatis.* In hoc tamen suo , ut ipse vocat, *figmento* , non valde sibi placet : nec mihi certe valde potest. Simile tamen aliquid Ammonius & Olympiodorus olim confinxerunt. Radium, inquam , perpendicularem inter utramque nubem jaci , & intervallum istud ideò rarescere ac tenuari, summumque colorem infimæ Iridis & infimum summæ, tamquam ardentissimo radio proximos, maximè flagrare & puniceo colore tingi. Verùm, præter jam dicta in Scaligerum ( quæ etiam hoc satis refellunt ) loco non suo radium perpendicularē constituunt. Is enim potius in utriusque Iridis centro, quò ipsum Vicomercatus & alij passim deprimunt, ponì debet. Ac, ut semel dicam, Iris nostra Lovaniensis Articulo I. narrata, omnia hæc frangit & disiicit figmenta. Secundaria enim pari cum primariâ passu ad nos incedebat, laterique ejus appropinquebat, cùm vicina esset, diducebatque se deinde, laxato pedetentim intervallo, cùm recederet à nobis. Continuus igitur inter utramque Iridem vapor , non puri aëris hiatus , fuit ; qui accedentem aut abeuntem à principali, secundariam Iridem reciperet. Unde res tota ad specularem rationem , & variam inter oculum, speculum, & rem objectam , distantiam & situm reduci debet.

Vicom.

Vicomercatus dubitat ferè tantum , ut sàpè solet , & in utramque partem Problemata solūm & interrogationes jecit. Nisi quòd hoc illi sedeat: Iridem secundam non generari reflexione primæ à superiori nube, sed reverberatione radiorum solarium magis distantium à perpendiculari. Utriusque igitur Iridis similis est ortus ; nisi quod à languidiori radio superior depingatur. Sed singulæ guttæ , etiam in altissimâ nube suos habent radios perpendicularares: nec tam parvo inter utramque nubem intervallo , tam manifeste radiorum ille puniceus ardor, & plenitudo coloris decrescere valet. Deinde, cur jam puniceus in imo secundæ Iridis arcu depingitur, qui supremum primæ gyrum obtinet ? Numquam hanc profectò colorum permutationem sententia ista explicabit , ut jam ostendam paullò diffusiùs.

ARTI-

## ARTICVLVS X.

*Nec Maurolycus, aut M. Antonius, in secundaria Iridis explicatione satis placent.*

**H**I etiam ex reflexione radiorum proximè ab excel-  
siori vapore secundam Iridem formari acriter defen-  
dunt; probantque, quām alij, enixiūs.

Contendit in primis Maurolycus, reflexionem secundæ  
Iridis esse ad quinque partes octavas unius anguli recti, id  
est, ad semirectum cum unā octavā parte. Vnde angulus  
reflexionis ejus est octavā parte obtusior angulo reflexio-  
nis Iridis primariæ. Hic enim juxta Maurolycum est an-  
guli semirecti. Vnde colligit, cùm semidiameter seu alti-  
tudo primæ Iridis erit graduum 45. altitudinem secundæ  
futuram graduum  $56\frac{1}{4}$ . Et hinc Sole ad tantam altitudi-  
nem elevato, nihil de Iride secundariâ posse apparere.  
Elegit autem hanc reflexionem ad angulum semirectum &  
octavam unius recti partem; quia talis valida est, accedit-  
que ad validissimam illam anguli semirecti, quæ primariam  
& coloratissimam Iridem nobis concinnat. Aliud etiam  
est, inquit, quod secundariæ colores debilitat; magnitudo  
scilicet ipsius arcus. Radij enim intra majorem illum gy-  
rum disperguntur, & malignius nubem saturant: in mi-  
nori autem gyro pleniores & magis constipati sunt. Et  
hanc etiam putat caussam inversionis colorum. Nam quia,  
ait, secundariæ Iridis inferior ambitus est arctior, lux ibi  
compressa puniceo eum colore inflamat, quæ per gyros  
superiores in viridem & purpureum se discingit.

Ingeniosè hæc, ut multa, Maurolycus; sed nimio fortè  
acumine à veritate deerrat. In primis enim hac ratione,  
etiam in primariâ Iride insimus ambitus, quia brevissimus,  
deberet esse puniceus. Respondet ipse, talem reverà futu-  
rum, nisi multitudo stolidiorum quæ ibi conglomerantur,  
eum in purpuram declinarent.

Sed ecce jam non cogitat, quod secundæ etiam Iridi idem eveniet. Cum enim guttæ cadentes quod magis centro terræ propinquant, propius ad se accendant, & denser catervas / nam singulæ perpendiculo ad centrum ruunt, nisi ventus, aut alia vis interpellet) etiam in imo superioris Iridis arcu plures erunt & densiores, quam in viridi & purpureo, qui sunt altiores, & longius secundum Maurolycum distantes à terræ centro. Quod tamen constipatio major guttarum non ita colores evariet / licet adducere arcum prope spectantem valeat, ut in nostrâ Iride Lovaniensi patuit) ex cornibus intelligi potest. Nam in illis, licet vapor in quo apparent, terram attingat, & guttæ ibi densiores sint ac magis constipatae, non alia tamen quam in summo arcu, colorum varietas appetat.

Quod etiam opere tanto & scrupulosé, de secundariæ Iridis reflexione ad angulum semirectum cum una octavâ recti parte differit Maurolycus, uno hoc argumento videtur vanescere; quod secundaria distantiam à primariâ non semper unam habeat. Igitur angulum etiam reflexionis nunc majorem, nunc minorem habere potest. In nostrâ enim Iride Lovaniensi, à proximo cornu secundariæ Iridis, quæ unâ cum primariâ ad oculum nostrum fermè accessit, acutioris anguli reflexio fuit, quam ab altero cornu longissimè distante à nobis.

M. Anton.

Quid tandem M. Antonius? Aliquid hinc proprius veri speciem, quam in suis de Repub. Christianâ libris dixit; sed tamen ipsum verum non attigit.

Ex concavâ superficie cujusque guttæ tres radios ad oculum redire sibi fingit. Qui per guttæ centrum aut vicinas centro partes transit, superiorest, & in superiori seu secundariâ Iride ideo purpureus, quia per majorem guttæ profunditatem traiicitur, magisque se opaco ejus miscet, ideoque plus nigri contrahit. Inter verò Iridis colores, purpureus plurimum nigredinis habet. Alter radius demissior est, nec sicut prior, per diametrum & centrum guttam transfodit, sed ita eam quasi dividit, ut pars major sursum, minor deor-

deorsum sit. Et hic, quia per minus opaci penetrat, est viridis. Tertius, qui insimus, minimam à parte imâ guttæ particulam abscondit; & hinc puniceus est, ac parcissimè omnium, nigredine aut opacitate tinctus. Fatetur autem se maximè sudavisse in hac colorum secundariæ Iridis inversione M. Antonius. Sed parcere labori sanè potuit. Reverà enim si quid video, ne hilum profecit. Nam ut totum ei, quod obtinere pugnat, demus, numquam efficiet, quin etiam eādem de caussâ, in primariâ Iride similis colorum ordo sit. Insimus, inquam, puniceus, viridis deinde, & supremus purpureus. Adde, quod omnia sic explicet, quasi ex unico gutterum ordine tota Iridis reflexio fiat. Cùm tam en radius, qui per minimum opaci primam guttam transfit, in alias statim guttas innumeræ impingat, quas vel per diametrum, vel aliâ quacumque sectione secat; atque ita multarum gutterum umbris tinctus & involutus ad oculos spectantium redditurus sit; perinde ac ille radius, qui per centrum & diametrum primam guttam traiicit.

## ARTICVLVS XI.

*Secundariam Iridem reflexione primaria formari.*

**I**ta sententiae huic replando, quam non ut falsam, sed <sup>Maurolyc.</sup> falsissimam, tanto clamore Maurolycus exploxit. Imò assero hanc esse Aristotelis, quidquid repugnant Alexander & Vicomercatus. Nam ideo probat tertiam Iridem non solere cerni, quia tertia reflexio nînis imbecilla est, & insensibilis: satis innuens tertiam, si daretur, Iridem pingendam fore ex reflexione secundæ, ut secundam reflexum primæ. Probatur autem hac ratione. Quia sententia illa probabilior est, cui experientia faventior, faciliusque universis se difficultatibus expedit. Talem verò hanc, aut fallor, ostendemus.

Primò enim, numquam Iris secundaria, quæ inversos colores, & puniceum in imo, purpureum in summo arcu

habet, sine primariâ visa fuit: igitur ab eâ dependet. Imò curiosè quandoque notavi , numquam segmentum primariæ deficere, quin pars proxima secundariæ unâ evanescat. Si autem ex conjectu & reflexu immediato radiorum Solis, sicut primaria, nascatur, cur non aliquando secundaria sola etiam apparet?

Reponit Maurolycus : quia Iridis secundariæ numquam, aut rarissimè caussæ concurrunt , nisi cum primariæ caussis: et si sæpè contrà eveniat, ut caussæ Iridis primariæ adsint, sine secundariæ caussis. Quod sic demonstrari potest.

Statim atque guttæ in secundariæ sive superioris Iridis spatio concreverint, momento quasi in inferiorem aera , & locum primariæ Iridis defluunt. Vnde illicò pro utrâque Iride habes paratam materiam. Contrà tamen, humili sæpè vapor pro primariâ sive inferiori Iride disponi potest, nullo alio vapore superiori, in quo Iris superior, sive secundaria depingi possit. Sed hoc etsi primâ fronte speciosum videatur, inspectum tamen è proximo , vilescit. Quid enim si ( quod non raro fieri potest ) nubecula Solem & nubem inferiorem interjecta , ab Iridis primariæ loco radios Solis avertat, superiori interim nube illustrata , & idonea ut Sol in ea secundariam Iridem pingat? Certe enim tunc superior Iris sine inferiori apparebit.

Quod tamen tam rarum est, ut nemo umquam tale prodigium viderit. Imò si talis nubes inter Solem & Iridem inferiorem sive primariam forte intercurrat , illicò superior sive secundaria Iris simul cum primaria extinguetur, si antè gemina Iris apparebat.

Quid si deinde nullum opacum post inferiorem primariæ Iridis nubem positum sit ( opacitatem enim à tergo esse oportet , ut nubes colores Iridis rapiat ) superior raro nubes, quæ locus est secundariæ Iridis, retro opacata sit? Ecce tunc iterum Iris illa superior , solitaria & sine alterâ inferiori erit.

Tertio , numquam ferè Iridis primariæ segmentum semicirculo

micirculo minus juxta terram ( sicut Sole valde elevato solet ) absque secundariâ apparebit. Utriusque enim tunc Iridis vapor demississimus est , & in infimâ aëris regione totus. Denique , nullam umquam ferè primariam sine cornibus saltem secundariæ Iridis terræ contiguis videbimus. Nam infimus aër extra primariæ cornua totus aliquousque est rorulentus. Quod inde liquet : quia si versus alterum primariæ cornu in ambulaveris, ipsum hoc cornu in aërem ulteriorem ante te quasi propelles, id est, cornu illud in alio & alio aëre rorulento , perpetuò novum videbis, ut ex Art. xiiii. clariùs intelligere poteris.

Secundò : Nulla solida causa debilitatis colorum secundariorum Iridis, præter reflexionem à primâ, afferri potest. Quod enim vulgo majorem ab oculo distantiam caussantur , ne aestimes. Tantum quippe inter utramque intervallum non est , ut superior semper longè dilutior appareat. Deinde, cornu Iridis illius secundariæ quam Lovanij An. 1625. cum DD. Fieno & Castellano spectabamus , tam propinquum fermè oculo nostro , ac primarium erat; triplo tamen languidiùs fulgebat.

Tertiò : Inversionem colorum in secundaria Iride , altera sententia nullâ viâ umquam expediet. Ego verò sic. Radij Solis qui in singulas primariæ Iridis guttas cadunt, refracti prius , certo angulo resilunt aliqui sursum, alijs deorsum, & undique in orbem. Eorum quidam ad oculum Iridem spectantis veniunt, alijs sursum, aut in latera extra ambitum arcus diffunduntur. Qui à supremo primarię Iridis gibbo sursum sparguntur , tam altè per vaporem eluctantur, donec angulum idoneum reperiant ( quem Maurolycus quinque octauas partes recti habere ; ego incertum esse, & pro vicinitate aut distantia primariæ Iridis ab oculo , variari existimo ) quo ad spectatorem refecti possint. Radij etiam brachiorum extra complexum Iridis lateraliter sparfi, eosque penetrant, donec angulum idoneum inveniant, ex quo orbiculariter cum superioris curvaturæ radijs , ad oculum revertantur.

Id enim planè me Iris illa Lovaniensis Anni 1625. docuit. Nam unà cum cornu Iridis primariæ , cornu etiam secundariæ pari passu , comprimento etiam se perpetuò & appropinquando primariæ , ad nos accedebat ; & deinde rarefcente pluviâ , pari iterum passu cum primaria , laxando se denuo , & à primaria paullatim recedendo , à nobis abibat. Vnde cum utriusque Iridis brachium juxta nos erat , radij Iridis secundariæ à vaporibus Iridi primariæ propinquioribus ad oculos nostros refle&tabantur ; quia densa tunc pluvia , interlucentibus Solis radijs , cadebat , quæ guttas constipabat , ac proinde à vapore densiori radij citius ad oculos spectantium , idoneo angulo reflecterentur.

Et hinc pulchra se mihi obiicit ratio , cur intervallum inter utramque Iridem tintum non appareat ; quod Alexandrum & alios tantoperè torsit. Quia , inquam , et si etiam ab illo intervallo , radij à primaria Iride sparsi reflectantur , angulum tamen ibi non habent talem , quo reflectantur ad oculum spectatoris. Alias verò , si locum mutando , ab uno cornu Iridis versus alterum ambules , ab illo etiam intervallo inter utramque Iridem medio redibunt ad oculos tuos radij , quando cornu Iridis secundariæ , quæ cum cornu primariæ te sequetur à tergo , per intervallum illud transibit.

Sed quare ergo , inquies , colores secundæ Iridis invertuntur , ut puniceus in imo , purpureus in summo arcu spectetur ? Resp. quia punicei radij in superiori zona primariæ Iridis in vaporem superiorem resilientes , in principio fortissimi sunt , ideoque colore puniceo infimam zonam superioris , sive secundariæ Iridis tingunt. Longius verò progrediendo , in viridem , pari radiorum & opaci mixturâ , transeunt. Ac denique in purpureum , in suprema secundariæ Iridis zona , deficiunt. Sed cur non sæpius appetet secundaria Iris ?

Difficulter alij huic nodo cuneum reperient ; ego istum . Quia primaria medio milliari Belgico , aut ultra , plerumque ab oculo spectatoris abest. Itaque ut alteram Iridem gignat , quæ ad adspicientem ex tanto intervallo reflectatur , per

per multum vaporis , & quadrantem facilè milliaris, radius à circumferentiâ primariæ emicans, transire debet , donec justæ magnitudinis angulum reperiatur. ut ad oculum se reflectat. Antequam verò huc usque eluctando perveniat, exstinguitur sàpè, aut nimis extenuatur ; nisi Iris principalis egregiè saturata sit , & plenissimis coloribus fulgeat. Tunc enim secundaria numquam desit , modò sat vaporis circumstet, nec ita densè ut radium, alias à se satis debilem, non recipiat. Vnde si contingat primariam tam saturatam & propinquam esse, quām cornu illud nostræ Lovaniensis, semper geminabit, nisi circumfusus vapor , qui alteram *Iridem* excipiat , desit. Sed quare secundaria Iris non apparet cornibus sursum ioversis , si à vapore superiori tanquam à speculo reflectitur, ut objectant Maurolycus & Vicomercatus ? Resp. nubem superiorem in qua appetet secundaria Iris , non esse merum speculum à quo reflectatur primaria Iris ; sed radios illos puniceos in supremo arcu primariæ Iridis, generare in vapore superiori per novam refractionem, novum colorem puniceum in imo arcu superioris Iridis, deinde viridem, ac postremò purpureum; qui certo & idoneo angulo, post aliquod spatium , ad oculum nostrum orbiculariter reflectuntur.

## A R T I C U L V S X I I .

*An Iris ultra geminam, & quo colorum ordine apparere possit.*

**N**Egat impressè Aristoteles: *Neque enim, inquit, plures Aristor, duabus Irides sunt simul. Et causam deinde jungit.*  
*Quia secunda hebetior est, ita ut tertiareflexio planè reddatur im. Cardan.*  
*becillis. Accessit Cardanus, & ( quod mirum in illâ ejus de lib. 4. Sub-*  
*secundâ Iridis generatione sententiâ ) ubique id affirmat til.*  
*aut supponit Maurolycus. Vicomercatus tamen à quibus-*  
*dam tres, Snellius sex à se simul visas narrat. Vitello etiam Mauro-*  
*quatuor se Paduæ quondam spectasse dicit. Sed ex mera Vicom.*  
*refractione pictas, ut in urinalibus aquâ plenis solent, fuisse Snell.*  
*xxx existi- Lib. 10.*  
*th. 69.*

existimo. Nam & perfectè circulares, & ad latus Solis, non ex adverso erant, ut ipse narrat.

Dico Primo: Duæ, trésve, aut plures primariæ Irides concentricæ, ex diversâ radiorum reflexione immediatè, & eodem colorum ordine apparere, etiam si ratiō, simul pos- sunt. Id enim Articulo ix. ex Vitellone & Thimone à nobis est probatum. Fiet autē hoc, quando vapor circa terram longè densior & compressiores guttæ erunt, quam in superiori nubis circumferentiâ; radijque tamen per eum transeuntes, satis validi erunt ad colorationem Iridis. Tunc enim eum superiori Iride justæ altitudinis, inferior Iris in densiori & opaciori vapore figurari poterit. Rarum tamen hoc est; quia vapor totus à nube ad terram usque uniusmodi fermè densitatis & opacitatis est, & proinde unicam reflexionem, qualem Iris unica postulat, habet. Vbi verò infimus vapor ultra solitum se comprimit, plerumque opacitate suâ radium Solis respuit, aut non satis ubertim eum ad arcū colorationem admittit. Et hinc raritas talis secundæ Iridis.

Dico Secundo: Possunt absolute etiam tres, quatuor, quinque & plures Irides apparere, quæ perpetuâ serie colores invertant. Id est, ut prima puniceum in summo, secunda in imo, tertia iterum in summo habeat; & ita deinceps, alternando puniceum cum purpureo, viridi semper in medio inter utrumque manente. Hoc autem eveniet, si omnes quæ supremum arcum puniceum habent, à Sole proxime formentur, & singulæ aliam secundariam supra se generent, quæ in proximo arcu punicet, purpurascente remotissimo. Sic enim inter duas quasque primarias secundaria, permutatis extremis coloribus, interiçcietur. Quod fieri posse, dicet qui superiora utcumque intellexerit.

Sed id jam notandum: Tertiam, quæ puniceum in supremum gyrum restituit, non futuram plerumque remissiorem secundâ. Hæc enim à primariâ inferiori, & causâ debili, illa verò à radijs immediatè Sole emicantibus, & satis validis figurata erit. Propter distantiam tamen, aut quia ex profundiori, vel malè temperatâ nube reflexio fiet, ali-

quando

quando dilutiùs quàm secunda fulgere poterit.

Dico Tertio: Secundaria Iris quæ puniceum in imâ apside habet, vix umquam tertiam, quæ superiorem colorem punicantem habeat, generare valet. Probatur: quia si primæ Iridis radius in colorem purpureum supremi arcus secundæ Iridis deficiat, quomodo ultrà sic propagari poterit, ut post aliquod intervallum, tertiam Iridem ( & quidem à colore purpureo languido paullatim ad puniceum acriorem ascendendo ) conformet? Hoc plane est, quod Aristoteles aliquando evenisse negat. Rarissimo tamen casu id fortasse accidet, si supra secundam Iridem vapor ita rarefacat, ut imbecilli ejus radio colorari, & supremus arcus ( quia humor ibi fortè tenuissimus ) pallore tantùm quodam punicante adspergi possit.

Ceterum, secundariæ Iridis colores, non solum languidores, sed singuli etiam arcus, seu zonæ colorum angustiores sunt, quàm in primariâ: quia à caussâ debiliori, & à radio jam antè in formatione primariæ Iridis fracto, nec tam longè penetrante, generantur. Punicea etiam primariæ Iridis zona, latissima est, purpurea angustissima.

Maurolycus credit, latitudinem totius Iridis æqualem Maurol. esse diametro apparenti orbis solaris. Verùm supponit, Irides figurari ex radijs superioribus & inferioribus faciei Solis, invicem se ante nubem decussantibus, & eam nubem per diversas superficies, quarum una altior, altera depresso, intrantibus; quod placere nobis imper negabamus. Hoc igitur magis placet. Radius Solis primò intrans nubem roridam, ad aliquantam profunditatem pari fermè robore & viribus pergit, guttarumque opacitatem ita vincit, ut color nubis, plus lucis quàm opacitatis habere videatur, ideoque appareat puniceus.

Pergendo verò profundiùs, radius toties in guttis alijs & alijs sequentibus refractus, ita debilitatur, ut pari ferè mensurâ opacitas guttarum & radij lux permisceantur, coloremque proinde viridem repræsentent, in quo albedo & nigredo, sive lux & tenebra, æquali circiter mensurâ in-

temperari creduntur. Tertiò opacitas & umbrarum nigratio ita radij lucem superat, ut in colore plus nigri quam lucidi appareat: qualis est color purpureus.

Quia igitur tres illi ordine colores, non in diversa parte primæ superficie nubis (quasi imago Iridis picta in pariete) sed in alia & alia sequenti profunditate nubis, ferè parallelè depinguntur, ideo color puniceus, qui primam profunditatem nubis occupat, & vertici oculoq; spectantis est vicinior, latior ceteris coloribus sequentibus appetet; quemadmodum in longo & parallelo horizonti tabulato, lacunaria, sive tignorum interstitia, latiora videntur quæ propinquiora sunt capiti spectantis, quam quæ ab eo remotiora. Angulo enim obtusiori spectantur quæ propinqua, acutiori quæ magis dissita sunt. Sic ergo latitudo zonarum colorum Iris sensim decrescere videtur; ut latissima sit punicea, sequatur deinde viridis, angustissima sit purpurea.

## A R T I C V L V S X I I I .

*De varijs Iris motibus.*

**M**odus Iris varij, sed solùm apparentes sunt. Primus, quo Iris occidentalis, Sole manè adscendente, perpetuò videtur deprimi; quia minor minorq; circuli portio supra horizontem manet, crescente Solis altitudine.

Secundus, quo Iris orientalis magis magisque assurgit, Sole in Occasum delabente. Amplissimæ enim à Sole in horizonte positio figurantur. Nequit tamen ulla Iris usque ad zenith nostrum crescere: quia sic semidiametrum ejus oporteret esse 90. graduum; cum hactenus altissima non excesserit gradus 45. Igitur medio inter zenith & horizontem intervallo stabit ejus incrementum.

Tertius motus est circa horizontem. Ut v. g. in Zonis frigidis, Sole 24. horarum spatio horizontem circulante, Iris ex adverso, pari ferè semper altitudine apparere potest circuire. Nobis etiam semicirculum fermè horizontis simili

motu

motu ambire potest, si hieme, cùm Sol in Capricorno, manè Iris occidentalis appareat, paullatimque levante se versus Meridiem Sole, Iris è regione versus Septemtrionem, & de-  
de versus Ortum se gyret. Omni enim, ut statim dicam,  
horà diei videri tunc à nobis potest Iris.

Quartus motus, accessus aut recessus est, per condensa-  
tionem aut rarefactionem vaporis. Ut patet ex historiâ Iri-  
dis Lovaniensis, quam è primo Articulo, si lubet, repetere  
poteris. Rarescente etiam vapore Iris brachia sua diducit,  
fitque segmentum circuli majoris, inquit Vitello : reela-  
mante Thimone, qui in denso dilatari potius Iridem con-  
tendit; sed nequidquam.

Vicell.

Thimone

Quintus est fuga, vel sequela, per oculi propinquatio-  
nem, aut recessum: eodem fermè modo, quo nebula  
ante sequentem fugere, & sequi fugientem videtur. In  
caussâ est, radij reflexio, qui ex determinato spatio, & cer-  
to angulo reverti debet ad oculum. Si ergo accedas, appa-  
ret fugere: non quòd eadem Iris locum mutet, sed quia  
aliam perpetuò & aliam vides è remotiori vaporis parte  
reflexam. Nam radij qui priùs in oculos tuos incurrebant,  
jam post te cadunt, & alios excipis qui ante te in terram  
cadebant. Sic etiam, cùm fugis, sectari à tergo Iris videtur:  
quia quandoquidem pari semper intervallo ab oculo distet,  
ubi pèdem ab ea refers, attrahis eam quodammodo unâ  
tecum: id est, in vapore citeriore novam Irim aspicis,  
ubi antè ob propinquitatem, videbas nihil.

Hinc collige, oculum hominis prioris & posterioris,  
etiamsi in eodem Iridis axe sint, non cernere unam eam  
deinque Iridem. Sextus est motus transversalis, quo trans-  
ferri de loco in locum videtur Iris, quando ab uno brachio  
eius versus alterum incedis. Cirum enim oculus semper  
( excepto raro eventu ) è regione centri Iridis spectet, si  
mutet centrum Iridis, videt aliam Iridem, & sic videtur  
priorē de loco in locum transferre. Vnde, si quis alteri  
tuæ Iridis brachio propior est, aliam quā m̄ tu videt, tuam  
intersecantem. Hinc nec duobus iusdem hominis oculis

suspiciari potes, non cerni eumdem omnino arcum. Id enim multi credunt; sed nescio, an velim accredere.

Vtar hoc discrimine. Si vera est sententia Maurolyci & plurium, Solem, non lumen aliquod impressum vaporis, cerni in Iride, omnes ubique in toto terrarum Orbe oculi eamdem semper vident Iridem. Nam veluti eumdem in ceteris speculis, ita in isto, Solem aspiciunt. Iris autem nil apud ipsos aliud est, quam Sol sic in vapore reflexè conspectus. Si vero Iris lumen est nubi implicitum, & istud ibi lumen cernatur; ex parte saltem eamdem duo ejusdem hominis oculi Iridem vident. Aliquæ enim luminis illius partes radiant in utrumque oculum. Hoc etiam quispiam non absurdè quærere potest; Cur Iris tubo nostro Belgico inspecta, amittat colorationem. Experire enim: confusaneum tantum aliquod lumen aspicies, nullâ colorum varietate maculosum.

Existimo, priorem illam tubi vitream & convexam lentem, radios nimis dilatare, & diluere umbras quæ splendorem radiorum Solis astringunt & colorant. Largiter etiam ad hoc adjuvat clara & digesta crystalli aut vitri perspicuitas.

#### ARTICVLVS XIV.

*Locus & tempus Iridis.*

**I**Ridis vulgaris sive reflexæ locus est nubes è regione Solis posita. Oportet enim spectatoris oculum, inter Solem & nubem constitutum esse, ut omnes experientiae probant. Et hinc est, ut nullæ nobis versus Austrum pingantur Irides. Quia, inquam, Sol numquam trans z. nith nostrum in Septemtrionem digreditur, ut oculus Meridiem aspiciens, Solem à tergo habeat-

Sed rem non tantum post tergum, inquies, sed etiam inter me & speculum collocatam v. g. meam manum in speculo cernere possum; quidni etiam Solem dum in Tropico Cancri

Cancri versatur, videre possim aut radios ejus in nube  
quæ ultra Tropicum Cancri est?

Resp. Hanc interrogationem venire à falsa imaginatione;  
quod videre hinc nubes valeamus, quæ in Zonâ torridâ  
sunt. Quod longissimè à vero abest. Alicubi enim Carda-  
nus docet, vix ultra decem millaria Belgica, nubes infimas  
& pluentes quæ horizonte tangunt, à nobis videri. A Tro-  
pico autem Cancri, sive initio Torridæ, Lovanium distat  
gradibus 28. circiter, quorum quisque, secundum Ptole-  
mæum, fermè 20. Belgicis leucis, sive 60. millibus passuum  
constat. Deinde Iris nulla in vapore, qui usque ad limbum  
ultimum visibilis horizontis remotus est, umquam videtur.  
Nam maxima distantia Iridis ab oculo, trium milliarium  
est, inquit Conimbricenses, ex communi, ut aiunt Opti-  
corum sententiâ. Imò aio ego, vix ullam ultra dimidium  
milliare Belgicum, sive 1500. passus, à nobis removeri.

Ex quo patet, nimis simpliciter à Vicomercato, & alijs  
quibusdam asseri: Iridem plerumque circulo integro claudi,  
sed alterum ejus segmentum infra horizontem deprimi.  
Cornua enim quæ videmus, non infra horizontem, etiam  
visibilem dependent, sed prope nos in terram defixa sunt.  
Irides verò refractæ, non solum è regione, sed ad latus  
etiam utrumlibet Solis, ut non uno experimento constat  
(qualia aliquot Art. 1. narravimus) formari possunt. Ad  
earum quippe generationem duas ordine nubes sic disponi  
sufficit, ut refractum in priori, & mixtâ opacitate colora-  
tum radium, excipiat nubes posterior.

Tempus quo maximè frequentatur Iris, autumnus est  
aut ver. Vere tamen præcipue, & Aprili ac Majo præser-  
tim, cerni in Belgio, non uno anno notavi. Caussa est quod  
& nebulosum vaporem, & unâ interlucentem satis acriter  
Solis radium Irides desiderent. Hiems ergo nubilo gravis,  
& invalido Sole; æstas nimis valido, & sœpè sine nube, mi-  
nus sunt ad Iridum generationem idoneæ. Ver autem, quia  
magis serenum, & interlabente sœpius imbre roridum est,  
aptius est autumno.

Ante

Ante etiam, aut post pluviam saepius Iride pingitur nubes, quia minuti quidam rores molliter, priusquam cadat imber, defluentes; aut certe exonerarà jam per imbrem nube, residui & destillantes, rapiunt Iridis colorem.

Hinc liquet, quare quibusdam in locis Iris usitator. In Plin lib. 2. Italia Locris, ait Plinius, & in lacu Velino, nullo non die apparet arcus: id est, quantum existimo, valde frequenter. Quo etiam simili moderamine accipio quod addit: Rhodi & Syracusis numquam tanta nubila obduci, ut non aliquà horâ Sol cernatur. Ibi ergo frequentissimæ Irides, ubi facile ascendit rarus quidam & rorans vapor, qui totam non pellat serenitatem, sed accipiat, & reflectat, non extinguat Solis radium. Hinc fluminibus, aut uidis vallibus incumbentia Iridum brachia saepissimè videmus.

De terræ climatibus & Regionibus, certæ etiam quædam leges sunt.

Primo: Vbiue in toto Orbe, manè & vesperi, apparere Iris potest. Manè cum Sol nondum secundum & quadragesimum, aut quadragesimum quintum ( si tantam esse maximæ Iridis semidiametrum, Maurolyco credimus) elevationis gradum attigit: vesperi vero, cum ad illum etiam altitudinis limitem à culmine cæli descendit. Causa est in promptu. Quia altissimæ Iridis semidiameter tot ferè cæli subtenditur gradibus. Haec autem oriente, aut occidente tantum Sole, tota supra horizontem est, deprimiturque paullatim, quod altius Sol se elevat in oppositâ cæli regione. Vnde ubi altitudo Solis ad æqualitatem semidiametri illius, id est, ad 45. gradum pervenit, totum Iridis arcum necesse est deprimi infra horizontem. Aut potius, semotâ imaginatione hac falsâ ( qua Aristoteles ad verum demonstrandum utitur ) Iris infra horizontem non deprimitur, sed tunc Iris nulla est; quia in tantâ Solis elevatione, radij à stillicidis reflexi, longè ante oculos nostros in terræ superficiem reflectuntur. Quod si subito transferremur, oculis jam exciperemus quidem illos radios, Iridisque videmus aliquod segmentum; sed eo motu mutassimus etiam

Aristot.

Solis

Solis elevationem, essetque nobis 45. gradibus humilior. Hæc tamen de Iride primariâ, & de ijs quæ magnitudinis ordinariæ & solentis sunt, intelligenda esse, facile conjectabit, qui præcedentium Articulorum doctrinam perpendit.

Secundò: Sub polis, omni horâ longæ illius diei qui dimidium annum durat, cerni aliquod Iridis segmentum potest. Cum enim Æquatore pro horizonte habeant, maxima Solis elevatio non est major 23<sup>1</sup>. gradibus, quanta scilicet est distantia Æquatoris ab altero Tropicorum.

Tertiò: Sub Æquatore degentibus, tribus ab ortu Solis & totidem ante occasum horis, cerni Iris potest. Ratio est, quia ternis horis Sol gradus 45. ibi pæncè conficit. Singulis enim horis adscendunt 15. gradus Æquinoctialis: totidemque Sol percurrit; nisi quantillum deest, ob rensum proprij motū.

Quartò, nobis qui in Zona temperata habitamus, ab æquinoctio autumnali ad æquinoctium vernum, qualibet diei hora Iridis aliquod segmentū apparere potest, ut Aristoteles notavit. Cujus tamen rei legitimam caussam non attigit Seneca, ubi ait: *Aristoteles ait, post autunnale æquinoctium, qualibet horâ diei arcum fieri: æstate non fieri, nisi aut in cipiente, aut inclinato iam die.* Cujus rei causa manifesta est: quia Aristot. Sol medio die calidissimus nubes evincit; nec potest ab his imaginem suam recipere, quas scindit. At matutino tempore, & vergens ad Occasum, minus virium habet: & ideo à nubibus & sustineri, & repercuti potest.

Verum non ea est caussa. Nec enim Sol meridie semper tam validus est, ut nubes scindere & dispergere valeat. Vera ergo caussa est, quia Sol hibernus à Libra ad Arietem, non elevatur supra horizontem ultra 45. gradus, quanta est semidiámetro Iridis. Æstate verò altius ascendet. Vnde illa diei hora nihil de semidiámetro Iridis, ex adverso Solis, supra horizontem extare potest. Id est, et si nubes rorida eo tempore Soli fortè opposita fuerit, Iris tamen nobis in ea exprimi non potest, quia reflexio radiorum Solis eo angulo

Y y fieri

Senec.lib. 3  
c. 8. Nat.  
Senec.

fieri nequit, quæ in oculos nubem spectantis, cum imagine Iridis, redire valeat.

## ARTICVLVS XV.

*Effectus, & significatus Iridis.*

**I**Nter effectus Iridis non memoro jam procreationem sui similis, sive secundi arcus, de quo ante satis diximus. Alij quidam effectus ei passim tribuuntur: qui tamen non tam ejus, quam caussarum quarundam ipsi cohærentium sunt. Alias enim cùm Iris lumen arcuatum sit, nil nisi sibi simile, & calorem efficere valet.

Aristot.  
Plin.  
Plutarch.  
  
Aristoteles, Plinius, Plutarchus, & agricolæ nostri à calvo ad calvum omnes, aiunt silvas, arbores, frutices, plantas odoratores reddi, quibus arcus incubuerit. Tradunt, inquit  
Plin.lib.12  
gap. 24. Plinius, in quocumque frutice curvetur arcus cælestis, eamdem qua sit aspalatho, suavitatem odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem quamdam. Aspalathus vero est lignum aloës Rhodiorum, ut hodie Officinæ vocant, ut Amatus in Dioscoridem docet, ex quo Coronæ ad fundendas Deo & Virginii preculas concinnantur. Plutarchus narrat, ligna, in quæ cornua dejecerit Iris, ιριστοκύπτα à Græcis agricolis appellari; quasi in ea arcus cælestis ceciderit. Terram etiam ipsam suavius halare docet Plinius. Hęc tamen, & id genus ridet Cardanus. *Quis enim, inquit, umquam Iridem vidi arbori incumbentem? cùm sola visus imaginatione consistat.* Ego vidi, Cardane. Ac licet visus circumferentia Iridis limites quodammodo ponat (ex certo enim intervallo, & angulo, ut appareat, reflecti ad oculum lumen Iridis debet) color tamen ille nubilo permixtus, revera aliquid, & splendor quidam est, non de genere Chimærarum, aut ens rationis: ut proinde arboribus & plantis veré inniti valeat. Theophrastus etiam ait, lib. 6. c. 25. loca adusta, Iride incumbentे, odoratiora fieri. Ad odorem enim generandum & spargendum, media quædam siccī & humentis temperies exigitur. Vnde eodem libro narrat, ve-  
stigia

stigia leporum ac ferarum medijs & temperatis anni temporibus, vere scilcet & autumno, magis odora esse, & autumno maximè; quia ver florū & plantarū exhalante suffitu, odorem ferarum hebetat. Hiems autem nimio frigore odoriferos spiritus adstringit, aestas calore nimis discingit. Hinc aestivo meridie difficulter vestigant canes, prudensque venator nascentem, aut occidentem diem ad venandum praeponit. Siccitas tamen præcipue odores acuit, qui hebecuntque manifestè, aut extinguuntur affluentia humoris. Vnde in Ægypto, quia cælum pleroque tempore anni caliginosum & roscidum est, negantur ulli pænè esse odores.

Plantis autem Iris odorem suapte vi non adsperrgit, sed nubes illa rorans in quâ fulget Iris, deciduis in plantas guttis, siccitatē ad fragrantiam juvat & excitat. Vnde post longas siccitates, modico impluente imbri, fragrantiora omnia, & violaria manē rorulenta, gratiū & latiū spirantia, etiam sine ullā iride, experimur.

Significatus Iridis, alij naturales sunt, alij ex Dei instituto. De prioribus, post Aristotelem omnes Iridem pluvias Aristot. signum faciunt. Iride enim apparente, aut pluvia cecidit, in cuius reliquijs jam pingitur Iris, aut casura est brevi. Nam sequi, aut anteire imbrems solet. Plinius tamen Arcus, Plin.lib.8. cùm sunt duplices, pluvias nuntiant; à pluvijs serenitatem non per- c. 36. inde certam. Nam vapor unus alteri jam delapo succedere, & alteram pluviam creare potest. Sol enim inter Iridem radians, aut pluvias humorem maturè resorbet, aut venti aliunde adducunt, aut guttae ipsæ in quibus post pluviam splendicat arcus, sufficiunt instaurandis imbris. Alibi Plin. I. 2. idem: Arcus frequentes, ne pluvios quidem, aut serenos dies cum c. 59. fide portendunt. Portendere tamen humorem, nivem, gran- dinem, fulmina, aliaque id genus, quæ cælum nubilo jacit missilia, graphicè enarrat Scriptura sacra Eccl. 43. Imperio Eccl. 43. suo acceleravit nivem, & accelerat cornucationes emittere iudicij sui. Et post multa: Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus, & super imbrems eius expavescat cor. Olim ideo & hodie

valgò creditur Iris bibere aquas , & materiam pluviarum  
in nubes attrahere.

Virgil.  
Seneca  
l. l. c. 6.

Plaut.

Ovid. I.  
Metam.

Gen. 9.

— Et bibit ingens Arcus —

*ut ait Virgilius noster , inquit Seneca , cùm adventat imber. Sed non easdem undecumque apparuit , minas affert. A Meridie ortus magnam vim aquarum vehet. Et ratione probabili firmat: Vinci enim non potuerunt valentissimo Sole, tantum est illus virium. Si circa Occasum refusit, rorabit, & leviter impluet. Si ab Ortu circa- ve surrexit, serena promittit. Quia fortasse spes est, vincen- dum adulto jam & validiore Sole, tenuem istum vaporem, qui ex oriente die destillare , & brachia arcus ad terram deducere incipit. Lepidè ad arcum , humorem pluviale sorbentem , allusit Palinurus apud Plautum , cùm anum quamdam incurvam, bibentem largius cerneret:*

— Ecce autem babit arcus : pluet.

Credo, hercle, hodie: —

Eodem adspexit ille ingeniosus:

*Nuntia Iunonis varios induita colores,*

*Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.*

Nuntia Iunonis, id est mediae illius & humentis aëris re- gionis, unde decidunt imbres. Hanc enim Poëtæ illi tene- briones in Iunone figurant, uti Iovem in æthere. Thau- mantias etiam appellatur Iris, quia reverè ēμφασις admirabilis: in quâ tot ingenia stupore defixa hærent, nec se ha- ctenus satis expediunt.

Divina etiam Iridis hæc significatio est: Non futurum amplius generale totius Orbis diluvium. Cùm obduxero nu- bibus calum, apparebit arcus meus in nubibus , & recordabor fæde- ris mei vobis cum, & cum omni animâ vivente qua carnem vegetat, & non erunt ultra aquæ diluvij ad delendam universam carnem. Alias quoque Iridis significationes mysticas in c. 4. Apoc. & 1. Ezechielis, Interpretes excogitant. Ut in purpureo Christi carnem intelligi, in viridi animam, in puniceo Di- vinitatem: & id genus plura piè commentantur. Falluntur deinde, qui ante diluvium Noë, negant visam in nubibus Iridem, Si enim nubes & Sol per 1656. à Mundi exordio

annos

annos fuerunt, necesse fuit aliquando Irides ( nisi Deo avertere cura fuerit ) generari. Fuerunt igitur ante diluvium arcus; sed nondum assumpti erant ad significationem pacti inter Deum & homines. Est quoque Iris signum naturale non secuturi mox ab aquis pluvialibus magni diluvij, quia non nisi Sole lucente apparere potest; tunc verò cælum tot nubibus grave esse non potest / alias Solem obscuraret) quot necessariè sunt, ut magna diluvia effundat.

## ARTICVLVS XVI.

*De Iride Lunari.*

**P**leraque hujus Iridis cum Solari conveniunt. Figuratur enim à radio Lunæ adversam nubem incidente, fiuntque cetera simillimis de caussis. Altitudinem quoque semidiometri parem Solari, instrumentis repartam Thimon asserit.

In duobus tamen maximè hic arcus ab altero discedit. Primum, quia rariùs evenit; deinde ferè est unicolor. Raritatis caussam Aristoteles in Lunam coniicit, quæ nisi plena, & lumine multo tumens, vires ad penetrandam & colorandam nubem, non habet. Plenilunio autem, occidente Sole, Luna surgit. Nec statim etiam, si quæ fortasse roscida ei opposita nubes sit, formare conspicuam in eâ Iridem nobis potest, durantibus unâ aut alterâ horâ, & lucem ejus debilem hebetantibus crepusculis vespertiniis.

Albertus tamen narrat, Lunâ nondum impletâ, & meridianâ à se multisq[ue] visum Lunarem arcum in Septentrione. *Nec erat Lunaplena*, inquit, *sed amphitrios* ( ἀμφικυρτος dicere voluit ) *hoc est*, *satis plus quam dimidia*, *aliquantulum deficiens à plenitudine*. Et erat Luna in Meridie ultra Zodiaccum in signo Capricorni, in principio illius signi, Sol autem in fine Tauri, circa initium Geminorum.

Americus autem Vespuccius, ille qui ingenti & inviden-

dâ felicitate alteri Orbi nomen dedit, inter admiranda,

Iridem Lunæ candicantem; in ipso noctis Meridie, à se vi-  
 sam ponit. Aristoteles tamen certe, quinquaginta & am-  
 plius annorum spatio, bis tantum in eam se incidisse scri-  
 bit. Vbi obiter insignitum quorundam errorem noto, qui  
 Aristotelem admodum adolescentem hæc scripsisse asseve-  
 rant. Si enim supra quinquaginta jam annos cælum, ad de-  
 prehendendas Irides lutiæ, inspicerat, profectò hexagenar-  
 io majorem cum hæc scripsit, fuisse oportuit. Nec enim  
 statim à ventre matris hæc cura & curiositas eum invasit.

Thimon.  
Snell.

Gem. lib. 2.  
c. 2. Cosmo  
crit.

Lucan. l. 4.

Thimon nihilominus intra tertium annum bis, & Snellius lib. de Cometâ 1618. biennio etiam toties visam à se narrant. Iridem, inquit Snellius, lunarem hoc continuo biennio visam memini. Anno 1617. mense Decembri circa plenilunium, & 1618. propriè Cal. Ianuarias à 5. ad 6. vespertinam, dum Hægam iter facerem, Iridem consimilem magnâ cum voluptate spectavi. Et Gemma noster ad Annum 1569. Iris expressa noctu horâ 12. visa est, Martij 12. calo sereno ac temperato, spirantibus Cauris. Stabat hæc diu suis perfectè coloribus insignita. Mirum hoc tamen quod coloribus suis perfectè insignitam fuisse dicat, cum Aristoteles Iridem lunarem unicolorē esse affirmet. Idque quia radij lunares non altè nubis opacitatem penetrant, sed in superficie ejus albente quadam & fractâ luce candescunt. Deinde color in Iride lunari purpureus & viridis candidus apparet comparatione tenebrarum noctis. Mentior, aut ad similes diei tenebras adspexit Poëta Hispanus, cum nigram describens tempestatem, Iridem Solis pænè unicolorē fuisse fingit.

*Hinc imperfecto complectitur æra gyro  
 Arcus, vix ullâ variatus luce colorem.  
 Oceanumque bibit, raptosq; ad nubila fluctus  
 Pertulit, & celo diffusum redditum equor.*

Quamquam & ad densitatem nubium, quæ radios Solis non satis profundè ad variandos colores admittunt, respicere etiam potuerit.

Sennert. in  
Epito.

Verum ne Gemmam nostrum altero colorata Iridis ex-  
 emplo destitutum existimat, Daniel Sennertus, Wittem-  
 bergensis

bergensis & famosus Medicus, An. 1599. mediâ æstate, post dira fulmina, & pluvias, deseviente jam nocturnâ tempestate, inter Septemtrionem & Ortum, insignem omnibus coloribus & solari planè æmulam, Lunæ Iridem vidisse memorat. Quin enim talis coloratio, etsi raro spectculo, evenire possit, nihil equidem addubito.

Est igitur lunaris Iris, ut semel finiam, Arcus plerumque unicolor, ortus in roscido vapore Lunæ opposito, ex refractione radiorum, & deinde reflexione ad oculum spectatoris. Quæ omnia in solarem cadent, si pro unicolore, tricolorem reponas.

## C A P V T I I.

*De Halo, sive Corona.*

**S**PLENDOREM illum qui coronare aliquando sidera majuscula apparet, multi Halo aut Halyfin, Apuleius Catenam, aliqui Armillam, alij Coronam, aut Aream vocant: quia areæ, sive terendis frugibus loca destinata fere sunt rotunda. inquit Seneca. Caussa materialis in quâ, eadem quæ Iridis, nubes rorulenta. Ex quâ, lumen astri vaporî impressum. Formalis, figura illa circularis, quâ astrum cingit. Finis, decor Universi, ventorum & imbrum significatio, laus Creatoris. Efficiens, Sol aut Luna, aut quantoque astrum aliud è grandiusculis. Apuleius de Mundo, sic eam finit: *Halyris est catena quedam luminis clarioris, per sideris ambitum in se revertens.* Sed modus generationis ejus in dubio grandi est, & pari cum eo quo Iridem jam statim disputavimus.

Sen. lib. 1.  
c. 2. Nat.

Apul.

## A R T I C V L V S I.

*Quis modus generationis Corona. Seneca, Albertus,  
M. Antonius rejecti.*

**S**eneca Philosophiâ nimis palpibili, sicut lapis in transquillum lacum injectus circulos quosdam facit; ita Solis Sen. lib. 1.  
c. 2. Nat. Lunæ,

beap

Lunæ , aut alius sideris radium nubem incurrere; eamque in orbes quosdam à centro in circumferentiam repellere docet. Sed hoc est, radium corpoream substantiam facere. Deinde , primo radij conjectu , angustior esset Corona, laxaretque se paullatim ejus ambitus, sicut in circulis aquarum fieri solet.

Albert.

Albertum miror tam propè à Senecā abesse. Putat enim radium astri perpendicularē , qui omnium fortissimus, in medio tenuare nubem, & retrudere circulariter in circumferentiam ; ut ibi coacervata & tanquam in materia densiori pleniū bibat lumen. Verūm , sic iterūm diduci, rarescente vapore, cerneremus Coronam. Secundò, radius Lunæ , quia imbecillus , tardè admodum vaporem sic appetire & dissolvere posset. Tertiò, Corona solaris, lunari semper longè amplior foret. Quartò fortissimè , quia alius spectator aliquanto à intervallo te dissitus , Coronam videt circa idem fidus , quæ tuam intersecat ; ergo non unum utriusque Coronæ centrum , non unus est radius perpendicularis , qui ad utrumque spectatorem pervenit. Vnde patet , totam Coronæ aream luce sideris perfusam esse, et si tu solum extremum ejus lumen candidantem adspicias. Prorsus sicut in Iride, spatium quod brachijs cingitur, colores etiam, et si eos non videoas, nou secùs ac ipsum arcus gyrum, habere diximus.

M. Ant.

M. Antonius de Dominis contendit , Coronam per meram sideris à vapore ceu speculo , reflexionem fieri: unde ait non lumen nubi infusum, sed ipsum quod in cælo est fidus, in Corona cerni. Existimatque à se Aristotelem stare, qui Halo suum non per *διακλίσιν refractionem*, sed per *ἀνάκλασιν reflexionem* maluit explicare.

Probat M. Antonius , quia refractio non nisi parva admodum, ob vaporis tenuitatem , in Coronā esse potest , & radij ab oppositis circuli guttis refracti versus perpendicularē , in tantā ferē post vaporem distantia , quanta est sideris à vapore , concurrerent. Cūm igitur spatium inter astrum & nubem infinito pene superet modicum illud quod

quod inter nubem & oculum est; clarum est, radios ab extremitatibus diametri Coronæ punctis, tam citè non posse in oculum concurrere. Itaque censet, radios à summâ tantum interni lateris gutterum superficie reflecti, & inde angulo incidentiæ pari in oculos decidere.

Dico tamen Primo: Radius astri in vapore subiecto necessariò ad perpendicularē refringitur. Ratio est manifesta, quia è medio rario in humorem densiorem incidit. Igitur prorsus, ut in Iride, oportet in singulis guttulis refractionem fieri. Vnde sicuti in fiscis illis exhalationum fumis non colorantur Irides, quia radios non refringunt, nec satis aggregant ad perpendicularē; ita etiam sidera nisi in circumfuso rorulento vapore, non coronantur.

Dico ergo Secundo: Corona, quemadmodum Iris, sit per refractionem simul & reflexionem. Vnde non tam sidus ipsum reflexè videmus, quām lumen ejus in vapore fractum ac multiplicatum, & deinde repercutsum ad oculos nostros. Id autem veri habet similitudinem vel ex solâ quam Corona cum Iride habet analogiā.

Sicut ergo in formanda Iride radij Solis tam procul intra oppositam nubem, per varias in singulis guttis refractiones penetrant, quo usque idoneum angulum invenerint, ex quo ad oculum spectantis reflecti circulariter possint; ita ad exprimendam in subiecta nube Coronam, Solis aut Lunæ radij tam procul vaporem obliquè pervadunt, donec etiam ad angulum tales perveniant, unde ad oculum qui infra nubem spectat, Coronā circulari reflectantur, in cuius centro videatur esse sidus illud, quod Coronā ambitur.

### ARTICVLVS II.

#### *Corona proprietates.*

**P**RIMA est, figura circularis: eo quod & qualibus undique angulis radij vaporis occurrentes reflectantur ad visum. Integer verò circulus est, non arcus tantum, sicut Iris; quia vapor nubis in quo Corona describitur,

Zzz

undi-

undique diffusus sub fidere, & satis latè expansus est, ut integrum circum perficere valeat.

Thimon.

Hoc autem merito mirandum est, quod Coronæ diameter semidiametro Iridis sit æqualis. Id enim Thimon experimento constare affirmat, afferitque Keplerus in Paralip. ad Vitellonem, cum ait, sidus 22<sup>1</sup>. gradibus semper à circumferentiâ Coronæ abesse. Ista enim est ejus semidiameter. Ergo solida diameter, erit graduum 45. quantam autem ex Maurolyco fecimus Iridis semidiametrum. Ego etiam Anno 1624. die 24. Martij, Coronæ lunaris tantam circiter diametrum inveni. Latitudo vero luminosæ Zonæ, spatium 5. graduum ferme obtinebat.

Causam proportionis istius qui redderet, nondum reperi. An, quia nubes in quâ pingitur Iris, longius distat à sidere, quam altera in quâ figuratur Corona? Quispam id putet; quia vapor coronatus inter sidus & oculum medius est, cum alter vapor Iride fulgens, è regione positus sit, oculo interposito inter ipsum & Solem aut Lunam. Videatur ergo Iris, quam Corona, longius removeri à sidere; & proinde ab hac caussâ conus illuminationis Iridis major & latior esse, quam Coronæ.

Sed hoc tamen falsitatis inde potest argui; quod in eadem nube Australes cernant quandoque Iridem, in quâ nos Coronam, qui post vaporem illum sumus, & habitamus ad Septemtrionem. Id enim aliquando fieri, docet Vitello. Ergo Iris tunc & Corona æquali ad Solem propinquitate sunt, cum in nube unâ appareant.

Vitell. lib.  
10. theor.  
69.

Thimon.

Adyerto tamen in primis, & mecum facit Thimon, non omnium Coronarū diametros, sicuti nec Iridum, esse pares. Nam quæ oculo viciniores, angustiores sunt. Quod etiam intelligi potest è Coronis lucernarum, quæ quo propinquiores sunt spectanti, eo breviori circello flamas candalarum circumligant. Hinc igitur liquet, non omnium universè Coronarum diametros, quarumlibet Iridum semidiametris esse æquales. In plerisque tamen justæ amplitudinis Iridibus & Coronis, fortassis est prope verum: quia rati-

dij qu-

dij nubem penetrantes, citius & ex breviori intervallo, post eam ad axem Coronæ & oculum spectantis concurrunt, quām ij qui in Iride ex adverso redeunt. Ideò fortè solūm, quia Coronæ vapor, et si valde elevatus per errorem nobis videatur, submissior tamen longè sit, quām sit distan-  
tia Iridis vulgaris ab oculo. Nam profectō demississimæ illæ nubium quæ Coronis pinguntur, solūm 500. passibus, & sāpe citrā, à terræ superficie absunt: cūm tamen justa Iridis distantia ad 1500. & ultrā passus extendatur. Con-  
fessum autem apud omnes est, Coronam eam angustioris circuli esse, cuius vapor vicinior est spectanti. Inde etiam colligi satis potest, Coronam sāpenumerō dependere in infimam aëris regionem, & satis profundē infra nubium stationem: quandoquidē Iris etiam ad terram usque brachia demittat, & eosque sat vaporis inveniat, in quo depinga-  
tur. Igitur & Corona quoque in toto spatio aëris ad terram usque, vaporem torulentum apprehendere potest, in quo figuretur.

Deinde cūm sidus coronatum, horizonti propinquum est, infimus Coronæ arcus necessariò in infimo & contin-  
guo terræ aëre depingitur, adeoque ab oculo spectantis terram contingere videtur.

Coronas etiam quasdam non circumcisè circulares esse, facile colliges ex ijs quæ de Iride diximus. Vbi enim va-  
por nubis non paris usquequa densitatis est, non est  
necessè ex pari in orbem undique intervallo radios qui  
nubem obliquè penetrant, in oculum inferiùs spectantem refl. &c.

Altera etiam Coronæ proprietas est, candor ille & uni-  
tas coloris, quo discernitur à solari Iride. Caussam hujus Vitell. lib.  
candoris istam meditatus est Vitello. Quod lumen Coronæ 10. theor.  
non sit umbrarum nigredini permixtum, quia radius deorsum re-  
fractus refuzit umbram projectam à corpore cui incidebat. Quia ta-  
men est modica, quia ut plurimū Corona videtur in vapore raro,  
leviter condensato. Irim autem colorari inquit, quia fit per reflec-  
tionem radiorum, umbras projectas penetrantium.

Verum non dubium, quin per multarum guttarum umbras, Coronarum etiam radij transeant. Nec solidum est istud discrimen; quod Irides reflexione, Coronæ refractione fiant. Nam utrobique mixtam refractioni reflexionem esse ostendimus. Radij ergo Coronarum à loco refractionis deorsum reflexi, in stillicidia plurima vaporum offendunt, quorum umbras deorsum secum quodammodo deducunt, & ijs se colorant.

Keplerus

Itaque existimo (& mecum lib. Paralip. in Vitell. Keplerus) Coronas omnes discoles esse, ut Irides solent. Lunares tamen & nocturnorum siderum Coronæ candidæ apparent, quia & imbecilli radio factæ, & in tenebris tantum, ut de Iride lunari ante dicebamus, se ostendunt. Solares vero Coronæ semper rubidæ, aut universis Iridum coloribus (nisi quantum diurnâ luce, de nigredine in paleorem diluitur) florere solent.

Cardan. lib.  
14. c. 70.  
Varicæ.

Talem se Anno 1528. Item cum Carolus Cæsar coronatus est, vidisse circa Solem narrat Cardanus. Et Plinius: Cernuntur, ait, plerumque circa Solis orbem, seu specie Corona, versicolores circuli: qualiter Augusto Cæsare in primâ iuventâ Vrbem intrante post obitum patris, ad nomen ingens capeſſendum. De

Plin. lib. 2.  
c. 28.

Senec. lib.  
3. q. 2. Nat.

quo eodem Seneca Memoria proditum est, quo die divus Augustus Vrbem, ex Apolloniâ reversus, intravit, circa Solem visum coloris varij circulum, qualis esse in arcu solet: hunc Græci Halo vocant, nos dicere Coronam apriſimè possumus.

Alcasar.

Ad hanc Coronam alluit Arcus triumphalis, inaugurationi Serenissimorum Principum Alberti & Isabellæ à Lovaniensibus nostris, Anno 1599. dicatus. De quo ad ista verba Apoc. 4. Iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinae, sic scribit Ludov. Alcasar. Iuvat hic, inquit, obiter referre, quod in Ducem Brabantie Chronico legitur, Alberto & Isabella Principibus Lovanij ante portam Bruxellensem scriptum in hanc speciem:

OCTAVIANI AVGUSTI IN VRBEM ADVENTV  
CORONA IRIDIS SPECIE CIRCA SOLEM APPARVIT,  
NOVÆ POTENTIAE AVSPICIVM  
NOVÆ PACIS HANC

HANC VOBIS O PRINCIPES NOSTRI

S. P. Q. LOVANIENSIS  
IN IPSO INGRESSV DEDICATNOVÆ POTENTIÆ  
NOVÆ PACIS AVSPICIVM.

SOL VOBIS AB HESPERIA FVLSIT,  
CIRCVM EVM ET AB EO CORONA  
PROVINCIIS VARIEGATA, IRIDIS SPECIE REFVLSIT.  
O FAUSTA FIRMAQUE ISTA SINT!  
ET TVILLE VTR VMQVE ORBEM,  
VOS ISTI NOSTRAM BELGICAM,  
SALVTARI LVCE PERFVNDITE,  
VITAM ET VIGOREM REDDITE,  
HEV BELLIS CIVILIBVS AMISSIONVM.

DEVS ET SVPERI VOTA NOSTRA AUDITE,  
VOS PRINCIPES OBSEQVIA ADMITTITE,  
QVÆ FIDELITER ET ÆTERNVM DEFERT

S. P. Q. VESTER LOVANIENSIS.

In quo I. Lipsij nostri agnosco ingenium & manum. Quæ inscriptio & amplæ tabulæ pictura hodieque in publica op-  
pidi Lovaniensis Curia asservatur.

Coronæ etiam lunares quandoque colorum varietate maculantur. Et Collegam hic in Philosophiâ nuper habui-  
mus, qui sancte adjurare paratus erat, visam à se talem. Raræ tamen sunt ejusmodi lunares Coronæ; veluti inso-  
lens etiam est, Lunæ Iridem multicoloram esse.

Hoc quoque curiosum, & meretur attentionem. Coro-  
nas inverso, ut secundarias Irides, ordine colorum depin-  
gi. Interior enim & astro vicinissimus color, puniceus &  
ardentissimus est, qui deinde declinat per viridem in pur-  
pureum. Ratio est, quia radius astri proximum vaporem  
robustior & plenior penetrat, languescitque deinde in vi-  
torem, & emoritur statim in purpuram. Quod vehemen-  
ter affirmat, quæcumque nuper asseruimus circa Iridis ge-  
nerationem, & colorationem.

Geminatur etiam quandoque Corona. Nam & nos du-  
plicem lunarem vidimus: & Dion narrat, ante Augusti, Dion. lib.  
Antonij, Lepidi Triumviratum, Coronâ triplici circum- 45.  
cinctum

cinctum apparuisse Solem. Vnde liquet, non omnium param esse diametrum. Longior enim est amplioris Coronæ diameter, quam alterius ei concentricæ.

Modus autem geminandi, facile ex doctrina duplicata Iridis intelligitur. Hoc tamen discrimine. Quod secunda Corona non videatur (aut certe rarissime) ex primæ Coronæ à nube remotiori reflexione generari; sicut Iris secundaria resultat ex reflexione primariæ. Cum enim exterior primæ Coronæ zona purpurea, & coloris maximè imbecilli sit, vix vires habere potest, ut nubem ulteriore aliquo colore tingat. Vnde utraque Corona videtur radijs à Sole aut Lunâ immediate emicantibus conformari. Et hinc, si utraque coloribus Iridis sit variegata, ordinem colorum non invertent, sed tam in secunda quam prima, primus & vicinissimus astro color, puniceus, deinde viridis, & ultimus purpureus erit.

In Coronæ proprietatibus, motus etiam ejus apparentes possunt recenseri.

Primum, ab Ortu ad Occasum incedere videtur Corona, in comitatu videlicet ipsius astri. Non tamen, quia idem Corona lumen, locum in nube mutet, sed quia alia & alia Corona similis priori, in occidentaliore vaporis parte perpetuò generatur. Verò tamen etiam motu moveri versus Occasum poterit, si nubes & oculus spectantis in illam quoque cum astro partem se promoteant proportionali passu. Quod etiam Iridi evenire potest, si ad adscensum v. g. Solis, opposita in Occidente nubes, paullatim & proportionaliter cum Iride sua descenderet.

Motu deinde oculi, in Ortum, Occasum, Austrum, & Septemtrionem Coronæ videbitur transferri, licet revera non transferatur, sed oculus aliam & aliam Coronam perpetuò videat. Nam centrum Coronæ mutatur, quandoquidem per aliud & aliud nubis punctum, Solem aut Lunam in medio Coronæ aspiciat. Si verò mutetur Coronæ centrum, circumferentiam quoque aliam esse oportet. Tota igitur Coronæ etiam area, & partes quoque nubis quæ

quæ ultra Coronæ circumferentiam sunt, plenæ lumine infinitarum Coronarum sunt, quarum una ex hoc, altera ex altero in terræ superficie situ tantum visibilis est, ut de Iride nuper dicebamus.

## ARTICVLVS III.

*Tempus, & præsagia Coronarum.*

**C**Orona lunaris, Iris solaris frequentior est. Multum enim & affatim luminis, in densâ & opacâ nube, generatio Iridis flagitat; modicum verò tenui vapore leviter inspersum, quale est Lunæ lumen, ad Coronæ generationem sufficit.

Non omnium tamen siderum (etsi Seneca id affirmet) Coronæ sunt, sed Planetarum dumtaxat, & fixarum insig-  
nitiæ magnitudinis, ut Vitello post Aristotelem, circum  
spectiùs. Sæpè etiam Corona solaris est, quando non appa-  
ret: quia non oculo averso, ut Iris, sed in Solem flagran-  
tissimi nidi intento, & ideo in majori luce, caligante  
adspici debet. Vere autem & autumno, ut Irides, oppenso  
sideribus tunc tenui nubium velo, solentiores sunt Coronæ.

Seneca lib.  
I. c. 10. Nat.  
Vitell. lib.  
10. theor.  
68. Aristor.

Imbrem aut humorem præsagiunt, non tamen tam cer-  
tâ quâm Irides fide. Insigniter, & Aristoteli nostro con-  
sentienter Seneca. Cùm ab unâ parte Corona cesserunt, illinc Senec. lib.  
ventus est, unde finduntur. Si ruptæ pluribus locis sunt, tempestas I. c. 2. Nat.  
fit. Nam si ab unâ parte intercisa est, appetet inde aëra incumbere, &  
ideo illa regio ventum dabit. Cùm undique concerpta & lacerata est,  
manifestum est, à pluribus partibus in illam impetum fieri, & inqui-  
etum aëra hinc atque illinc assilire. Si verò facies universa subsedit,  
& equaliter dilapsa sit, significatur aëris quies, otium, & tranqui-  
litas. Et hinc etiam, non nisi tranquillo ferè integra aut diu  
apparet. Nube tamen unâ transcurrente, altera paris fili &  
contextu vaporis succedanea, præcedentiâ nubis Coronam  
ali quando rapit,

ARTI-

LIBERTI FROMONDI  
ARTICVLVS IV.

*De lucernarum Coronis.*

**C**oronæ lucernarum cognatæ sideralia sunt, aut tenuæ quoddam earum rudimentum; ideoque eas, ut laciniam, sideralibus attexemus.

Seneca.  
Aristot.

Thimon.  
lib. 3. q. 25.  
Meteor.

In balneis autem maximè, inquit Seneca, & vapido aëre apparent lucernariæ istæ Coronæ.

Ambigunt tamen quidam, an reverà candelarum flammulas cingant, an oculos ludificant, & in ipsis tantum, non in aëre circumfuso sint. Nam Thimon in Iride oculi, sive extremo limbo foraminis vueæ tunicæ hærere solum, multis argumentis contendit.

Prob. primò: Quia lippi, & quisquis recens à somno, facilius eas vident. Igitur nascuntur potius ex refractione luminis lucernarum in oculis lipporum undis & rorantibus, aut vigilantium statim à somno.

Secundo: Non pyramidales, inquit, qualis est flamma candelæ aut lucernæ, sed circulares apparent; id est, figuræ rotundaæ foraminis vueæ tunicæ.

Tertiò: Non fugiunt propinquantem, nec sequuntur abeuntem, ut Irides, & siderum Coronæ solent.

Quartò: In aëre etiam rarissimo quandoque figurari videmus.

Denique: Tales in Sole versicolores Coronæ videbuntur, si quis radium foraminis obscurati conclavis illapsum, oculo excipiat.

Aristot.

Hæc tamen Aristotelem mihi non excutient, qui has corollas Iridibus & Coronis sideralibus assimilat. Igitur ut istæ in nube, sic illæ in aëre circa lucernas vapido hærent. Abhinc enim est, ut balnearum præcipue aér, & Austro, sive alio humecto vento spirante, promptissimè ista coronamenta induat. Si verò aliqua, vel à flammæ fuligine, vel aliunde, veluti nebula lucem opacans accesserit, tum etiam colorari Coronas illas lucernarum videbis. Id enim experimenterat,

rimenta, & Aristoteles adfirmant. Etsi purpureæ, inquit, Aristoteles, sæpius totæ appareant. Viror tamen quidam, ait Vicomer-<sup>Vicom.</sup> catus, quandoque etiam purpuram istam variat. Ex quo intelligitur, leviter lapsum Lud. Alcasar Apocal. cap. 4. ubi negat, igneâ luce colores Iridis posse repræsentari. Nam lux lucernarum ignea sane est.

Sed quid argumentis Thimonis reponimus?

De Primo fateor, in humore lippientium oculorum, aut cum patent statim à somno refractionem specierum visibilium aliquam fieri: sed alia etiam sit ab aëre flammarum lucernæ cingente, qui & fuligine flammæ, & aurâ humente pinguescit. Secundum argumentum aliquanto plus molestiæ habet. Si tamen conficeret quod intendit, probaret etiam Coronas, quæ circa Lunam semiplenam, aut corniculantem formantur, non oportere perfectè orbiculares esse. Deinde si Coronæ lucernarum tantum sunt in oculis spectantium, quare in summo apice, ubi flamma se in fuligines exonerat, apparent fractæ, & non exactè circulares, qualis est Iris tunicæ vueæ?

Itaque dico Coronas lucernarum pyramidales non esse, sed ad utrumque flammæ latus protuberare & intumescere, quia lux flammæ utrimque radiare ad aliquam distantiam debet, antequam idoneum angulum inventiat, unde ab aëre illo humido & pingui ad oculos reflectantur.

Ad Tertium. Verum est, non fugit, si accedas, Corona lucernæ sed evanescit. Non enim ab aëre longè ultra lucernam, sed juxta eam sit reflexio. Deinde, ex propinquo flammæ lumen pupillam oculi nimis inalbat, & Coronæ colorem in fundo oculi diluit. Aliud in Iride & Coronâ siderum est. Nam tota profunditas nubis infinitas reflexiones habet, & innumeris (quarum aliquæ propinquiores, aliæ remotiores sunt) pingitur Coronis & Iridibus.

De Quarto. Nego in aëre tenuissimo posse ejusmodi Coronas apparere. Non enim satis habet opacitatis. Alias semper omnes omnino lucernarum flammulas Coronis

comantes cerneremus.

Vltimò concedo lumen Solis in oculorum tunicis & humoribus refractum, in vucæ limbo ad Coronæ modum interdum apparere quasi esset in aëre. Ut fortasse quando post adspectum diu Solem, aciem ad locum obscurum vertimus. Circulum enim quemdam in tenebris illis fulgentem cernimus, qui paullatim in viorem relangescit, deinde purpurascit, ac denique evanescit, fugitivo omni lumine, ut lib. de Insomnijs egregie explicat Themistius. Non nego igitur lumen oculi aliquando videri. Nam id etiam accidit, quoties pugno in oculum impasto, scintillæ quædam exiliunt. Spiritus enim animales impetu dissilientes, tunicas & humores oculorum tenuiter saltē collustrant. Ita etiam Tiberij Cæsaris oculi, Plinio & Tranquillo teste, sine ullo etiam frictu, cum primū à somno patuissent, omnia, ut in luce, cernebant, hebescebantque deinde paullatim. Ferunt enim Tiberio Cæsari, nec alijs genitorum mortalium, ait Plinius, fuisse naturam, ut expergefactus noctu paullisper, haud alio modo quam luce clara contueretur omnia, paullatim tenebris feso obducentibus.

Attamen, ut Plinium mendacem faciat, qui nulli alteri genitorum mortalium eam naturam fuisse ait, sibi id quoque juveni accidisse narrat Cardanus, & in cerebri calorem, spirituumque tenuitatem refert. Id ipsum etiam de se Cælius Rhodiginus. Et alijs evenisse audio, cum vesperi benè madidi cubitum ivissent, præsertim paullò largiori fervidi Hispanici potu.

### C A P V T I I I .

#### De Parelijs, Paraselenis, & Virgis.



ARELIVS, sive, ut mavult Seneca, Parelium, tale dicitur, quia παρά ήλιον juxta Solem apparet. Ridicula enim est, & ex ignorantia linguæ Græcæ nata etymologia Thimonis & Vitellonis. Parelius, inquiunt, quasi par, sive æqualis Soli. Die solū cernitur: noctu vero,

Para-

Themist.

Plin. lib.  
11. c. 37.

Cardan. lib.  
8. c. 43.

Variet.

Paraselene, hoc est, iuxta Lunam: vocantque aliqui nocturnum Solem, Plinio teste. Iuxta alia sidera, quia minus illuminata & brevis apparentis disci sunt, nulli tamenquam visantur Parelii. Res enim parva elonginquo speculo videri non potest, distantiam apparentem ejus magnitudinem consumente. Aut certe, si quandoque, appareant puncta tantum luminum esse videntur, ab alijs cæli luminibus non distinguenda.

Parelius finiri potest, Imago Solis, iuxta eum in nube visa. Paraselene vero imago Lunæ est, in nube iuxta ipsam apprens. Virgæ, sive bacilli, lumen Solis sunt per nubem sparsum, & radiorum divisione figuram exprimens virgatum. Sed de singulis aliquid amplius cogitandum.

## ARTICVLVS I.

*An Parelius sit lumen Solis nubi impressum, an Sol ipse visus in speculo.*

**S**Vppono, quod alibi probandum, cum aliquid videmus in speculo, non idolum tantum aliquod speculo inherens, sed rem ipsam, quæ extra est, reflexè videri.

Keplerus refractione radij Solis in vapore nubis Parelium formari credit. Colores deinde suos habere, etiamsi Paralip. non cernantur. Quod ergo cernimus, lumen erit Solis, nubi infusum, & in imaginem Solis figuratum. Id tamen nullâ demonstratione aut ratione probat. Videtur tamen his posse.

Primùm: Diximus antè, Iridem & Coronam, lumen esse sideris nubi inhærens, non ipsum reflexè conspectum sidus. Cur ergo Parelios jam excipiamus? Hinc fortasse apud Senecam quidam non pessime Parelium definierit, *Nubem rotundam, & splendidam, similēisque Soli.* Sen. lib. 1. c. II. Nat. Seneca.

Secundò: Parelius nihil habet ardoris, ait Seneca, sed hebes & languidus est. Non est ergo Sol, flagrantis & acerrime lucis, sed lumen ejus fractum & obtusum in profunditate nubis.

Aaaa 2 Ter-

Seneca lib.  
l.c. II.

Tertiò: Speculum præsertim magnum & continuum, nullum est in nubibus; cum nubes aëre nostro leviores & rariores sint, ut Lib. I. & Lib. V. c. V. docuimus. Frustrâ igitur sic argutatur Seneca: *Numquis nostrum miratur, si Solis effigiem in aliquo fonte, aut placido lacu vidit? Non, ut puto. At qui tam in sublimi facies eius potest, quam inter nos, reddi. si modò idonea est materia, quæ reddat.* Clausula hæc salubriter & conspectè adjecta est, *Si modò idonea est materia.* Verùm idoneam istam materiam quærimus, & nequedum invenimus. Nam densitas & lævor aquæ fontis aut placidi lacūs, à raritate & inæqualitate nubis longè dissidet & abludit.

Quarto: Radius Solis in nubis dorsum conjectus, non in oculum infernè spectantem, sed sursum in cælum resiliret.

Vellem sententiam istam retinere possem. Sed multa sunt, quæ mihi ferè eam extorquere videntur.

In primis, non esse nubem rotundam, luce infusa tanquam colore suo albantem, quod putasse cum Galilæo videtur Guiduccius, cognosci potest ex motu, quo pari passu, ab Ortu ad Occasum, ad latus Solis incedit. Nam nubes non solent sic certa lege sidus aliquod comitari. Si dicas, radios Solis priùs in nube frangi, deinde reflecti, ut in Coronâ & Iride diximus; figura ipsa Parelij rotunda & planè solaris te refellit. Non enim figura sideris aut candelæ luminantis, in lumine sparso expressa apparere solet. Nam lumen figuram subjecti sui potius induit; sicut floccos nubium eā formâ colorari cernimus, quâ materia ibi suspensa fuit.

Deinde, Cardanus tres simul Soles à se visos, tam coruscantes narrat, ut Solem verum à duobus Parelijs discernere non valeret. Denique hæc esse videtur sententia Aristotelis: quam veriorem existimare oportet, si utcumque repellam, aut declinare possim ea quæ antè objecimus.

Ad Primum ergo Resp. Exempla Iridis & Coronæ non posse hoc adduci. Nam Iris & Corona non exprimunt ad vivum imaginem Solis, sicut Parelius; ut facile appareat, pon tantum cerni in ipsis Solem, sed lumen Solis nubi illapsum,

Cardan.  
lib. 4.  
Subtil.

Aristot.

illapsum, & certo angulo reflexum in oculos.

Pro Secundo, Cardanum jam audisti, cuius experientia Senecam confutat. Sed stylo proprio loquentem adhuc audire juvat. Vidi, inquit, Anno 1532. die undecimā April. horā diei secundā tres Soles tam conspicuos ac splendidos Venetijs, ut intueri nequaquam possent. Qui ad Solis levam habebatur, valde lucidior maior, ac splendidior visus est versus Austrum. Qui verò ad dextram, Boream versus spectabat, minor, nec tam splendens. Hunc tamen in fine magis perseverantem auctumq; animadvertis; sic tamen ut ambo simul desisse visi sint. Utique maximos radios per calum & ad terram extendebat, colore omnium ad rubedinem declinante. Hac à me visa plusquam 2000. testibus spectantibus. Nam Aedis B. Marci aream compleverant cives. Credit autem ipse, hoc Triumviratus Caroli V. Imp. Henrici II. Gallorum Regis, & Solymanni Turcarum Sultani, præfagium fuisse. Ex hac igitur historia, præter alia, istud nacti sumus, Parelios non semper adeo fractā & hebeti luce, quam vult Seneca, apparere.

Tertium me præcipue urit. Nego tamen, vaporem nubium continuum ( qualem hic Aristoteles exigit ) non posse sic radios sustinere, ut instar magni speculi, imaginem Solis in oculos reflectat. Potest enim revera ( et si res ista primā fronte incredibilis appareat ) si opacitas aliqua a tergo se speculo obijciat. Quam etiam opacitatem distantia speculi ab oculo valde adjuvat. Tenebre enim majores & atriores apparent è remoto. Sic sàpè manè aut vesperi Lovaniensia prata, continuâ veluti aquâ inundata, ut exundasse Dilia noster credi possit, adspicimus. Etiamen vapor quidam tantum est, qui pratorum herbis incubat, & quidem tam tenuis, ut si accedas, videre eum amplius non possis. Quia tamen terræ opacitatem infra se habet, lumen Solis è longinquō, specie carentis marmoris reflectit. Famosus etiam ille Aristotelis Antipheron seipsum in aëre vicino, tanquam in speculo videbat; et si imaginationi & melancholia ejus Thimon hoc tribuat.

Vitello tamen certe de quodam familiari suo narrat,

cum

cum nocte quadam, post aliquot præcedentium noctium vigilias, paludi ad equitaret, vidisse alium quemdam, uti putabat, in aëre illo vaporuento equiteni, qui cum ipso, tamquam ad nutum omnem compositus, moveretur aut staret. Euanuisse vero statim, ac in aërem puriore venit. Ego etiam profecto in vitris fenestrarum mearum pellucidissimis, nocte, candelâ in cubiculo accensâ, facile me conspicor; quia opponuntur solum ab exteriori fenestrarum parte tenebrae nocturni aëris. Ad Parelj verò reflexionem R. P. Franciscus Resta existimat, necessarium esse, fateri nubes esse crassiores & densiores aëre nostro. Et nimia simplicitas est, inquit, de hoc dubitare. Sed profecto non tantum dubito, sed oppositum jam ante Lib. V. c. V. adversus eum & D. Licetum, qui sententiam nostram vellicaverant, demonstrasse me ex principijs Archimedis autumo. Et nimia sane potius simplicitas est, errore vulgi sic sinere se abduci, ut nubes aëre nostro in quo respiramus, densiores esse credas, quia plus obscuri & opaci habent. Cur non enim eadē varā & vulgari imaginatione dicimus, suber aut levissimum pumicem aqua limpidissimi fontis in qua natat, densorem esse? Et tamen non est profecto, si subtilissimo Archimedi, & certis Philosophiae Staticæ principijs credere volumus. Reflexionem verò aliquam ab aëre & æthere illo serenissimo, qui supra stationem nubium est, fieri ad nos posse, patet ex cœrulo aut viridi illo colore ( quem Philosophi quidam nimis simplices Firmamenti, aut Empyrei colorem esse dicunt ) diebus serenis & enubilatis apparente. Nihil enim aliud est, quam lumen Solis per vastæ illius altitudinis spatia hebetatum, ideoque in cœruleum aut viride tenebrescens, & inde versus nos ad terram usque reflectum.

Attamen, fateor Pareljos non à tali purissimo aëre, sed à vapore denso ad nos reflecti. Sed ille vapor non natat & pendet in aëre se rariore, sed superficie terræ incubat, manè surgente, aut vesperi occidente Sole. Ideo enim in ortu vel occasu Solis ferè apparent Parelj, rarissime in meridie, aut postquam Sol ultra 30. gradum ascendit supra hori-

Franc.

Reita lib.

2. tract. 5.

Meteor.

horizontem; hoc est, ubi ascensu suo vaporess horizontem obsonentes superavit, in quibus radij ejus sensibilem patiuntur refractionem.

Vel certe, si vapor in quo Parelius exprimitur, sit in media aëris regione, & densior aëre insimæ regionis, ibi profectò ne momento quidem temporis hærebit, sed molliter desideret & per aërem inferiorem defluet. Nec tamen ideo necesse est illicò dissolvi Parelium, sed alias superior vapor in locum ejus fortasse defluet, qui eandem Solis imaginem excipiat. Sic enim in rivo aut flumine molliter & trauquille labente, tanquam in speculo homo toto die se videt, etsi unda undæ succedat, & diversa sint specula quæ imaginem hominis successivè sibi quodammodo tradant.

Ad Quartum, nego radium Solis à vapore sursum reflecti, sed per eum transire, ac in eo refrangi: nec unicâ solitum refractione, qua faciem suam dilatat / sicut quotidie facit dum supra horizontem emergit / sed unâ adhuc aut alterâ in vapore distanti, ex quo ad oculum reflectitur, ideoque ibi extra locum suum & geminus appetet; veluti nummus qui in fundo poculi aquâ pleni jacet, videtur à loco suo avulsus natare in summa aquæ superficie.

Hinc facile intelligitur, non semper eâdem propinquitate Parelium versari juxta Solem, sed propriùs aut longinquiùs, prout se habuerit vapor, in quo primùm fit refractione, & deinde reflexio ad oculum. Adeò ut ante necem Vitellij Imp. Parelius in Occasu apparuerit, cùm Sol verus esset in Ortu, ut Art. sequenti narrabit nobis Dion.

### ARTICVLVS II.

*Tempus, locus, numerus, proprietates Pareliorum.*

**T**empus quo magis frequentantur Parelii, nubilo gravidum est; si tamen Sol validus sit radijs suis vaporem penetrare. Vnde ver & autumnus ad Pareliorum generationem magis sunt idonei. Sole etiam ortivo, aut occiduo

occiduo plures, meridiano rarissimi. Sub finem enim & initium noctis roscidus & humectus aër reflexiones & refractiones adjuvat. Sed nullum frequentius, quam orientem Solem comitantur.

In omni Climate videntur, sed in Zonis frigidis maximum, si credimus Olae. Causa est in aëre ibi vapore nivali rorulento, & quia Sol non altè scandit, sed perpetuò ferè circumcurrit horizontem eorum qui sub Polis habitant. Ad latus Solis Australis aut Septentrionale dispositos adspici, magis est solenne: quia vaporem qui ante ipsum versus Occasum est, adventu suo Sol sèpè dissipat, aut nimis rarefacit; vaporem vero orientalem qui retrò est, statim deserit, inquit Aristoteles. Duos tamen, quorum unus

Olaus.  
Aristot.  
Roth.lib.  
Anni 1585.

præcedebat, alter sequebatur orientem Solem, vidit Ro-  
de Cometa thmannus Lantgravij Hassiae Mathematicus. Anno 1586.  
die Ian. 2. conspeximus, inquit, hic Cassellis Parelia. Apparebat

primum, antequam Sol oriretur, in aurora ( erat enim cœlum circa horizontem clarum ) columnæ erectæ ad amissim in circulo verticali, latitudine ubique tantæ quanta apparebat diameter Solis. Incendium alicuius pagi ultra montes dixisses, si vidisses. Erat enim prorsus specie ignea, tamquam flamma: nisi quod ubique eiusdem esset spissitudinis. Paulò post oriebatur in eâ columnâ idolum Solis, non aliter, atque si esset Sol verus. Vix digitus de hoc idolo adhuc sub horizonte latebat, cum in eadem columnâ oriretur Sol verus.

Quem eodem modo subsequebatur aliud idolum. Permanebat q̄d columnæ hæc, cum tribus suis continuè sese contingentibus Solibus, semper erecta in circulo verticali, ut quadrans ostendebat. Erant q̄d Soles hi eiusdem forme, nisi quod intermedius & verus reliquos fulgore antecelleret: durabantq̄ cum eâ columnâ ad quadrantem fere hora, donec nubes nigra à vertice supervenient, eos obtegeret. Plerumque prope Solem, sed interdum etiam sat longè ab eo avulsi apparent Parelij. Ut ille quem in pro-

Dion.lib.65

digis necis Cætaris Vitellij ponit Dion. In Oriente atque Occidente, inquit, duo Soles visi sunt eodem tempore. Quorum hic erat imbecillus & pallidus, ille potens & clarus erat. Sol ergo verus & fulgidus, in Ortu erat, & Vespasianum ab Ortu ad

Impe-

Imperium surgentem significabat; Parelius hebes & pallidus in Occasu, cadentis Vitellij imago fuit.

Numerus, ferè binarius est. Vnde sèpè tres Soles visos legimus in prodigijs; id est, Solem cum binis Parelijs. Tot ante pugnam Philippensem, tot M. Antonij & Dolabella Consulatu, ut narrat Plinius, & alia exempla ibidem c. 32.  
habes. Tres itidem Cardanus, tres Rothmannus, tres nos Lovanij Anno 1619. mense Mayo in ipso Solis exortu vidimus. Plures simul quam tres vissi, ait Plinius, ad hoc avi numerum produntur. Alias tamen, quid impedit, inquit Seneca, quò minus tot sint, quot nubes fuerint apta ad exhibendam effigiem Solis? Et sanè Anno 1525. cùm apud Papiam à Gallis male pugnatum, & Franciscus Rex in manus Hispanorum venit, Poloniæ Regem sex vidisse Soles, Vicomercatus mihi auctor. Audite etiam nostrum Gemmam. Rex Polo-nie, inquit, vidit sex Soles. Is autem qui ad Occidentem stabat, atrà fuligine squalidus apparebat. Neque multò post Gallia Rex Franciscus in acie captus est. Addit etiam præfigia & significations. Nec uspiam spectari solent einsmodi, quin nova fædera consuantur, aut conspirationes clandestinae, ut quemquam fastigio suo deiciant, vel dolo, vel vi & malis artibus comprehendant. Multum in illis præter numerum, & figuram, ipsa positio ad predictionis certitudinem facit. An ad latus, an sub legitimo Sole locentur, an Ortum, an Occasum versus, an Septemtrionem, Austrum, &c. Sed hæc tam scrupulosa situs observatio aliud vanitatis miscere potest. Etsi tamen Deus effectibus istis naturalibus ad aliquod prognosticon sèpe utatur; sicut totum Mundum creavit pro hominibus. Attamen Parelij talia non significant naturaliter: magis tempestates, & pluvias, ut etiam Parafelene, ac Virgæ. Magnæ enim navigantiumibus formidini sunt Parelij, & eos Aratus, Aristoteles, certique in signis satis evidentibus habent turbandi aëris. Parelius Australis certiorem imbris, ait Aristoteles (quia nubes ab ea parte, humoris pleniores ac fecundiores sunt) habet significationem. Sèpè etiam rutili, aut ferruginei, pro opacitate, & qualitate vaporis refringentis, visuntur. Coro-

Sen. lib. I.  
c. 13. Nat.

Arat.  
Aristot.

## ARTICVLVS III.

De Paraselene, &amp; Virgis.

**P**Araselene figuratur juxta Lunam, uti Parelius juxta Solem: ideoque jam dicta hic non itero. *Luna trina*, *Cn. Domitio*, *C. Fannio Coss.* apparuere, inquit Plinius: quos plerique appellaverunt *Soles nocturnos*. Vix extra Plenilunium visuntur. Alio enim tempore non sat luminis in facie Lunæ est, ut alteram Lunam effigiet. Pertinaciùs aliquantò quam Parelij, durant Paraselene; quia nubes radio lunari imbecilliori icta non tam citè dispergitur. Perdere tamen & alio modo nubes imaginem Lunæ potest; si continuitatem amittat & guttatum dissolvatur. In tali enim jam vapore particulatim conciso, ut antè docuimus, imago tota non potest apparere.

**M. Anton.** De Virgis, M. Antonius de Dominis negat scire se quid sint. Hanc profectò impressionem, inquit, si ego aliquando vidissim, eam aliquo pacto conarer explicare. Cum autem mibi ignorum sit, quòd sint Virgæ, ipsarum Propter quid non possum indagare. Afferit tamen, per reflexionem non apparere: quia non possunt ad unum punctum in quo est oculus, coire plures radij reflexi, nisi circulariter dispositi. Cuinsmodi figurans non habent Virgæ. Sunt enim oblongæ, & linearis formæ. Aristoteles tamen reflexionis filias esse docet, & figuram illam in speculorum longitudines & angustias refert. Et Seneca, Virgæ nihil aliud quam imperfecti arcus sunt. Nam facies quidem illis est picta, sed nihil curvati habent, in rectum iacent. Fiant autem iuxta Solem ferè in nube humidâ, & iam se spargente. Itaque idem est in illis qui in arcu color, tantum figura mutatur; quia nubium quoque, in quibus extenduntur, alia est.

**Sen. lib. I.  
§ II. Nat.** Fateor tamen alium modum generationis Virgarum magis solentem esse. De hoc iterum Senecâ: Aliud quoque Virgarum genus apparet, cum radij per angusta foramina nubium tenues, intenti distantesque inter se diriguntur: & ipsi signa imbrum

brium sunt. Tales sunt illæ Virgæ, quas sœpissimè Sole surgentे, aut cadente, per rariora quædam nubium intervalla in terram usque traiici, & perpetuò dilatari ac dispergi cernimus; cùm agricolæ nostri dicunt, aquam & alimenta nubium à Sole trahi. Hæ etiam, nisi fallor, Virgæ sive bacilli sunt, quos Vitello vulgo *funes tentorij* appellari Vitell. lib. dicit. Inæqualitas autem vaporis, cujus partes aliquæ rario-<sup>10. theor. 1.</sup>res, alia densiores sunt, eas sic laciniatim dispergit: veluti etiam à variâ opacitate variè & maculosissimè colorantur. Colores verò isti gratius in aquâ & reflexè, quam in cælo directè, inquit Aristoteles, spectantur. Reflexio enim omnis debilitat radium, coloresque nimis aliæs incitatos paulisper reprimit, aut frangit etiam in viorem vel purpuram. Hinc enim nubes omnes in aquâ atriores apparent.

Hoc denique addo: Radios illos & *φάσματα*, quæ Sole occaso, imò extinctâ omni crepusculorum luce, & altâ quandoque nocte, in hemisphærium revibrantur, posse Virgis ( etsi plerique Trabes vocent ) bellè accenseri. Imaginem enim reverà potius virgarum, linearum divisione, mentiuntur: videnturque esse radij in vapore aliquo circa horizontem fracti, & deinde in hemisphærium nostrum reflexi; licet in altissimo æthere, & inter ipsos Planetas ponat eos Rothmannus.

## C A P V T I V.

*De Spectris & Phasmatibus.*

Vltæ, præter jam dictas, in nubibus tintu-  
ræ, tam interdiu quam internoctu visun-  
tur, quas Aristoteles *φάσματα* seu spectra Aristot.  
appellat. Ex variâ autem radij astrorum,  
Solis præsertim ac Lunæ, aut exhalatio-  
num etiam incensarum, cum opaco nu-  
bium mixturâ nascentur. Umbræ etenim,  
veluti nigredo quædam, candori luminis confusæ, medios

infinitâ varietate colores repræsentant. Hinc etiam in cervicibus columbarum, & pennis pavonum, ex irradiatione Solis, & miscelâ umbrarum quæ inflexione colli & certarum plumarum objectu resultant, aurum, crocum, purpuram, smaragdum, & omnium colorum amoenitates est cernere. Quò adspexit Nero Cæsar, versu illo quem difertissimum laudat Præceptor ejus Seneca:

*Sen. lib. 1.  
c. 5. Nat.*

*Colla Cytheriacæ splendent agitata columbe.*

*M. Anton.*

Hos tamen colores plumis infixos esse censer M. Antonius. Ego, inquit, permanentes esse, & puto, & sum expertus. Videntur tamen emphatici, id est apparentes, quia non sunt in totâ plumâ, sed in eius particulis: quæ interdum apparent, interdum ex mutatione situs & positurae occultantur, exhibita versus oculum alia particula non colorata. Sed frustrâ. Non enim sparsim tantum & guttatum per plumarum discreta quædam puncta, purpureæ, aut virides, sed in totis columbarum cervicibus tales apparent. Undæ etiam maris, nunc virent, nunc flavent, aut purpurascunt (nullo tamen haud dubiè vero colore in aqua hærente) prout Solem & à vicino fluctu umbram exceperint. Hinc Poëta vetus:

*Turius.*

*Spiritus Eurorum virides cùm purpurat undas.*

*Ennius.*

Item alter:

*Verrunt exemplo placide mare marmore flavo.*

*Ceruleum spumat sale confertâ rate pulsum.*

Vbi cùm flavus color viridi & albo mixtus sit, pulcherrimè profus spumas virentis maris, flavo marmore appellavit, inquit Pha-

*Agell. l. 2. vorinus apud Agellum.*

*p. 16.*

Hoc igitur lucis & opaci temperamento, κασπαντα five hiatus, puteos, sepulchra,

*Lueret.*

*lib. 6.*

*Speluncasque velut saxis pendentibus stractas*

*Cernimus, variasq; brutorū aut hominū formas in nubibus.*

Pars nubis quæ plurimum nigri five opaci habet, profundior, quæ verò majori lumine floret, propinquior apparet; nisi intellectus sensum corrigat. Si profunditas ingens cum longitudine apparuerit, vocabitur chasma five hiatus: si rotunda profunditas, erit puteus; & ita in ceteris. Vnde omnia

omnia ad hanc imaginem definiens: Puteus phantaſticus, est meteorum in nube apparenſ, quod ob variam mixturam lu- minis cum vaporis opaco, veri putei ſimilitudinem habet, &c.

Verūm, ut jam primulū animadverto, Franc. Aguil. <sup>1. I. Prop. 1.</sup>  
nius, in amoenissimo & doctissimo Optico opere, colores  
iſtos nubium non phantaſticos, ſed veros, & à lumine di-  
ſtinctos eſſe affirmat; quia proprio corpori iſſunt, nempe exhalationi,  
que permixta vaporī unā cum lumine transparent. In Iride  
tamen, Halone, Parelys, ſimilibusque luminis infractionibus, inquit  
poſteā, omnino phantaſticos ſeu apparenſes eſſe oportet, cū nulli  
proprio ſubiecto iſſint. Neque enim nubi aut aëri connaturales  
ſunt, ſed penduli in medio diaphano oberrant, cēu extemporañae  
quædam, uti verè ſunt, lucis affectiones, ex certa quadam radiorum  
infractione pregnatae. Sed profecto rubedo illa aut purpura  
nubium, non eſt exhalationi naturalis: aliás enim maculo-  
ſiſſimam, & diverſiſſimis, imò contrarijs coloribus imbu-  
tam eſſe oporteret exhalationem, cū in omnes colores  
mutari videamus. Igitur colores illi omnes ſunt lumen ex-  
halationum & vaporum opaco infuſum; nec Sol eos oſten-  
dit tantū, ſed facit. Irides etiam vaporī reverā inhærent,  
etiamſi non à naturā, ſed ab agente extero reſultent.

Discerniculum tamen aliquod inter Irides, & crepuscu-  
lorum phaſmatumque lumen, antē à me etiam confeſſum  
eſt. Nam Irides & Coronæ non ex quolibet, ſed ex certo  
tantū ac determinato oculi ac nubium ſitu cerni poſtu-  
lant; phaſmata vero ex quovis poſſunt. Ratio eſt, quia Iri-  
des & Coronæ ex primarij radij reflexione phaſmata ex  
lumine nubem perfundente & in omnem partem, iſtar  
proprij & fixi coloris, radiante generantur. Vnde quidam  
veteres radium qui nubi ſic infunditur eamque tingit, non  
radium reflexum, aut refractum, ſed incorporatum appellant.

Non placet etiam in Aguilonio, quod jam ſtatim diſpli-  
cebat in M. Antonio; colores illos cervicum columbi-  
num, genitivos eſſe & naturales iſtarum plumarum. Vti  
nec, acrem naturā eſſe cæruleum. Nam quod in ſublimi

& innubi æthere cernimus, non nativus aëris color, sed lumen molle est sublustrī & semidigesto permistum opaco.

## ARTICVLVS I.

*An equites discurrere, & acies in nubibus belli simulachra  
cire naturaliter valeant.*

**I**ntra aëria Phasmata recenseri solet Eques discurrens. Et in peculiari difficultate est hoc meteorum, ob motum quo sæpè non vagè tantum hac illac palatur, sed composito passu aggredi aut impetu videtur affilire hostem. Interdum etiam acies totæ concurrunt,

*Vt sæpè ingenti bello cum longa cohortes  
Explicit legio, & campo stetit agmen aperto.  
Directaque acies, ac late fluctuat omnis  
Aere renidenti tellus.*

Nec raro etiam adduntur clamores, ac morantes  
*Maritus ille aris runci canor increpat, & vox  
Auditur fraxios sonitus imitata tubarum.*

Georg. 4.

Innumera talium spectrorum exempla sunt. ut ante bellum civile Marij & Syllæ, ante excidium Ierosolymorum: sed plurima in Germaniâ ab 1524. ad 1548. visa sunt, inquit Philippus Melanchthon.

Sed audi ex Snellio, quid non ita pridem viderint Hollandi. *T tormenta, tubas, sclopotorum displosiones, castrorum metationes, atque alia id genus quam plurima, Id Amortisforty, inquit, & alibi visum: & quidem haud aliè supra ipsa culmina tectorum. Quin adeo, addit, priusquam classis Hispanica nostro & Britannico Oceano, instar Xerxis cuiusdam, vincla & virgas injectura videatur, Anno 1588. memini me admodum puerum à notis & familiaribus, qui etiamnum in vivis sunt, audivisse, visas Amstelodami in ipso aëre, paullo ante Solis occasum, navium conflictus maritimos, impressiones hostiles, hos viatos illos viatores abire tamquam in puerili naumachia: idque unius aut alterius hora & spatio, multis hominum millibus inspectantibus. Qualia deinde aëria spectra in primo illo belli Germanici fumo, cuius ignis adhuc ardet*

Melancht.  
lib. 2.

Meteor.

Snell. de  
Cometâ  
anni 1618.

det, circa Annum 1618. non sunt visa? Qualia non novissimè Anno 1629. cùm Silvaducis à Batavis est expugnata?

Denique Sacra Historia lib. 2. cap. 5. Machabæorum, Contigit, inquit, per universam Ierosolymorum civitatem videri Macha-diebus quadraginta, per aëra equites discurrentes, auratas stolas bæorum. habentes, & hastas, quasi cohortes armatas, & cursus equorum per ordines digestos, & congresiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisq; generis loricatorum. Historiæ veritate sic constitutâ,

Dico, Nubes in formas equorum aut hominum naturali casu posse componi. Ventis etiam ex adverso reflantibus, speciem concurrentium acierum præberi ac intermicantibus fulgetris & fulminibus, tormentorum nostrorum coruscationes & tonitrua imitari nihil vetat. Multa tamen in Historijs illis jam narrata sunt, quæ nullus, nisi mentis egens, casui tribuat. Haste enim illæ & cohortes armatae, & cursus equorum per ordines digesti, congresiones, & scutorum motus, districti gladij, ac telorum iactus, Geniorum aëriorum manum & ingenium aperte indicant. Quod etiam significatio ipsa satis asserit. Nam prælia & cædes, certo & respondentे semper pœnè eventu, præfigiunt. Igitur ex destinato, & à Deo Clementissimo Patre nostro præludia sunt, qui pericula ad terrorem nostrum & cæli respectum, antequam nos involvant, ostentat.

Sed videte tamen Athorum nostrorum h̄ic ingenium, quibus una Philosophia & cura est, Deum & omnem creatam Intelligentiam ē medio tollere. Viderunt enim acies istas aërias, compositos & repetitos assultus, telorum jactus, & id genus sexcenta non posse sine maxima hebetudine in casum & fortuitam nubium agitationem referri. Quid igitur faciant? Ajunt veras militum pugnantium acies esse, quæ non tamen in nubibus, sed in superficie terræ, ad Trasymenum aut Cannas, assultent & collidantur; videri autem in vapore nubium tanquam in speculo. Quousque humana[m] mentem à ratione alienat impietas!

Primo:

Primò: Militem, nisi planè Polyphemum, & quales illi

Virgil.

Aeneid. 3.

*Aetnæi fratres calo capita alta ferentes,*

in nube directe hinc, nemo tam Lynceus est, ut adspicere  
valeat; quantò minus reflexè, & debilitatè specie tanto  
speculi intervallo?

Secundò: Vento ( ut solet cùm acies illæ concurrunt )  
spirante, nubes turbant & confundunt suas superficies, ne  
speculi officium & vicem valeant obire.

Tertio: Non imagines aliquæ, sed ipsæ nubes manife-  
stò mutant locum, & concurrunt ac ariant inter se.

Quartò: Sæpè hæc simulachra visuntur, nullo cente-  
nis aliquot circum milliaribus commisso prælio. Nam fu-  
turonum præliorum, non præsentium significationem  
habent. Bonus vero F. Thomas Campanella aliud ex bile  
sua atra imaginatus est. Aërem nempe & nubes animatas  
esse, & tanquam milites pennatos, aut corvos vel ciconias  
vera & cruenta prælia præliari. O melancholica & veteris  
ægroti somnia?

## ARTICVLVS II.

*De Aurora, & Crepusculo.*

P Hasmatibus nubium adnumerari & crepuscula de-  
bent. Crepusculum autem generaliter est lux illa cre-  
pera seu dubia ( inde enim crepusculo nomen ) quæ manè  
ante Solis ortum nubes circa horizontem colorat, & ves-  
peri post occasum. Crepusculum tamen matutinum no-  
men proprium Auroræ habet, generale crepusculi relictum  
est vespertino. De quo eleganter Poëta.

*Iamq; dies exactus erat, tempusq;ne subibat,  
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem;  
Sed cum luce tamen dubie confinia noctis.*

Ovid. lib.

4. Met.

Creperum autem valuisse Antiquis, quod dubium, patet vel  
de isto Lucretij versu,

Lucret. 15.

*Exæquataq;ne sunt creperi certamina belli.*

Porrò subjectum Aurora & crepusculi, non solæ nubes  
sunt, sed omnes etiam halitus supremæ regionis, qui plus-  
culum

culum opacitatis ad colorandum & reflectendum lumen Solis habent. Imò altissimi illi halitus, primi sunt qui manè induunt Auroram, & ultimi vesperi exuunt crepusculum. Quò enim altius à terrà elevantur, eò citius manè radius terræ limbum distingens, eos attingit, & vesperi seriùs, quām nubes inferiores, deserit. Hinc Optici è crepusculis, excelsissimorum qui terrà exhalantur spiritum altitudinem metiuntur. Huic autem fini describunt circulum quemdam infra horizontem, horizonti parallelum seu undique æquidistantem, quem crepuscularem vocant: quia, cùm manè Sol usque ad ipsum ascendit, prima Aurora inalbescere incipit; cùm vesperi eousque descendit, novissima crepusculi lampas, & universæ diei antecedentis reliquiæ extinguntur.

Ptolemæus, Gemma noster, & plures, 18. gradibus, Alhazen 19. Tycho 17. Rothmannus 24. infra horizontem, circulum istum deprimunt. Diversitas ex eo venit, quòd aliqui citius defecisse crepuscula, alij diutiùs in noctem manisse quandoque animadverterint. Quod vaporibus circa horizontem hærentibus, & radios Solis serà etiam aliquando nocte, in hemisphærium nostrum reflectentibus impunitari potest; aut certè quibusdam terræ halitibus, qui in insolentem ætheris sublimitatem interdum scandunt. Vnde Auctores etiam paullisper variant in finiendâ maximâ Aurora & crepusculorum altitudine. Posidonius 50. miliaribus, Alhazen, Vitello, & ferè passim, 52. Nonius, quem Clavius sequitur, 43. Stevinus noster 41. Bodinus, nimis deparcè, 3. Cardanus prodigè 772. à terræ superficie elevant. Qui excesserunt, circulum in terrâ maximum, sive terræ ambitum nimis amplum in suam demonstrationem assumperunt: quod Alhazenum & Vitellonem fecisse, Camillus Gloriosus notat, ideoque potius assentitur Steveno. Gemma autem noster in Supplemento Astrolabij patris, sic terminos ponit Aurora & crepusculi Lovaniensis. Solsticio æstivo, horâ primâ noctis & 36. minuto Aurora emergere incipit; horâ decimâ vespertinâ & 24. minur. crepusculum evanescit. Solstitium Brumale horâ 6. manè

& 4. minut. primam lucem ostendit; horā 5. vesperi & 56. minut. novissimam extinguit. Vtique æquinoctio horā 4. & totidem minutis Aurora fores pandit; Vesper horā 7. & minut. 56. crepusculum claudit.

Auroræ & crepusculorum varius & amoenissimus color; sed mirabilior & jucundior Aurora: tum comparatione noctis jam fugientis, tum quia plures vapores nocte coacti, horizontem & infimum aëra obsident, qui radio Solis primum icti, fluctuare, laxari, dispergi incipiunt; & nunc purpureos, nunc virides, puniceos, aut croceos colores, prout opacitas compressior, aut solutior fuerit, repræsentant. Hinc Auroram alij purpuream nominant.

Ovid. I.  
Metam.

Virgil ius

ecce vigil nitido patefecit ab Orta  
Purpureas Aurorafores, & plena rosarum  
Atria. — Alij croceam.  
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

A similitudine etiam flagrantium & punicantium in pudore genarum, Nævius Auroram pudicolorem nominavit. Ad istam surgentis Aurora amœnitatem respexit nobilis ille artifex Ioannellus Trezzus, quando Philippo II. Hispaniarum Monachæ suam & Mechanicorum conditionem Regiæ, propter tria, potiorem esse dixit: Quod haberent amicos; quod audirent veritatem; quod mane surgentes viderent Auroram. Reges autem, inquietabat, non amicos, sed adulatores habent; veritatem non audiunt; & manè in multam lucem dormiunt.

Sed quare vapores & halitus nubium, inquires, non ita interdiu & meridiano Sol, sicut in Aurora & crepusculo colorantur? Caussa una esse videtur, quod Sol hemisphærio nostro jam illatus, pluribus radijs & ampliori lumine, nubium opacitatem dissolvat; unde albæ magis apparent, quam purpureæ. Altera, quod etsi radius Solis nubes totas non penetret & inalbet, reliqua tamen diei circumfusi lux tenuem vaporis purpuram offuscat. Sic enim dies tinturas etiam siderum (ut Martis, aut Arcturi ruborem) in candorem & reliquam cæli faciem digerit.

*Et iam Pleias hebet, flexi iam plaustra Bootæ  
In faciem puri redeunt languentia cæli.*

Lucan. I. 2.

Quod inde probari potest : quia ubi Sol jam primū supra horizontem totus emersit , Aurora statim purpuram & pudorem in pallorem mutat , & si nubilo purgata dies fuerit , omnia ab horizonte ad Meridianum carent .

Tertia cauſa est , quia lux Auroræ per majorem longitudinem vaporum rorulentorum circa terram hærentium , ab horizonte ad nos traiicitur . Vnde umbras & magnam colorationis partē à medio rapit . Hæc etiam ratio est , cur Sol in ortu suo rubicundior , quèm Meridie appareat . Quia , inquam radius terræ superficiē deradens , longam rorantium guttularum aciem pererrat , in quibus sæpe offensus & refractus , umbrisque innumeris implicitus , tandem coloratus ad nos pervenit . E Meridie autem radius nec per tot , aut tam densos vapores ad nos demittitur ; ut proinde pauciores umbras colligat , nec tam sæpè refringatur . Vmbræ verò quæ pertinaciū ei in hæserunt , plenā illā & abundante diei luce consumuntur . Et hīc etiam Libelli nostri labor . In quo , si quid à recto abivit , à me detortum est , recta verò ab eo sunt , qui <sup>Psal. 93.</sup> docet hominem scientiam . Totum igitur istud ei redde , mihi ne hilum . Non autemasperā solū & spinosā viā , sed etiam per istas scientiarū naturalium amoēnitates , ceu flores quosdam , & virentes semitas ad Deum nostrum ire possumus ; imo debemus . Alias tempus & vitam , inter meliora & cælestibus ac æternis propiora ducendam , perdidimus . Quid enim putatis ? Angelos , & beatas illas mentes , in bonis tantūm supernaturalibus & summis , laudare Creatorem ? Etiam in naturalibus istis & infimis faciunt . Imitemur ergo . Vbiique enim Magnus & Sapientissimus Opifex sui posuit admirationē , & retia tetendit , quibus nos ad se rapiat & in cælum . Per istos etiam oculos , clamat D. Eucherius , in futurum cupidi- <sup>D. Eucher.</sup> tate magnâ , ex parte rapt amur , si admirationē quam ex Mundi con- <sup>Epist. ad Valer.</sup> templatione capimus , retorqueamus in ipsum tantæ machinae Aucto- rem . Aut si cogitemus , quantus in posterum splendor lucis posse lu- minibus occurrere , cum se nunc tantus insinuet ; quam magnifica ful- gebit perpetuis forma rebus , cum sit nunc tam speciosa perituris .

# INDEX CAPITVM

E T

## ARTICVLORVM

### LIBRI I.

#### De Meteoris in genere.

- CAP. I. Quid, & quotuplex meteorum. Pag. 1  
CAP. II. De loco generationis meteorum. 3  
ART. I. De supremæ regionis aëris quantitate ibid.  
ART. II. De quantitate mediæ, & infimæ regionis. 8  
ART. III. De figura regionum aëris. 10  
ART. IV. Qualitates regionum aëris. 12  
ART. V. Quomodo radius Solis directus non impedit nubium in mediâ regione concretiōnem. 16  
ART. VI. An superior aëris regio raptu cœli circumducatur. 20  
ART. VII. Quousque regiones aëris purgandæ extremo conflagrationis igne. 22  
CAP. III. De causâ materiali meteororum. 27  
ART. I. An ex terræ substantiâ etiam resolvi possint exhalationes. ibid.  
ART. II. An vapor & exhalatio specie differant ab elementis gravibus, quibus extrahuntur. 33  
CAP. IV. De causâ efficiente meteororum. 35  
ART. I. Georgius Agricola &c

Lydiatus nituntur ignem subterraneum facere principem auctorem vaporum & exhalationum. ibid.

- ART. II. Defenditur Aristoteles, Agricola & Lydiatus rei ciuntur. 37  
ART. III. D. Io. Baptistæ Mori ni de caussa elevate vapores & exhalationes, nova opinio. 46

### LIBRI II.

#### De Meteoris ignitis.

- CAP. I. Materia & forma ignitorum. 53  
CAP. II. De meteoris ignitis infime regionis. 55  
ART. I. De Igne fatuo ibid.  
ART. II. De Castore, Polluce, Helenâ. 58  
ART. III. De Igne lambente. 60  
CAP. III. De meteoris ignitis mediæ regionis. 64  
ART. I. De Dracone, & Stellâ cadente. ibid.  
ART. II. Quis modus generatio nis fulminis. 68  
ART. III. Dæmones non esse, ut plurimum, caussas fulminum: adversus Io. Bodinum. 71  
ART. IV. Defulgure & coruscatione. 76  
ART. V. Fulminus divisio. 78  
ART. VI. De admirandis effectis fulminum. 79  
ART.

# INDEX CAPITVM

- ART. VII.** De lapide fulmineo. 83  
**ART. VIII.** Quæ res fulmini ob-  
obnoxiae, aut ab eo tutæ. ibid.  
**ART. IX.** Causæ tontrui, Ana-  
xagoræ, Senecæ, Paracelsi, Bo-  
dini, rejectæ. 87  
**ART. X.** Peripatetica & vera cau-  
sa efficiens tontrui. 90  
**ART. XI.** Cur demum post corus-  
cationem fulminis, tronitru  
audiamus. 93  
**ART. XII.** De effectibus tontrui.  
95  
**ART. XIII.** Tempus, & signa ful-  
minum, ac tontrui. 97  
**ART. XIV.** Tormentorum nostro-  
rum, & fulminum comparati-  
o. 99  
**CAP. IV.** De procellis. 105  
**ART. I.** Quæ causæ procellarum.  
ibid.  
**ART. II.** Procellarum effectus.  
106  
**ART. III.** Præfigia procellarum,  
& tempestatum. 107  
**CAP. V.** De meteoris supremæ  
regionis aëris. 112  
**ART. I.** De Caprâ, Trabe, Pyra-  
mide, &c. 113  
**ART.** An columnam ignis quæ  
annos 40. Israelitas per defer-  
tim duxit, meteoris igneis ac-  
censeamus. 117  
**ART. III.** De Galaxiâ. 122
- LIBRI III.**
- De Cometis.
- CAP. I.** De loco generationis  
Cometarum. v29  
**ART. I.** Cometæ quidam cælestes  
sunt, ex minimâ quorumdam  
parallaxi. ibid.  
**ART. II.** Argumentum paralla-
- xeos infringere conantur Sca-  
liger, Ciaramontius, Galilæus  
& alij. 172
- ART. III.** Ex ortu & occasu Co-  
metarum colligi, quosdam sal-  
tem supremam aëris regionem  
longè excedere. 138
- ART. IV.** An Aristoteles Come-  
tas cælestes, & novitia in cælo  
astra, quandoque gigni existi-  
maverit. 144
- ART. V.** Cometas aliquos, sublun-  
ares esse. 149
- CAP. II.** De materiâ Cometa-  
rum. 153
- ART. I.** Materiam sublunarum  
Cometarum esse terræ & aquæ  
halitus. ibid.
- ART. II.** An nulli Cometæ igne  
ardeant, sed omnes luce Solis  
aut siderū tantum splendeat. 156
- ART. III.** Cometæ cælestes, sidera  
non sunt ex illis Mundo coëvis.  
Adversus Chaldæos, Senecam,  
Cardanum Fracastorium. 169
- ART. IV.** Nec Cometas esse plu-  
rium stellarum se in unam con-  
glomerantium cœtus. 163
- ART. V.** Non omnium cælestium  
Cometarum materiam esse ter-  
restres halitus. 168
- ART. VI.** Neque cælestium Co-  
metarum materiam, esse par-  
tem fluidi ætheris in nodum  
contractam & addensatam. 173
- ART. VII.** Cometarum cælestium  
materiam è sideribus fortè ex-  
halari. 180
- ART. VIII.** Quomodo è halibus  
cælestibus concinnandi ætherei  
Cometæ. 187
- CAP. III.** De causâ formalí effi-  
ciente, finali Cometarum. 189

# ET ARTICVLORVM.

ART. I. An Cometæ aliquid præfigiant, & quomodo.	190	plerum.	236
CAP. IV. De proprietatibus Cometarum.	198	ART. V. Ventos gravitate suâ in terram defluere, ut torrentes & flumina per alueos.	ibid.
ART. I. Caussa barbarum & vilorum in Cometis.	199	CAP. III. De caussâ formali Ventorum.	242
ART. II. In quâ materiâ lux illa caudæ Cometarum sustentetur.	204	CAP. IV. De caussâ finali Ventorum.	243
ART. II. Caussa curvaturæ caudæ in Cometis.	207	CAP. V. De numero Ventorum.	245
ART. IV. De motu Cometarum.	215	ART. I. Quot, & quibus nominibus recensiti venti.	ibid.
ART. Quo tempore anni plures Comete.	247	ART. II. Quomodo Indices ventorum describendi.	247

## LIBRI IV.

### De Ventis.

CAP. I. De caussâ materiali Ventorum.	221	ART. I. Tempus Etesiarum.	254
ART. I. Materiam, venti non esse aërem.	ibid.	ART. II. Caussa efficiens Etesiarum.	256
ART. II. Halitum, venti materiam esse.	223	CAP. VI. De Ventis Provinciis, Apogeis, & Auris.	258
CAP. II. De caussâ efficiente Ventorum.	224	CAP. VII. De proprietatibus Ventorum.	260
ART. I. Rarefactionem, aut condensationem, caussam efficientem ventorum omnium non esse. Adversus Vitruvium, & Io. Bapt. Benedictum.	ibid.	ART. I. Ventorum Septemtrionalium qualitates.	261
ART. II. Motum venti non propriè fieri repulso exhalationis à nubibus, ut plerique existimant.	227	ART. II. Ventorum Meridionalium qualitates.	268
ART. III. Angeli non sunt ventorum ordinariorum Æoli. Adversus Bodinum, & quosdam alios.	230	ART. III. Ventorum Orientaliū qualitates.	275
ART. IV. Caussam efficientem motū ventorum, non esse terræ pulmones. Adversus Ke-		ART. IV. Ventorum Occidentaliū proprietates.	278
		CAP. IX. De terræ motu.	281
		ART. I. Quæ caussa efficiens terræ motūs.	ibid.
		ART. II. Species terræ motūs.	288
		ART. III. Quæ loca obnoxia terræ motibus.	289
		ART. IV. De magnitudine, & duratione terræ motūs.	294
		ART. V. Quæ anni tempora maxime	

# INDEX C A P I T V M

- ximè sentiunt terræ motus. 298
- A R T . VI.** Quæ signa antecedentia terræ motūs. 301
- A R T . VII.** Effectus terræ motūs. 303
- A R T . VIII.** Comparatio Cuniculorum nostrorum militarium cum terræ motu. 311
- L I B R I V.**
- De Meteoris aqueis.
- C A P . I.** De Mari 315
- A R T . I.** Quæ origo, & quanta magnitudo maris. 317
- A R T . II.** An terræ & mari idem sit centrum. 322
- A R T . III.** De Salledine maris. 329
- A R T . IV.** Ceteræ aquæ marinæ qualitates, & effectus. 336
- A R T . V.** De motu æquationis maris. 343
- A R T . VI.** De libratione, & raptu maris. 346
- A R T . VII.** Historia marini æstus. 353
- A R T . VIII.** Sententiæ aliquot belliores, de caussâ efficiente marini æstus, rejectæ. 358
- A R T . IX.** Luna, princeps caussâ marini æstus. Sol tamen etiam in partem aliquam venit. 367
- A R T . X.** Quâ virtute Luna æstus moveat. 372
- A R T . XI.** Quæ virtus occidente Lunâ æstus apud nos faciat. 381
- C A P . II.** De Fontibus. 388
- A R T . I.** Vnde materiâ fontium 390
- A R T . II.** Quæ caussa aquam fontium ad scaturigines pellat. Malè à Bodino, Conimbricens-
- sibus. Scaligero, Valesio assig-  
natum. 393
- A R T . III.** Vera caussa quæ aquam fontanam deducit ad scatu-  
ringinem. 398
- A R T . IV.** Vnde calidi fontes qua-  
litatem illam habent? 404
- A R T . V.** Vnde frigidi medicati  
qualitatē illam traxerunt. 408
- C A P . III.** De Fluminibus. 420
- A R T . I.** De fluminum alueis. ibid.
- A R T . II.** Quâ de caussâ Nilus,  
Niger, Melas, Argenteus, alijs  
que fluvij sic exundant? 414
- A R T . III.** Quænam aquarum in  
usu laudatissimæ. 419
- A R T . IV.** Quid censemus de va-  
rijs miraculis aquarum, quæ à  
Scriptoribus passim aut spar-  
sim jactantur. 423
- C A P . IV.** De R ore, Pruinâ, Mel-  
le, Mannâ. 427
- A R T . I.** Quæ caussâ Roris. ibid.
- A R T . II.** Effectus Roris. 430
- A R T . III.** Pruinæ caussæ, & effe-  
ctus. 433
- A R T . IV.** De filis illis quæ D.  
Virginis appellantur. 434
- A R T . V.** De Melle, ibid.
- A R T . VI.** De Mannâ. 437
- A R T . VII.** De Saccharo. 439
- C A P . V.** De Nube. 440
- A R T . I.** Quæ caussa nubes in me-  
diâ aëris regione suspendat. 441
- A R T . II.** Frustrâ Licetus doctri-  
nam præcedentem vellicat. 444
- A R T . III.** Figura nubium circu-  
laris est. Adversus Cardanum.  
451
- A R T . IV.** De nive, & caussis ejus-  
453
- A R T . V.** Effectus nivis. 457
- C A P . VI.** De Pluviâ. 462
- A R T .

# ET ARTICVLORVM.

<b>ART. I.</b> Quid pluvia, & quotuplex.	ibid.	<b>ART. IX.</b> Modus generationis secundæ Iridis, Alberti, Scaligeri, Vicomercati reiicitur.	519
<b>ART. II.</b> Quām altè aquā pluvia penetrat in terram.	465	<b>ART. X.</b> Nec Maurolycus, aut M. Antonius, in secundarię Iridis explicatione satis placent.	523
<b>ART. III.</b> De pluvijs prodigiis.		<b>ART. XI.</b> Secundariam Iridem reflexione primarię conformari.	525
468		<b>ART. XII.</b> An Iris ultra geminam, & quo colorum ordine apparere possit.	529
<b>ART. IV.</b> De ranarum plaviā.	473	<b>ART. XIII.</b> De varijs Iridis motibus.	532
<b>ART. V.</b> De Diluvijs.	475	<b>ART. XIV.</b> Locus & tempus Iridis.	534
<b>CAP. VII.</b> De Nebulā.	478	<b>ART. XV.</b> Effectus & significatio Iridis.	390
<b>ART. I.</b> Quid nebula.	ibid.	<b>ART. XVI.</b> De Iride lunari.	541
<b>ART. II.</b> Proprietates quædam nebulae.	480	<b>CAP. II.</b> De Halo, sive Coronā.	
<b>CAP. VIII.</b> De Grandine.	483	<b>ART. I.</b> Quis modus generationis Coronæ. Seneca, Albertus, M. Antonius, reiecti.	ibid.
<b>ART. I.</b> Quid grando, & ejus caussæ.	ibid.	<b>ART. II.</b> Coronæ proprietates.	545
		<b>ART. III.</b> Tempus, & præfigia Coronarum.	551
<b>LIBRI VI.</b>		<b>ART. IV.</b> De lucernarum Coronis.	552
<b>De Meteoris apparentibus.</b>		<b>CAP. III.</b> De Parelijs, Paraselenis, & Virgis.	
<b>CAP. I.</b> De Iride solari.	487	<b>ART. I.</b> An Parelius lumen Solis nubi impressum sit, an Sol ipse visus in speculo.	562
<b>ART. I.</b> Variæ Iridum historiæ.		<b>CAP. IV.</b> De Spectris & Phasmatibus.	563
ibid.		<b>ART. I.</b> An equites discurrere, & acies in nubibus belli simulachri cire naturaliter valeant,	
<b>ART. II.</b> An Iris reflexione radiorum Solis, an refractione fiat.	461	566	
<b>ART. III.</b> Cur Iris circularis, aduersus Posidonium, Senecam, Plinium, Bodinum, & alios.		<b>ART. II.</b> De Aurorâ & Crepusculo.	568
396		IN-	
<b>ART. IV.</b> An centrum Solis, oculi, Iridis, oporteat semper in eamdem lineam rectam incidere.	502		
<b>ART. V.</b> An Iris videri possit major semicirculari.	506		
<b>ART. VI.</b> De Iridis altitudine.	509		
<b>ART. VII.</b> Caussæ maculose colorationis Iridis. Adversus Albertum, Scaligerum, Cardanum, Maurolycum, Vicomercatum, & alios.	512		
<b>ART. VIII.</b> Quis numerus colorum in Iride.	517		

# INDEX RERVM MEMORABILIVM

## AER.

- A** Er non exigit naturā suā densitatem. 175  
Aer inumbratus unde refrigeretur. 429  
Cur aer sub auroram gelidior & densior quam reliqua parte noctis. 428. 429  
Regio aeris quotuplex, & partes ejus explicatae. 3  
Suprema aeris regio ad ipsum firmamenti fornicem excurrit. 3  
Totus aer inter planetas, item pars ejus magna infra lunam spiritu calido scater & inferuerit. 4  
Suprema meteororum regio a secundo & quinquagesimo milliari a terrā, deorsum infra altissimorum montium cacuminia descendit. 5. & seq.  
Deorsum terminatur circa quartum a terrā milliare. 7  
Vnde calida & sicca. 12  
Media regio humida est & frigida a vaporibus aquæ & exhalationibus terræ ibi pendulis. 13  
Convexa superficies media regonis quatuor circiter milliibus Italicis abest a superficie terræ. 8  
Concava superficies ejus 500: circiter passibus sive dimidio milliari Italico a terrā distat. 9.
- Infima regio omnes qualitates primas vicissim recipit. 13  
Cur ibi aestate quam hyeme calor flagrator. 14  
Profunditas ejus dimidijs solum est milliaris. 9  
Vbi sursum finiatur. 10  
Concava superficies infimæ regionis est talis figuræ qualis convexa globi terræ & aquæ. 10  
Convexa superficies est figuræ ovalis. 10. 11  
Convexa superficies media regonis est etiam figuræ ovalis 12  
Superior aeris regio raptu celi circumducitur. Difficultas quæ est in motu illo intelligendo. 20  
Causæ variae rejectæ, quibus vera subiicitur. 21. & seq.  
Quousque regiones aeris purgabuntur igne illo quo in fine ardebit mundus. 22. 23

## AFRICVS.

- Africi effectus & violentia in Belgio. 279

## ANGLIA.

- Raro sentit fulmina. 97

## ANTIPHERON

- Quomodo in aere ut speculo se viderit. 557

## APES

- Quousque ad mellificationem ex Dddd alveari

# INDEX RERUM.

- alveari avolent. 437  
**A Q V A**  
 Aquarium divisio. 315  
 Totum aquæ corpus esse minus terrâ quomodo probetur. 319  
 Quâ vi aqua per pannum, calcem, panem partim immersum ascendet in siccum & suspensam extra humorem. 395. 396  
 Quenam aquæ saluberrimæ. 419  
 Pluvialis an salubris. 419  
 Nivalis & glacialis unde insalubres. 420  
 Raritas aquæ unde exploretur. 420. & seq.  
 Quid de varijs aquarum miraculis censemus. 423. & seq.  
 An detur aqua fontana, quæ senes ad juventutem revocet. 424  
**A Q V I L O**  
 Non ubique serenus & siccus. 262  
 In cæde lignorum observatur. 262  
 Unde salubris. 263  
 Quâ vi adurit & conglaciat. 266  
 Quas nokas per accidens causat. 265  
**ARISTOTLES**  
 Quomodo obierit. 357  
 An Alexandri necem cum Antipatro machinatus. 425  
 An ejus sint quæ de Iride philosophatur. 509  
**ARTERIA**  
 Sani hominis quoties unius horæ spatio micet. 93  
**A S T R A**  
 Medicea, Borbonia. 163  
**A V R O R A.**  
 Qua hora manè apparere incipit. 569  
 Unde varietas illa jucunda colorum; 570

## A V S T E R

- Cur calidus & humidus. 268 & seq.  
 Ejus effectus. 270 & seq.  
 Flante eo facilior venatio. 272  
 Cur eo flante homines passim morosiores sunt. 270  
 Cur specialiter spiritus Dei. 270  
 Cur noctu Auster, interdiu Aquilo sit vehementior. 274  
 Cur vulgo fulminator dicitur. 273

## B

### B E L G I V M

- Halinitro & materiâ fulminum non caret. 42  
 Aliquoties motum fuit. 292  
 An aggeratione Oceani pro parte surrexerit. 291  
 Cur Neder-landt, & Pays-bas appellatur. 326  
 An verè Cardanus dixerit omnia in Belgio esse elementa. 339  
 Belgæ cur minus salaces Hispanis, Italis, & Meridionalibus populis. 263

### B O M B A R D Æ

- Quando & à quo repertæ 99

## C

### C A L O R

- Cur in æstate major quam alio anno tempore. 14. & seq.

### C A N I S.

- Astro flante melius & certius vestigat feras. 272

### C A P R A S A L T A N S

- Quid sit. 113  
 Saltus ejus potest esse verus, item apparens tantum. 113

### C A S T O R, P O L L V X, E T H E L E N A

- Tres isti ignes solo loci situ ab ignibus fatuis distinguuntur. 58  
 Duo tales ignes olim boni ominis, unus mali, reputabantur, sed male.

# MEMORABILIVM.

malè.

## COELI.

Coclorum & siderum materia est ejusdem speciei cum materia sublunari. 181

Cur cæruleus color appetit in fornicæ cæli. 206

An is qui in cervicibus columbarum & pennis pavonum, ex irradiatione solis cernitur, sit verus color plumis inhærens. 564

An colores nubium qui varia phasmata repræsentant, sint veri & à lumine distincti. 565

## COLVMNA

An illa quæ annos 40. Israelitas per desertum duxit, fuerit unica, an duplex, una nubis, altera ignis. 118

Non fuit instantum in sublime ab Angelo elevata, ut conum umbra terræ superaret 119. & seq.

## COMETA

Quinam de Cometis scripserint. 128.

Cometas quosdam cælestes esse quomodo probetur. 129

Quomodo argumentum parallæcos infringere conantur Scaliger, Claramontius & alij. 132 & seq.

Ex ortu & occasu cometarum collî potest quosdam celestes esse. 138. & seq.

Quomodo hoc argumentum D. Claramontius effugere conatur. 141

An Aristoteles cometas cælestes & novitia in cælo astra quandoque gigni existimaverit. 144

Eiam cometæ quidam sublunares

59

sunt.

149

Materia cometarum sublunarium sunt terræ & aquæ halitus. 153

Male D. Licetus censet partem elementi ignis quandoque in cometam densari. 153

Cometæ quidam vero igne ardentes, quidam luce solis aut alterius sideris tantum splendent. 156

Quis fieri possit ut exterrâ halitus resolvantur, qui scandant ferme usque ad Lunam. 158. & seq.

Quis fieri possit ut ex tanto intervallu à nobis cernantur. 159

Cometæ cælestes non sunt sidera ex illis mundo coævis. 160

Stulta Bodini de cometis opinio. 162

An cometæ sint plurimum stellarum se in unam conglomerantium cætus. 163

Rationes pro parte affirmativa allatæ & solutæ. 164 & seq.

Non omnium cælestium cometarum materia sunt terrestres halitus. 168. & seq.

Rationes pro parte affirmativa adferuntur & reiçiuntur. 169. & seq.

Pars fluidi ætheris in nodum contracta & addensata non est cælestium cometarum materia, contra D. Licetum. 173. 179

Cause condensantes partem illam ætheris à D. Liceto allatæ improbantur. 173. & seq.

Cometarum cælestium materia è sideribus fortè exhalatur. 180

Argumenta in oppositum diluntur. 182. & seq.

Quomodo è halibus cælestibus

D d d z      con-

# INDEX R.E.R.V.M

- concinnari ætheri cometæ  
 possint. 187  
 Novitiae stellæ de genere cœle-  
 stium cometarum videntur.  
 Cur in Galaxia vel juxta sèpius  
 novæ stellæ visantur. 188  
 Causa formalis, efficiens, &  
 finalis cometarum. 189  
 Cometæ malorum prænuntij.  
 190  
 Quidam tamen etiam fausti pu-  
 tantur. 193  
 Non sunt cause turbationum  
 sublunarium per naturalem  
 sympathiam. 195  
 Quid de cometarum prognosticis  
 sentiat Auctor. 196  
 Quæ cometarum proprietates.  
 198  
 Quæ causæ barbarum & villorum  
 in cometis. 199. & seq.  
 In quâ materiâ lux caudæ come-  
 tarum sustentetur. 204  
 Causa curvaturæ caudæ in come-  
 tis. 207  
 Cometarum motus. 210  
 Causa motus proprij cometarum.  
 212  
 Motus cur in fine detortus instar  
 cochlear. 219  
 Cometarum magnitudo & dura-  
 tio. 215  
 Quo anni tempore plures come-  
 tæ. 217
- CORONA SIVE HALO**
- Causa ejus. 543  
 Quomodo generetur; variaz opini-  
 ones. 544  
 Verior Auctoris. 545  
 Quantæ diametri. 546  
 Cur plerumque figuræ circularis.  
 548
- Non tamen semper. 547  
 An plures simul apparere possint.  
 549  
 Coronæ an discolores. 548  
 Coronæ motus. 550  
 Corona lunaris solari frequen-  
 tior est. 551  
 Coronarum lucernariarum cum  
 sideralibus comparatio. 552
- COTURNICES**
- Vnde Anno 1619 in Belgio rari-  
 simæ. 255
- CUNICULI**
- Quis inventor cuniculorum mili-  
 tarum: 1 311  
 Quomodo construendi. 312  
 Comparantur cum terræ motu.  
 Item cum granatis. 314  
 In concavitate pari, pulvis cuni-  
 cularius plura molitur, quam  
 spiritus terræ motor. 313
- D**
- DILUVIA**
- Quot ab origine mundi. 475  
 Diluvio generali unde illa aqua-  
 rum copia. 476\* & seq.
- DIOPTRICVS TVBVS**
- A quo & quando inventus, 167
- DRACO VOLANS**
- Quid sit. 65  
 Non est animal igneum natum in  
 elemento ignis, ut vult Paracel-  
 sus. 64  
 Causa volatus & obliqui delap-  
 sus draconis. 64  
 Est signum pestilentia & morbo-  
 rum. 65
- E**
- ETESIAE.**
- Quo tempore Etesiae septemtrio-  
 nales, & quo Australes flare in-  
 ciplunt. 254
- Cug

# MEMORABILIVM.

- C**ur Australes, aviculares dicuntur. 255  
**C**ausa efficiens Etesiarum. 256  
**C**ur Etesiae Aquilonares interdiu tantum spirant. 257  
**C**ur dicantur somniculosi. ibid.
- E X H A L A T I O**
- An ex ipsa terrae substantia resolvi exhalationes possint. 29  
**A**rgumenta in oppositum adseruntur. 29  
**S**olvuntur. 30  
**E**xhalatio est terrae educta non diffidet specie a terra. 31. 32. 33  
**Q**uae exhalationes specie differunt a corporibus mixtis ex quibus educuntur. 33. 34
- F**
- F**ILA DIVAE VIRGINIS
- Quid & unde. 434  
**Q**uo anni tempore maximè lignantur. 434
- F**LUMINA.
- Fluminum aluci quando, a quo excavati. 410  
**P**lerorumque flumen alvei undas suas in Aquilonem aut Austrum exonerant, quidam tamen etiam in orientem 412  
**Q**uænam flumina maxima. 432. & seq.  
**R**apiditas eorum unde. 413  
**A**n verum illud, quo altius est flumen, eo rapidius esse. 413  
**C**ausa efficiens defluxus fluminis est propria aquæ gravitas. 414  
**Q**uænam flumina exundent, & quæ de causâ. 414. & seq.  
**Q**uae astuent marino estu. 355
- F**ONTES
- Quomodo interscierunt fons,
- flumen, amnis, rivus, & torrens. 388. & seq.  
**D**e fontium materiâ variè sententiæ rejectæ. 390. & seq.  
**V**erior Auctor. 392  
**D**e causâ aquam fontium in fluctuigines pellente, variè opiniones improbatæ. 393. & seq.  
**V**era causa proponitur. 399. & seq.  
**I**n eam consentit Aristoteles. 402  
**V**enæ sublatentis signa. 399  
**A**qua fontium unde non salta. 400  
**G**eneratio fontium affinis est generationi imbrium, lachrymarum, catarrhorum, & lactis. 400. & seq.  
**V**nde fontes quandoque exarcant. 401  
**I**n summis montium cacuminibus fontes aliqui emicant. 403  
**F**ontes quidam puri & sine sapore, quidam sapore medicati. 404  
**Q**uidam unde caleant, variè opiniones. 405. & seq.  
**V**erior. 405. & seq.  
**F**rigidi medicati unde qualitatem illam trahant. 408  
**F**ontis Spadani laus. 408  
**A**n sit ille fons Tungrorum cuius meminit Plinius. 408  
**A**uriferi, an & unde. 409  
**F**ontium & fluminum unde diversus color. 409  
**A**n detur fons qui senes ad iuventutem revocet. 424
- F**ULMINIS
- Opinio Paracelsi de generatione Fulminis. 68  
**E**xhalatio est terræ in nubes sublata est fulminum materia. 69

D d d 3. Vnde

# INDEX R E R V M

- Vnde illa in nube accendatur. 70  
 Modus generationis fulminis. 71  
 Dæmones non sunt ut plurimum  
     causæ fulminum, adversus Bo-  
     dinum. 71. & seq.  
 Metu & fugâ penetrationis ful-  
     men cum tanto impetu ad ter-  
     ram usque contra renisum igneę  
     levitatis deiicitur. 73. & seq.  
 Cur fulmina potissimum emicent  
     in terram & per infimam nubis  
     superficiem. 74. & seq.  
 Cur aëre infimæ regionis pluvia  
     aut nebula gravato exhalatio  
     in eo hic apud nos non tonat &  
     fulminat. 75  
 Fulminis definitio. 77  
 Divisio. 78.  
 Quomodo inter se differant ful-  
     men & fulgor. 76. & seq.  
 Admirandi fulminum effectus. 79.  
     & seq.  
 Lapis fulmineus qualis & unde. 83  
 Cur alta & eminentia frequenter  
     fulminantur. 84  
 Cur fulmen non lineâ perpendiculari,  
     sed transversariâ ad ter-  
     ram veniat. 85  
 Quæ res à fulmine tute credan-  
     tur. 86. & seq.  
 Dormientes quomodo minus  
     quam vigilantes feriant fulmi-  
     na. 82  
 Cur in Anglia & septemtrionali-  
     bus regionibus rara admodum  
     sint fulmina. 97. & seq.  
 Fulminum & tormentorum no-  
     strorum comparatio. 99  
 In fulmine & tempestate cur cam-  
     panæ apud Christianos pulsantur.  
     112  
 A nube fulminante distantia terre  
     unde mensuretur. 94
- G
- GALAXIA.**
- Non est congeries exhalationum  
     in summâ aëris regione incen-  
     sarum. 122  
 Frustra D. Licetus conatur pro-  
     pugnare Aristotelem, dicendo  
     duas ab eo Galaxias, unam ca-  
     lestem, alteram sublunarem  
     agnitas esse. 123. & seq.  
 Galaxia non est pars firmamenti  
     perpetua & densior, sed ex in-  
     numerabilibus stellulis zona  
     intertexta. 125  
 Ei quid simile apparet in capite  
     Orionis, & præsepi, non in Plei-  
     adibus, & cur. 125. & seq.  
 Galaxiæ circulus non est perfe-  
     ctus. 127  
 Intra Tropicos quam extra angu-  
     stior est, & cur. 127  
 Quædam segmenta etiam alijs  
     cæli partibus extra famosum  
     illum circulum dispersa. 128  
 Definitio Galaxiæ. 128
- GLOBVS
- E tormento rectâ excussus quanto  
     tempore ad firmamenti forni-  
     cem pertingeret. 218
- GRANDO.
- Quid & quænam ejus causæ. 482  
 Quænam causa efficiens. 483  
 Ejus magnitudo & figura. 484  
 Adversusnoxam remedia super-  
     stitionis. 485. 486  
 Cur facilius liquefacit quam nix,  
     485
- GRAVITAS
- Densitatem proximè sequitur gra-  
     vitas. 448  
 Aër in nubem vel aliter condensatus

# M E M O R A B I L I V M.

- satus gravitatis pondus con-  
trahit, contra D. Licetum. 448  
Vter inflatus, vacuo gravior est.  
449  
Glacies neque densior, neque gra-  
vior est aquâ cui supernat.  
451  
Cur solidissima terræ gleba, vel  
etiam globus ferreus in auro,  
agento, vel plumbo liquato,  
perinde ac ligneus in aqua su-  
pernatet. 445. 446
- H
- H Y E M S**
- Hyemes australes pessimæ. 271
- H O L L A N D I A**
- Vnde nata juxta Petrum Nan-  
nium. 267
- H O R I Z O N**
- Quanta sit semidiameter horizon-  
tis visibilis in terra 249
- H O R T V S**
- Construi potest qui totâ etiam  
hyeme olera & fructus ferat. 14
- I
- I G N I S.**
- Quænam in fine mundi extremo  
conflagrationis igne purgabun-  
tur. 23. & seqq.
- I G N I S F A T V V S.**
- Quæ materia & forma ejus. 55  
Causa exhalationem incendens  
quæ. 55  
Causa saltus fatui. 56  
Vbinam & quo anni tempore fre-  
quentius appareant ignes fatui.  
56  
Sequuntur fugientes, & fugiunt  
insequentes. 56. & seq.  
Vnde interdum sibilent. 58
- I G N I S L A M B E N S**
- Quid sit. 60
- Noctu & quandoque interdiu ap-  
paret. 60  
Irâ aut vino æstuantia capita fa-  
cilius hic ignis circumfulget. 62  
Spiritus sine flammâ & vero igne  
non raro lucet, & quomodo. 62  
& seq.

## I G N I S S U B T E R R A N E V S.

- Esse probatur. 35. 36  
Quam alte sub terrâ defossus. 39  
An potissima causâ vaporum &  
exhalationum, 35. & seq.  
Vbinam ardent ignes illi qui fon-  
tes calidos calefaciunt. 405.  
& seq.

## I G N I T A M E T E O R A.

- Quæ eorum materia & forma. 53.  
54  
Quædam non vera, sed tantum  
apparentia. 54

## I N F E R N V S.

- Quanta diameter ejus. 319  
**I N T E L L E C T V S**  
Humanus in omnibus ferè caligat,  
non tamen ideo mortal is. 209.

## I R I S

- Ejus cognitio difficilis. 487  
Iris duplex. 487  
Variae & pulchræ Iridum histo-  
riæ. 488. & seq.  
Iris solaris fit ex reflexione &  
refractione radiorum solis. 494.  
& seq.

- Id quod in Iride cernitur an sit  
ipsum lumen solis nobis incor-  
poratum, an ipse sol visus tan-  
quam in speculo. 483. & seq.

- Iris cur circularis. 497  
Variae opiniones improbatæ. 496.  
& seq.

- In rigore perpetuò, mutatur Iris.  
498.

Iridis,

# INDEX RERUM

- iridis, sed etiam tota inter cor-  
 nua iridis area plena est guttis  
 radios solis refringentibus. 499  
 Cur in illa arca non apparent co-  
 lores iridis. 500. & seq.  
**Iris alia reflexa, alia refracta.** 502  
 503  
 Artificialis quæ. 403  
 In iride reflexa, centra Solis, oculi,  
 & iridis cur in eandem fere  
 semper lineam rectam cadunt.  
 503. 404  
**Iris reflexa, figurâ ovali quando-**  
**que depingi potest.** 504  
**In iride refracta** nō est necesse cen-  
 trū solis, oculi, & iridis in eandē  
 lineam rectam cadere. 505  
 Quot nubes necessariæ ad genera-  
 tionē iridis refracte, 505. & seq.  
**Iris semicircularis** appetet. 506  
 An quandoque major semicirculo  
 apparere possit. 507. 508  
 Altitudo quæ. 509. & seq.  
 Colores qui & unde, variorum  
 opinione. 512. & seq.  
**Opinio Auctoris.** 516  
 Colores quot. 517  
 Irides quot simul apparere possint.  
 519  
**Duae concentricæ** nullo variato  
 colorum ordine apparere pos-  
 sunt. 519. 520  
**Iris secunda** cum inverso colorum  
 ordine, quomodo generetur  
 variæ sententiæ. 520. & seq.  
**Mens Auctoris.** 525  
 Cur in secundariâ iride colores  
 invertantur. 527. 528  
 Cur rarius appareat secundaria.  
 528. 529  
 An plures duabus, & quo colo-  
 rum ordine apparere possint
528. & seq.  
 Varij motus. 532  
 An duo ejusdem hominis oculi  
 eandem iridem cernant. 534  
**Tubo visa iris, cur amittat colo-**  
**rationem.** 534  
 Ejus locus & tempus. 534. & seq.  
 Effectus & significationes. 538.  
 & seq.  
 Iridis lunaris cum solari conve-  
 nientia & disconvenientia. 541  
 Lunaris cur rarer solari. 541  
 Lunaris unicolor, nō semper. 542
- L**
- LA DANVM.**  
 Non differt specie à melle. 437  
 Non est verum meteorum, uti ne-  
 que mel. 437
- LIMBURGENSIS DUCATUS**  
 Totius Belgij locus excelsissimus,  
 & unde probetur. 480
- LVMEN**
- Oculi, quando & quomodo vi-  
 deatur. 554
- LVNA**
- An luna terram, aut alia corpora  
 sicca, in aquam vertat, & sic no-  
 vam humoris substantiam ge-  
 neret, quando conchylia, me-  
 dullas, & humores animalium  
 arborumque implet. 380
- M**
- MAGNES**  
 Aliquis ferri inimicus æneo vase  
 suppositus ramenta ferri in fu-  
 rorem & æstum agit. 386
- MANNA**
- Quid sit manna. 438  
 Manna quæ 40. annis Israelitis in  
 deserto pluit, An fuit ejusdem  
 speciei cum vulgari meteoro-  
 logica. 438
- MARE**

# MEMORABILIVM.

## MARE

An aliquando Tungros alluerit.

291

Quid mare. 316

Quænam maris origo. 317

Quanta magnitudo superficie  
maris, & quanta pars terræ nu-  
data aquis. 317

Quanta profunditas maris. 318

An mare sit altius terrâ, argumen-  
ta pro cā parte. 322

Pars negativa propugnatur, & al-  
terius partis argumenta solvun-  
tui. 323. & seq.

Cur nautæ ē mari littora se videre  
depressiora, & facilius in por-  
tium relabi, quām in altum pro-  
vehī affirmant. 327

An tempore Apostolorum fuerit  
aliqua scientia vel suspicio ho-  
minum trans Oceanum habi-  
tantium. 328

An omne mare salsum. 339

Et an unum altero magis. 330

Quænam causa falsedinis maris,  
juxta Aristotelem. 330

Fundus an dulcior supremā super-  
ficie maris. 331

Causa falsedinis maris non est  
ab Aristotele bene assignata.  
333. 334

Opinio Auctoris de causâ falsedi-  
nis maris. 335

In quo præcise subjecto residet  
falsedo. 336

Cur æstate & sub Torridâ mare  
salsius. 336

Cur aqua marina vetatur incen-  
dijs superjici. 337

Cur mare tardius congeletur. 337

Quænam densitatem aquæ mari-  
nae probent. 337

Vnde proveniat nausea illa, quā  
insolentes navigationis vomunt  
340.

Ceteræ aquæ marinæ proprieta-  
tes. 340. & seq.

Qua arte quis aquam marinam si-  
bi confidere queat. 341

Quomodo cadavera & alia expel-  
lat mare. 341. & seq.

Vndenam pescatores & alij qui rem  
marinam exercent rufo sunt ca-  
pillo. 342

Motus æquationis quis & unde  
344. & seq

Vnde mare Balthicum quando-  
que ab Austro in septemtrio-  
nem movetur. 345

Motus Librationis quis & unde.  
346

Vero similius est nullum esse Ocea-  
ni raptum ab ortu in occasum.  
348. & seq.

Vndenam quidam motum raptūs  
maris colligant. 347

Causa facilioris navigationis ab  
ortu in occasum, quām ē contra,  
non est Oceani in occidentem  
raptus, sed subsolanorum mol-  
les & vix unquam interpolati  
flatus. 348

Subsolani illi legitimi venti sunt.

Vnde eorum materia, & cur  
tam nocte quam die ab oriente  
versus occidentem spirent. 350.  
& seq.

MARINVS ÆSTVS

Cur ejus non meminit Aristoteles.

353

Maria quæ æstuant, & quæ non  
353. & seq.

Quod tempus, & quam legem ser-  
vent plerique æstus. 355

Ecce Qui-

# INDEX RERUM.

- Quinam ab hac lege excipientur.  
356  
Vndenam insolentes æstus. 357  
Belliores aliquot sententiae de causa marini æstus. 358. & seq.  
Luna princeps causa marini æstus.  
367. & seq.  
Explicatur per puncta fluxus & refluxus. 369  
In æstu lunam adjuvat sol. 370  
De virtute quæ luna æstus moveat,  
variae opiniones. 373. & seq.  
Opinio Auctoris. 377  
Æstum quæ virtus occidente lunâ  
apud nos faciat. 381. & seq.  
Cur lunâ à culmine cæli per se-  
cundum quadrantem delabente  
residunt & resorbentur maria.  
387  
Quousque verum illud Plinij, nul-  
lum animali nisi æstu receden-  
te expirare. 387
- M E L**
- An cæli sudor, aut quædam sive-  
rum salvia. 434  
An ab apibus fiat. 435  
Cur non ubique ejusdem dotis.  
435  
Quo anni tempore mel in Belgio  
desfluat. 439  
Ejus effectus. 36  
An verum illud: vinum optimum  
esse in medio, oleum in summo,  
mel in imo. 437
- M E R I D I O N A L E S . P O P Y L I .**
- Magis melancholici & iracundi  
septentrionalibus. 263
- M E T E O R U M .**
- Ejus definitio. 2  
Divisio. 2  
Ascensus meteororum à terra  
quousque. 5
- An meteora sint siderum fructus,  
ut vult Paracelsus. 28  
An ignis subterraneus sit primaria  
causa vaporum & exhalatio-  
num, quæ sunt meteororum  
materia. 35  
Sol est princeps causa & maxime  
universalis. 37  
Ioannis Bapt. Morini de causa ele-  
vante vapores & exhalationes  
nova opinio proponitur. 46.  
& seq.  
eadem improbat. 48. & seq.  
Meteora apparentia, an vera me-  
teora. 487  
Scientia eorum ardua & difficilis.  
487
- M I L I T E S D I S C V R R E N T E S**
- Eorum historia. 566  
An naturaliter sic appareant, con-  
tra Atheos. 567
- M O N S .**
- Quinam usque ad supremam aëris  
regionem verricem attollunt. 6.  
& seq.
- M V R E S**
- Mures & ranas ex palvere & aqua  
célesti posse conformari. 473.  
474
- N**
- N E B U L A**
- Definitio, cause, & species. 480  
Ejus quædam proprietates. 480  
Per nebula res visa an & cur lon-  
gius distare appetet. 481
- N I L V S**
- Qua lege exundet. 414. & seq.  
Exundationis causa obscura. ibid.  
Variorum cause improbatæ,  
cum veteri opinione. 415. & seq.
- N I X**
- Definitio & cause nivis. 453  
Cur

# MEMORABILIVM.

Cur ex nube, priusquam in nivem  
rigescat, non generetur semper  
pluvia. 454

Cur nix sit mollior pluvia. 455

Tempus lapsus nivis. 455

Cur per floccos decidat. 456

Cur hyemes nivales in votis. 453

Cujus figura flocci nivis 456

Neronis inventum ad nive frige-  
randa vina. 458

Officinæ nivis apud Romanos. ib.

Imminente nive quare rigor aëris  
remolescit. 459

Et quare tunc catarrhos queran-  
tur de dolore capitum. ibid.

Quare ambulantes in nive boli-  
miā corripiuntur. 460

## NUBES

Causæ nubis. 440

Quæ causa nubes in media regione  
aëris suspendat. 441

Et latè contra D. Licetum & Pa-  
trem Franciscum Restam. 445.  
& seq.

Nubes opaciores sunt, sed neque  
densiores, neque graviores aëre  
infimæ regionis. 442

Quomodo id per refractiones si-  
derum confirmetur. 443

Falso vult D. Licetus nubes qua-  
dam nimboso vapore gravidas  
aëre inferiore graviores esse.  
449. & seq.

Nubes sunt figuræ circularis, ad-  
versus Cardanum. 452

Cur radius directus solis non im-  
pedit nubium in media regione  
aëris, concretionem, variae ra-  
tiones improbantur. 16

Vera ratio proponitur. 19

## NVRSTIAE

Quo vento spirante celebrandæ ex-

mente Aristotelis. 277

## O

## OCVLVS

Per terræ superficem quoisque  
possit prospicere. 249. 250

## P

## PARADISUS

Ejus planities non supra medium  
regionem aëris. 13

## PARALLAXIS

Quid & quomodo inveniatur. 130  
Ejus doctrina an incerta. 132. & seq.

## PARASELENE

Quo numero & duratione. 562

## PARELIUS

Etymon & definitio. 554. 555

An sit lumen solis nubi impressum,  
an vero ipse sol reflexè, ut in  
speculo visus. 555. & seq.

Tempus, locus, numerus & pro-  
prietates Pareliorum. 559. & seq.

## PHASMA

Species & definitiones. 564. 565

Discrimen inter iridis, crepus-  
culorum & phasmatum lumen.  
565

## PLUVIA.

Quam altè aqua pluvia in terram  
penetret. 465

Arborum procerarum radices, vis  
calorifica solis, & aqua pluvia in  
terrā penetrant ad denūm pe-  
dum profunditatem, & ratio cur  
illa sic inter se congruant. 466.  
& seq.

Pluviae prodigiosæ quæ & quales.  
468

De sanguineis variaz historiæ. 468

Pluvia quæ cruces rubras vestibus  
impressit. 469

Pluie quandoque carnibus, triti-  
co, ferro, lapidibus, & quæ id fie-

EE 2 ri

# INDEX RERUM

- ri possit. 470. & seq.  
 Non pluit tamen vitulis. 472  
 Potest etiam ranis. 472. & seq.  
 Quomodo ranæ & mures ex aqua  
     pluviali, & certo terræ pulvere  
     in terrâ subito generari possint.  
     473. 474  
 Quinam dies apud Belgas pluvia-  
     rum infames. 464
- PROCCELLA**
- Causæ procellarum. 105  
 Species tres explicatæ. 105. & seq.  
 Effectus procellarum ijdem qui-  
     fulminum. 106
- PRVINA**
- Definitio & cause. 433  
 Filatim quomodo ex arboribus  
     dependeat. 433
- PVERI**
- Cur eis ploratum permitti suadeat  
     Aristoteles. 244
- PVLVIS TORMENTARIUS**
- Vnde, quis, & quibus tormentis  
     conveniat. 101  
 Pulvis aureus, quis & quomodo  
     fulminet. 103
- R**
- RADIUS.**
- Radius luminosus quid. 492  
 Tres ejus species explicantur. 492
- RARITAS.**
- Ab opacitate distinguenda est. 150  
 Similiter à mollitiæ. 174  
 Item à perspicuitate. 449  
 Raritatem proximè sequitur levitas, ut densitatem gravitas.  
     448
- ROS**
- Causæ roris. 427  
 Ex quanta altitudine decidat. 427  
     & seq.  
 Quo anni tempore, & quo vento
- decidat. 429. 430  
 Varij effectus roris. 430  
**ROBIGALIA.**  
 Robigalia & Floralia q̄ sacra &  
     quorsum. 432
- S**
- SACCHARVM**
- Quid sit. 439  
 Si ei cultrum afficies in tenebris,  
     lucem velut igneam excuties. 440
- SCHALDIS.**
- Antuerpiæ an uno toto die fuerit  
     sine æstu, ut vult Keplerus. 359  
 Cum Oceano sepius exundat. 359
- SIDERA**
- Perinde ac cœli, materia sublunari  
     constant. 180. 181  
 Eorum exhalationes in pluvias  
     aut ventos non abeunt. 183. 184  
 Detrimentum & mutilationem  
     aliquam forte patiuntur. 182  
 Eorum gravitas unde. 184. 185  
 Nova in cœlo visa. 181
- SOL**
- Cur non ita halitus suos exspiret,  
     ut alia astra. 180. 186  
 Stringens Horizontem etiam aëre  
     purissimo, cur supra appareat.  
     443
- SONVS**
- Soni species in tempore ad aures  
     perveniunt. 93
- STELLA CADENS**
- Quid sit. 68  
 Modus generationis ejus. 65. & seq.  
 Magnam cum pyrobolis nostris  
     habet cognitionem. 66  
 Cur cœlo sereno plures quam nu-  
     bilo cadunt. 67
- STELLA DISCVRRENS**
- Stellæ discurrentes serena fere so-  
     lum & siderea nocte visuntur. 115  
 Plerumq;

# MEMORABILIVM:

Plerumque, sed non semper recta  
discurrunt. 115  
Non etiam semper transversum.  
116

## SVBSOLANVS.

Vnde semper spiret in mari intra  
Torridam. 348. & seq.  
Cur sub auroram & manè spirare  
soleat. 350

## SVLPHV R.

An in aquis ardeat. 406

## T

## TERRA

Variæ causæ efficients terræ mo-  
tus rejectæ. 282  
Vera causa. 283  
Quænam species terræ motus.  
288  
Quæ loca obnoxia terræ motibus.  
289  
Magnitudo & duratio terræ mo-  
tus incerta. 295  
Quæ anni tempora maximè sen-  
tiant terræ motus. 298  
Signa antecedentia terræ motus.  
301  
Effectus terræ motus cum suis hi-  
storijs. 303. & seq.  
Terræ motus ferè semper causa  
pestis. 308  
Atlantis Insula an verè terræ mo-  
tu absorpta. 205. & seq.  
Cuniculorum militarium cum  
terræ motu comparatio. 311  
Totum terræ corpus esse majus  
aqua quomodo probetur. 319

## TONITRV

Variæ causæ tonitrii improba-  
tæ. 87. & seq.  
Vera causa. 90. & seq.  
Divisio tonitrii & specierum ex-

plicatio. 90. & seq.  
Cur demum post coruscationem  
fulminis, tonitru auditur. 93  
Effectus vulgo tonitruo ascripti-  
95

Tempus & signa fulminum & to-  
nitrii. 97  
Cur in Anglia & septentriona-  
libus regionibus rara fulmina.

97

## V

## V A P O R.

Quid vapor. 2  
Vapor ex aqua eductus non differt  
specie ab aqua. 31.32  
Quinam vapores specie differunt  
a corporibus è quibus educun-  
tur. 33.34  
Vnde sursum ascendant. 45. &  
seq.

## VENTVS

Ventorum scientia in difficulti &  
abdicto est. 220  
Causæ ventorum, secundum Ari-  
stotelem. ibid.  
Aër non est materia venti. 221  
Halitus est venti materia. 223  
Motus obliquus venti non fit ra-  
refactione aëris, vel conden-  
satione. 224  
Non fit etiam repulsa exhalatio-  
nis à nubibus. 227  
Angeli non sunt ventorum ordi-  
nariorum Æoli, sed bene  
quorundam extrordinariorum.  
230  
Argumenta in oppositum refel-  
luntur. 233  
Causæ efficiens motus ventorum:  
non sunt terræ pulmones.  
236  
Ventus gravitate sua in terram de-  
cidunt. 3

# INDEX RERUM MEMORABIL.

- |  |             |   |          |
|--|-------------|---|----------|
| cidunt.  | 236. & seq. | tates.  | 275      |
| Argumenta contra allata diluuntur.                           | 239         | Cur Cæcias omnium maximè getet.   | 279      |
| Causa formalis ventorum.                                     | 242         | Cur partus masculinos adjuvet.  |          |
| Causa finalis.   | 243         | 277   |          |
| Quot & quibus nominibus recensifi venti.                     | 245         | Ventorum occidentalium proprietates.  | 278      |
| Quomodo indices ventorum describendi.                        | 247         | Ventis quædam proprietates speciales in quibusdam tractibus.                |          |
| A quo Horizonte sumendum initium ventorum.                   | 249         | 280   |          |
| E quanto intervallo potest eadem exhalatio ad nos pervenire. | 251         | <b>VENVS</b>  |          |
| Qui fieri potest, ut unus alio longius feratur.              | ibid.       | Anno 1625. solari & puro meridi die visa.                                   | 67       |
| Quid ventus anniversarius.                                   | 253         | <b>VIRGA</b>  |          |
| Quid venti Provinciales, Apogæi, & auræ.                     | 258         | Quomodo generentur.   | 562. 563 |
| Ventorum proprietates generales.                             | 260         | <b>VRINA</b>  |          |
| Ventorum septemtrionalium.                                   | 261         | Vrinæ quomodo quidam multo plus reddidit, quam in cibum potumque insumpsit. | 403      |
| Meridionalium proprietates & effectus.                       | 268         | <b>ZEPHYRVS</b>   |          |
| Ventorum orientalium propri-                                 |             | Zephyri nomina & proprietates.  |          |
|  |             | 278   |          |
|  |             | Zephyrina ova, & equæ an sine mare solo zephyro generare possint.           |          |
|  |             | 279   |          |

**FINIS**



*Philosophia lúrea,  
in patro en Venecia  
poromapaure-  
Isac Vaxboio-*


**CEN-**


# CENSURA.

H I Libri METEOROLOGICI, Antho-  
re Eximio Viro D.ac M.N. LIBER-  
TO FROMONDO, doctrinâ & stylo subli-  
mes sunt & amæni. In quibus natura arcana  
panduntur, ejus admiranda effecta ex prin-  
cipijs occultis in lucem extrahuntur, expe-  
rientijs multis declarantur, & infinita Dei  
potentia ac sapientia in causarum inferio-  
rum dispositione & gubernatione plurimum  
illustrantur. Quos propterea hac iteratâ  
& auctiori editione dignissimos censeo. Dat.  
Locvanij. die 14. Octob. 1646.

JACOBVS PONTANVS S. Theol.  
Doctor & Professor, Apostolicus ac Regius  
Librorum Censor.







liberatio

F. TORRICELLI

Meteorologica

rum

Gibus

62

57

4.127